www.e-rara.ch

De origine, progressu, ceremoniis et ritibus festorum dierum Iudaeorum, Graecorum, Romanorum & Turcarum libri tres

Hospinianus, Rodolphus

Tiguri, anno 1592

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: IV C 10 | G

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-4850

De origine et progressu festorum dierum apud Ethnicos, liber secundus.

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

DE ORIGINE ET PROGRESSV FESTORVM DIERVM APVD ETHNICOS, LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Die & Dierum distinctione apud Ethnicos.

DIES *apud Ethnicos alios aliter computasse, & in certas partes distribuisse, ex Plinio, Macrobio & alijs cap.1. prioris libri demonstrauimus, vt opus non sit eadem hoc loco repetere. Eorum verò apud eosdem duplex ferè est distinctio. Primo nanque dies Ethnicis alij fuerunt* Fausti, *alij* Infausti: *& hos quidem ab ominis diritate, vt Cœlius Rhodig. lib.8. cap.9. indicat,* Atros, *illos verò, ob felicitatem,* Albos *vocarunt. Sunt etiam qui dies infaustos* Communes *appellarunt, velut ad moliendam vocabuli diritatem, quos alij* Plebeios, *quidam etiam* Aegyptiacos *dixerunt, ab Ægypti, opinor, vanitate, proclinato nomine.* Ἀποφράδας *Græci nuncupant, perinde ac si nefandos dicas. Ex quo & festiuè Lucianus* Ἀποφράδι *similem posse dici hominem insinuat, moribus ferum, corpore non integrum, mollem, periurum, nullis non adobrutum flagitijs, ac tanquam occursaculum abominandum atq; aueruncandum, vt Cœlius eodem loco loquitur. Fuit autem vulgatissimus error gentilium, vt hunc dierum delectum superstitiosissimè obseruarent, & vel in agendis rebus, vel in expectandis euentibus vitæ ac negotiorum suorum, ad notatos ab Astrologis & Chaldæis dies, & menses, & annos & tempora attentè respicerent, vt Augustinus in cap.4. epistolæ ad Galatas annotat.*

Dies alij apud Ethnicos fausti, alij infausti

Vetustissimus omnium Hesiodus in libello Περὶ ἡμερῶν, *pro illorum temporum ratione & superstitionis inuolutæ, dierum alios comprobat amplexaturq; reijcit alios, ac velut emortuos transilit, vt Cœlius Rhodig. loquitur Antiq. Lect. lib.8. cap.9.* Quintas *enim omnes reprobat, quod in ijs vagari furias credidit, & periuros deposcere ad supplicium dixit, quòd numerus is sit Iustitiæ proprius, sicut in Pythagoreorum reperitur arcanis. Sic enim canit:*

Hesiodus.

Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι· ὅτι χαλεπαί τε κραταιαί.
Ἐν πέμπτῃ γὰρ φασὶ Ἐριννύας ἀμφιπολεύειν.

Hoc est: Quintas verò euitato: quia difficiles sunt & graues.
In quinta enim aiunt furias obambulare.

Vergilio quoque Quintus dies ominosus habetur, vt quo Orcum, Eumenidas & Gigantes fatos pariat: ita enim Georgic. lib.1.

Vergilius.

——— *Quintam fuge, pallidus Orcus,*
Eumenidesq; satæ: tum partu terra nefando
Cœumq; Iapetumq; creat, sæuumq; Typhœa,
Et conuratos cœlum rescindere fratres. *Et mox:*
Septima post decimam felix, &c.

Quo loco poeta non decimam septimam intelligit diem, sicut verba sonare videntur, & Seruius interpres intellexit: sed, vt Cœlio Rhod. lib.20. Antiquit. cap.3. placet, aut septimam significat, quæ sit post decimam prima, & melior, id est, quartam decimam, luna tum plenam faciente visitationem: aut dies collaudauit duos, septimum ac decimum, sed hunc eò amplius. Septima vtiq; luna dimidio orbe cæsa conuisitur: Decima amphicyrtos, id est, vtrinq; gibbosa. *Rursus idem poeta*

——— *nona fugæ melior: contraria furtis:*

Præterea tres sunt dies, quibus Iouis adoptat nomen Hesiodus, videlicet primo, quarto *& septimo: dicit enim,*

Αἱ δὲ γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς παρὰ μητιόεντος,
Πρῶτον ἔνη, τετράς τε, καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.

Id est: Hæ enim dies sunt Ioue à prudente.
Primùm nouilunium, quartaq; & septima sacra dies.

Inter Platonis autem placita sancitur, Omne principium esse, & censeri diuinum: quaternarium etiam numerum perfectum. Septimum *verò diem præcipuè laudat Hesiodus, quòd Apollo eo crederetur natus: ait enim,*

Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Vnde & ἑβδομαγενῆ, quasi septimanigenam Flamines eum vocarunt, Plutarchi testimonio. Laudat idem poeta octauam, nonam, vndecimam, duodecimam *& alias nonnullas dies.*

Latinarũ tempore, Saturni festo & Mundo patente infaustum fuit bellũ gerere.

Macrobius lib. 1. Saturnal. refert, apud Romanos, nec Latinarum tempore, *quo publicè quondam induciæ inter Romanum populum, Latinosque firmatæ fuerunt, inchoari bellum licuisse: nec* Saturni festo, *qui sine tumultu bellico creditur imperasse: nec* patente mundo, *quod sacrum Diti Patri & Proserpinæ dicatum fuit: meliusq; occlusa Plutonis fauce eundem ad prælium eosdem arbitratos idem testatur. Vnde & Varro, eodem auctore, ita scribit: Mundus cum patet Deorum tristium atque inferûm quasi ianua patet: Propterea non modò prælium committi, verùm delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci: nauem soluere: vxorem liberûm querendorum causa ducere, religiosum est.*

Vitabant etiam veteres dies ad viros vocandos, qui essent notati rebus aduersis. Vitabant etiam ferijs, sicut Varro in Augurum libris scripsit in hæc verba: Viros vocare ferijs non oportet, si vocauit, piaculum esto.

Sciendum est tamen eligendi ad pugnandum diem Romanis tunc fuisse licentiam, si ipsi inferrent bellum: at cùm exciperent, nullum obstitisse diem quo minus vel salutem suam, vel publicam defenderent dignitatem. Quis enim obseruationi locus, cùm eligendi facultas non superst?

Postriduanos dies Rom. ad omnia cauerũt

Dies autem Postriduanos *ad omnia Romani cauendos putarunt, tanquam nimis improsperos, atque, vt sic dicam, inactuosos, inominalesq;. Id autem infelicibus pugnis referri acceptum oportere, Lucianus innuit. Quod ipsum & Gellius Annalium lib. 5. & Cassius Hemina historiarum lib. 2. testatum reliquerunt. Anno enim ab vrbe condita 363. à tribunis militum Virgilio Manlio, Cælio Posthumio, collegisq; eorum, in senatu tractatum, quid esset propter quod toties intra paucos annos malè esset afflicta Respub. & ex præcepto Patrum L. Aquinium (Gellius habet Attilium) aruspicem in senatum venire iussum religionum requirendarum gratia, dixisse: Q. Sulpitium tribunum militum ad Alliam aduersum Gallos pugnaturum, rem diuinam dimicandi gratia fecisse* Postridie Idus Quintilis. *Item apud Cremeram, multisq; alijs temporibus & locis, post sacrificium die postero celebratum, malè cessisse conflictum. Tunc Patres iussisse, vt ad Senatum Pontificum de his religionibus referretur: Pontificesq; statuisse,* Postridie, omnes Calendas, Nonas, Idus, *atros dies habendos: vt hi dies neque* preliares, *neque* puri, *neque* comitiales *essent. Vnde Plutarchus refert, Postriduanis istis diebus iter quoque ingredi detrectasse Romanos. Et Augustum Cæsarem legimus seriæ rei nihil inchoare voluisse, Nonis, vt ominosis. Flauius Vopiscus etiam de alio quodam Imperatore testatur, quòd nullam intermiserit noctem, qua non aliquid vel scriberet vel legeret, præter quam postridie Calendarum.*

Sed & Fabius Maximus Seruilianus Pontifex libr. 11. negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Ianum Iouemque præfari necesse est, quos nominari atro die non oporteat.

Ante diem *quoque* quartum Calendas *vel* Nonas *vel* Idus, *tanquam inominalem diem plerique vitarunt. Eius verò obseruationis an religio vlla sit tradita quæstum*

fuit?

fuit? Sed nihil super ea re se scriptum inuenisse Gellius & Macrobius referunt: nisi quòd Q. Claudius Annalium 5. lib. cladem illam vastissimam Cannensis pugnæ factam referat ante diem quartum Nonas Sextilis.

Dies *etiam* 4. Non. Octob. & 7. Idus Nouemb. & postridie Vulcanalium *adeò infelices à Romanis sunt habiti, vt ijs nec cum hoste manu consererent, nec exercitum conscriberent, nec comitia haberent, nec aliud quicquam in Repub. nisi quod vltima extudisset necessitas, administraretur, quod tum gentiles mundum patere, ac debiscere ter in anno putarent, vt Sex. Pompeius testatur.*

Vicesimam primam diem *cuius libet mensis funestam & atram habuerunt Chalcedonij, quòd ea Darij præfectus liberos ipsorum castrasset, & in Persidem ablegasset. Quin & κράνειον seu καρνειον mensem integrum, solennem & feriatum, egisse olim Spartanos, eoq; à prælijs abstinuisse apud Thucydidem legitur. Meminit eius & Plutarchus in Camillo:* Μεταγειτνιὼν, *inquit, quem* Πάνεμον *Boeoti dicunt, Græcis inauspicatus fuit: eius enim die 7. pugna ab Antipatro victi in Cranone perierunt. Sic mense* Δαισίῳ, *quem Iunium exponit Suidas, ominosum putabant Macedones, educere exercitum, vt tradit Plutarchus.* Vicesima prima dies cuiusque mensis atra Chalcedonijs.

Græci, præcipueque ex his Lacedæmonij, quicquid essent rerum auspicaturi, superstitiosissimè lunam obseruarunt. Id quòd tacitè notat Euripides, quum in Iphigenia in Aulide respondet Agamemnon, tum nupturam filiam, vbi lunæ dexter circulus aduenerit, videlicet de plena luna sentiens. Lucianus in libello de Astrologia, palàm refert Lycurgum, legem instituisse Lacedæmonijs, ne prælium inirent ante plenilunium. In quam superstitionem iocatur Aristophanes, Τῇ πανσελήνῳ, *plenilunio, serò aut nunquam futurum significans. Quidam etiam Acessæus nauta, quum esset ignauus, ita prorogare consueuit nauigationem, vt subinde diceret lunam se expectare oportuniorem: vnde prouerbium natum,* Acessæi luna, *dictum in comperendinatores, qui nouam subinde causam comminiscuntur, quo negotium proferant.* Græci in rebus agendis Lunã obseruarunt superstitiosè.

Sunt & sui Nautis suspecti dies: Februarij mensis Sextus, duodecimus, Decimus quintus, Decimus septimus, Decimus nonus & Vicesimus. Martij primus, Septimus, Decimusquintus, Decimus septimus, Decimus nonus, & Vicesimus quintus. Aprilis Quintus, Sextus, Duodecimus, Vicesimus. Et hos quidem inuariabiliter obseruant: astruuntque his ferè diebus maximas in mari mutationes contingere, vel ad tranquillitatem, vel ad tempestatem, ac proinde in re multæ incertitudinis, tutius arbitrantur nauigationi supersedere: Cœlio teste lib. 8. cap. 9. Nautis qui dies ominosi.

Porrò vt nonnulli dies inauspicati fuerunt actionibus hominum, ita quidam valetudini inimici & lethales habiti sunt, quos cuilibet mensi binos superstitiosissimi homines assignarunt.

Sed hæc, vt alia multa, condonanda fortasse fuerunt Ethnicis hominibus, verbi diuini luce prorsus destitutis: illud verò detestandum, Christianos ijsdem superstitionibus deditos fuisse & hodie adhuc esse. Scribit enim Ammianus Valentinianum Imp. iam electum, bissexto Februarij in publicum prodire noluisse, ob ominosum eius auspicium. Imò à Christianis annus bissextilis totus ominosus & infaustus habetur: quod Mantuanus in Fastis his versibus testatur: Christiani non obseruent dies. Bissextilis annus ominosus.

Sed mirum est quod fama refert, hunc scilicet annum
Ominis esse mali, solitumq; offendere fruges:
Atq; hominum varios infortunare labores:
Tum malè depangi vites, malè semina sulcis
Rura putant credi, pecoris malè pignora nasci:
Semina pomorum pedibus conuersa supinis
Et capite in terram memorant adolescere misso
Sæpius audiui, cùm quis dare rebus agendis

Principium vellet, dici, meliora require
Tempora, hyperbolico frustra conaberis anno.

Carolum 5. Imp. quoq; in suscipiendis expeditionibus astrologiæ consilio non segniter vsum fuisse aiunt.

Germani Calendarijs in agendis rebus addicti. Kalender/ pauren Kalender.

Et vix vlla in Christiano orbe hodie gens est, quæ huic superstitiosæ dierum obseruationi tam sit addicta, quàm sunt GERMANI. *Testes sunt huius rei Calendaria, quæ à Mathematicis quotannis lingua vernacula exhibentur, & in rusticorum quoque gratiam notis Sanctorum plus quàm hieroglyphicis, si Dijs placet, exornantur. In agricultura, in contractibus, &c. consuluntur Calendaria sua. Ex Calendarij consilio & arbitrio secant venam, vomunt, ablactant, oculis medentur, vngues præsecant, comam tondent, lauant, nouas vestes induunt, peregrinantur, excernunt denique alij melancholica, alij pituitosa, alij biliosa: vanissima persuasione & credulitate, quasi infelices dies ex Chaldæorum obseruatione euitari possint, aut immutari. Tantum potest inueteratus error, inde fortasse primùm exortus, quòd cùm Matheseos restauratio à Germanis cœperit, sophistæ ambitiosi artem pulcherrimam vulgi annuo ludibrio prostituerint, ne ociosam philosophiam habere viderentur.*

Dierum obseruatio damnatur. Moses.

Damnauit autem errorem hunc, & ethnicas dierum temporumque obseruationes Deus per Mosem Deuteronom. 6. capite dicens: Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. Quo loco per Meonenim non solùm eos intelligit, qui figuram cœli & positus syderum in natiuitate hominis obseruant, sed etiam qui diem alium alio feliciorem putant. Apud Ieremiam quoque 10. capite dicit: Iuxta vias gentium nolite discere: & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.

Ieremias.

Augustinus.

Augustinus etiam in Enchiridio capite 79. hanc dierum & temporum obseruationem, vt hæc fausta, illa infausta putemus, ad magnum dixit pertinere peccatum. Quis æstimaret, inquit, quam magnum peccatum sit dies obseruare, & menses, & annos, & tempora (sicut obseruant qui certis diebus, siue mensibus, siue annis volunt, & nolunt aliquid inchoare, eò quòd secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora:) nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus? qui talibus ait, Timeo, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Et super epistolam ad Galatas ad cap. 4. Intelligat, ait, lector ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum obseruationes, vt huic loco subiecerit Apostolus, Timeo, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Quod cum tanta celebritate atque auctoritate per orbem terrarum in Ecclesijs legatur, plena sunt tamen conuenticula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum à mathematicis accipiunt. Iam verò, ne aliquid inchoetur aut ædificiorum, aut huiusmodi quorumlibet operum diebus, quos Ægyptiacos vocant, sæpè etiam nos monere non dubitant. Idem pater cap. 7. lib. 5. de Ciuit. Dei, Illud quis ferat, inquit, quòd in eligendis diebus noua quædam suis actionibus fata moliuntur? Non erat videlicet ille ita natus, vt haberet admirabilem filium, sed ita potius, vt contemptibilem gigneret: & ideò vir doctus elegit horam qua misceretur vxori. Fecit ergo fatum quod non habebat, & ex ipsius fato cœpit esse fatale, quod in eius natiuitate non fuerat. O stultitiam singularem, eligitur dies vt ducatur vxor. Credo propterea, quia potest, in diem non bonum, nisi eligatur incurri, & infeliciter duci. Vbi est ergo quod nascenti iam sydera decreuerunt? An potest homo quod ei iam constitutum est diei electione mutare? & quod ipse in eligendo die constituerit, non poterit ab alia potestate mutari? &c. Et in epistola 119. ad Ianuar. cap. 7. inquit: Eos inculpat Apostolus (Galatas quarto) qui dicunt, Non proficiscar, quia posterus dies est, aut quia luna sic fertur. Vel, proficiscar, vt prospera cedant, quia ita se habet positio syderum. Non agam hoc mense commertium, quia illa stella mihi agit mensem: vel agam, quia suscepit mensem. Non plantabo hoc anno vineam, quia bissextus est.

Mantuanus

Mantuanus etiam superstitionem illam Christianorum, qua annus Intercalaris infelix & mali ominis habetur, vt vanam & impiam his versibus in Fastis suis damnat: Mantuanus.

Nil tamen interpres cœli, nil Thuscus aruspex,
Nil magus inuenit, quod dici debeat huius
Causa mali: quod virus agat tam triste per orbem.
Quo fit vt errorem nugis vulgaribus istum
Attribui debere putem. Felicior iste
Iudice me credi debet: quia longior annus.
Scilicet in siluis arbor magis ardua fertur
Dignior: in caulis taurus præstantior alta
Cui ceruice magis caput à tellure leuatum est.
Grana magis laudant quæ sunt maiora coloni.
Hæc mala Saturno quidam tribuere, putantes
Sidus id infestum terris, discrimina in annos
Talia consuetum semper transfundere quartos.
Sicut & in febri, quam fert Saturnius humor,
Mittitur in quartum morbi violentia solem:
Sed tenebras palpant: cæcoq; errore feruntur.
Quisquis enim nescit rerum dignoscere causas,
Effectus, vt scire aliquid videatur, olympo
Imputat: ignorans istis defenditur armis.

Imò inter ipsos Ethnicos hanc vanitatem & superstitionem multi damnarunt. In Phormione ridet Comicus eos, qui ante brumam diebus decrescentibus nihil noui negotij aggredi audebant. Heraclitus quoque Hesiodum suggillauit bonos & malos quosdam dies constituentem, vt qui ignorarit cuiuslibet diei vnam eandemque naturam esse. Ac disputat Plutarchus statuendine sint aliqui dies atri, an non. Vanitatem hanc etiam superstitionemque creduli vulgi ridens Lucullus, non minus felici euentu, quàm recto iudicio, perculsos diei ominosi fortuna milites, ad insignem victoriam animauit. Ei enim, in Tigranem mox depugnaturo, subijciebant amicorum nõnulli, supersedendum pugna, quòd dies esset μία τῶν ἀποφράδων: ea quippe cum Cimbris malè pugnatum à Cepione: quibus ille, ἐγὼ ἔφη, καὶ ταύτην εὐτυχῆ ποιήσω ῥωμαίοις. Ad rem quoque militarem nihil attinere Varronem dixisse Macrobius lib. 1. Saturnal. testatur, vtrum fastus vel nefastus dies sit, sed ad solas hoc actiones respicere priuatas. Dierum obseruationem Ethnici quoque multi damnarunt.

Sed & hæc insania vel hoc quoque argumento refelli potest, quòd sæpè vnus idemque dies alijs fausius, alijs infausius extitit. Idem dies Crassum cum exercitu à Parthis deletum nouit, & Pacorum Parthiæ regem Ventidio captiuum dedit. Attalo regi Magnoq; Pompeio idem dies necem attulit, qui natalis fuerat: & Friderico 2. Imp. idem funebris fuit dies, qui imperium obtulerat. Idem dies fausius alijs, alijs infausius fuit.

Denique illijpsi in rebus agendis fuerunt infelicissimi, qui deridiculam temporum obseruationem, ac momenta singula tam euigilatè miserunt in digitos: è diuerso autem fortunæ afflatu benigniori vsi sunt, qui vanitate artis huius reiecta, prudentiæ tantum atque rationis luminibus innitendum censuere. Zoroastris scientiam inter veteres Theologos quis non nouit? Fuit is & cœlestium rerum peritia vsque ad Magiam, vt volunt quidam, pernobilis. At eundem à Nino victum bello & occisum historiæ commemorant. Athenienses à Syracusanis in Sicilia fœdè victi fugam meditabantur. Comparatis omnibus, quum postera die statuissent abnauigationem, luna noctis initio deficere visa est. Quamobrem Nicias dux admodum perturbatus, vt erat natura religionis cultor obseruantissimus, tum propter pestilentiam exercitum depascentem, ingenti deûm formidine tali portento corripi- Dies obseruantes infelicissimi.

tur, moxque accitos aruspices consuluit. A quibus responsum est, post tres sequentes dies abnauigationem oportere differri. Huic responso hi quoque qui sentiebant cum Demosthene duce, abitum omninò vrgente, religioni deûm timore maioris mali parêre coguntur. Syracusani verò cognita per transfugas eius dilationis causa, Athenienses terra marique adortos superauêre, & cepêre. Diod. lib. 13. & Plutarchus in Nicia. Pompeium hisce diuinaculis præcipuè mancipatum fuisse constat: sed quàm miser exitus, quàm non populi Romani dignus principe? Cæsar contra ista omnia contemnebat, ridebatque: læta tamen, quod ad bellorum rationem attinet, illi affulsere omnia. Manuel Comnenus Astrologiæ peritissimus Sicilienſi clade audita, in malè auspicatum classis egressum retulit omnia: & ne in posterũ simile quid accideret, Astrologorum pensitatis diligentissimè rationibus, classem nouam duce Angelo eduxit: quæ tamen & ipsa, simul ac in Siculum fretum peruenit, capta, deletaque est: Niceta auctore libro secundo: vt quæ in hanc acciderunt sententiam, alia multa omittam. Quocirca non immeritò Haly Astrologus & Ptolemæi interpres, friuolam esse atque inefficacem hanc Astrologiæ partem asserit, vt Ludouicus Viues ex Io. Pico in cap. 7. lib. 5. Augustini de Ciuit. Dei refert.

Dies Ethnicis alij fuerunt Festi, alij profesti, nonnulli intercisi.

ACCEDAMVS nunc ad alteram Dierum distinctionem. Macrobius libro primo Saturnal. testatur, Numam Dies omnes in Festos, Profestos & Intercisos distribuisse. Et Festi quidem, ex eiusdem institutione fuerunt Dijs dicati: Profesti hominibus ob administrandam rem priuatam, publicamque concessi: Intercisi autem Deorum hominumque communes sunt: hi in se, non in alia diuiduntur: illorum enim dierum quibusdam horis fas fuit, quibusdam fas non fuit ius dicere. Nam cùm hostia cædebatur, fari nefas fuit: Intercæsa & porrecta fari licuit: Rursus cum adolebatur, non licuit. Ergo de diuisione Festorum & profestorum dierum tantum in sequentibus paucis disseremus.

Fasti dies.

Ac primùm de Profestis, & qui ex eis procedunt loquemur: id est, Fastis, Comitialibus, Comperendinis, Statis & Præliaribus. Fasti erant, quibus licebat fari Prætori tria verba solennia, Do, Dico, Addico. His cõtrarij erant Nefasti. Comitiales erant, quibus cum populo agi licebat. Et Fastis quidem lege agi potuit: cum populo agi non potuit: Comitialibus vtrunque potuit. Comperendini erant, quibus vadimonium licebat dicere. Stati, qui iudicij causa cum peregrino instituebantur: sic enim Plautus in Gurgulione, Status condictus cum hoste, interceßit dies: vbi Hostem more veteri significat peregrinum. Præliares à iustis non segregat Macrobius: iusti autem erant continui triginta dies, quibus exercitui imperato vexillum rufi coloris in arce positum fuit. Præliares igitur fuerunt omnes, quibus fas erat repetere res, vel hostem lacessere.

Comitiales dies.

Comperendini dies.

Sati dies.

Præliares dies.

In festis quid actum.

In Festis autem celebrabantur Sacrificia, Epulæ, Ludi, Feriæ, Macrobio teste. Proinde Festum, vel Celebritas sacra apud Ethnicos, & Romanos præcipuè fuit, vel cùm sacrificia Dijs offerebantur: vel cùm dies diuinis epulationibus celebrabatur: vel cum Ludi in honorem Deorum agebantur: vel cùm Feriæ obseruabantur. In hoc autem secundo libro agemus imprimis de FERIIS & LVDIS, interdum etiam de SACRIFICIIS & EPVLIS.

Feriarum diuisio.

Feriarum aliæ fuerunt Publicæ, aliæ Priuatæ. Et hæ quidem vel propriæ familiarum erant, vt Claudiæ familiæ, vel Æmiliæ seu Iuliæ, seu Corneliæ: & si quas ferias proprias quæque familia ex vsu domesticæ celebritatis obseruabat. Vel erant singulorum, cuius generis fuerunt Natalium & fulgurum susceptiones: item funerum atque expiationum. Apud veteres quoque, qui nominasset Salutem, Semoniam, Saiam, Segetiam, Tutilianam, ferias obseruabat. Item Flamminica, quoties tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset Deos.

Feriæ priuatæ.

Feriæ publicæ.

Statiuæ.

Publicarum autem Feriarum genera fuerunt quatuor. Aut enim Statiuæ, aut Conceptiuæ, aut Imperatiuæ, aut Nundinæ erant. Statiuæ vniuersi populi communes fuerunt, certis & constitutis diebus ac mensibus, & in fastis, statis obseruationibus annotatæ: in

tatæ: in quibus præcipuè seruabantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptiuæ fuerunt, quæ quotannis à magistratibus, vel sacerdotibus concipiebantur, in dies vel certos, vel etiam incertos: vt fuerunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia. Imperatiuæ erant, quas Consules vel Prætores pro arbitrio potestatis indicebant. Nundinæ fuerunt Paganorum seu rusticorum quibus conueniebant negotijs proprijs vel mercibus prouisuri.

Conceptiuæ.

Imperatiuæ.

Nundinæ.

CAPVT II.

De Mensibus & Annis Ethnicorum.

DE his autem & similibus Ethnicorum Festis in sequentibus agemus, atque omnia ad Iulianum annum accommodare studebimus, quo hodie vniuersus orbis Christianus ferè vtitur. Nemo tamen hic eam certitudinem à nobis expectet, quæsita omnia concinnari & cum Iuliano anno componi possint, vt annus anno exactè & præcisè respondeat: id enim nullo modo fieri posse, omnes facilè animaduertunt, qui vel mediocriter cognitos habent annos variorum populorum, cum ingenti discrimine & multiformi ratione in obseruatione eius. Arabes enim in sui anni constitutione Lunæ tantùm motum obseruarunt, numerantes quidem duodecim menses pro anno, sed quia duæ lunationes perficiuntur diebus 59. ita suos menses partiuntur, vt vnus triginta dies, alter vigintinouem alternatim habeat. Ægyptij autem neglecto Lunæ menstruo motu, anni sui spacium computarunt Solis per totum Zodiacum circuitu, qui diebus 365. & quadrante efficitur. Hoc tempus diuiserunt in duodecim partes seu menses, singulis quidem tres dierum attribuentes decades, quæ faciunt 360. dies, euoluto igitur anno fini vltimi mensis quem Mesori vocarunt, quinque etiámnum superadijciebant dies, quadrantis diei, qui abundat supra dies illos, nulla prorsus habita ratione, vel intercalatione aliqua eius suo tempore admissa. Hebræorum autem anni forma medium iter ingreditur, sicut supra quoque indicauimus, & Theologi etiam diligenter in ea re versati confirmant, Dionysius, Augustinus, Theophilus, Cyrillus, Anatolius, Epiphanius, Beda & alij: neque enim ea Solis, neque Lunæ tota est, sed vtrique applicata: ambo nanque luminaria, ex Mosis sententia, in dies & annos à Deo data sunt: Genes. 1. cap. Nam primum quasi regulam solarem annum, qui est dierum 365. & sex horarum imitandum proponit, & menses lunares duodecim, qui faciunt dies 354. horas 8. scrupulos 876. sic huic applicat, vt cùm in anno Solari ad lunarem comparato, restent dies 10. horæ 21. scrup. 204. hunc excessum tandiu reseruat donec inde mensis vnus constituatur, quod fiebat tertio quoque anno, & cuius finem adijciebatur: vnde & propter adiectum hunc decimum tertium mensem annus ipse Embolimæus, mensis autem Embolimus dicebatur. Quia verò horæ aliquæ omittebantur in intercalatione hac, fuit opus alia intercelatione, qua illæ ad explendum annum solarem reliquis 354. diebus inserebantur, vt noua lunia cum primis mensium diebus congruerent, & æquinoctia cum solstitijs in ijsdem quasi vestigijs immota manerent.

Arabes in computatione anni lunam tantum obseruarunt.

Ægyptij.

Hebræi.

Vsi sunt hoc anno Patriarcharum etiam posteri, à quibus ad Græcos propagatus est, & ab his ad Romanos, qui eum longo tempore vsurparunt, donec ob intempestiuas pontificum intercalationes neglectus & conturbatus, à Iulio Cæsare correctus & ad hanc formam redactus sit, qua etiámnum hodie vtimur.

Hinc igitur prima ratio petitur, qua demonstratur, quam difficulter variarum gentium anni & menses cum Iuliano anno & mensibus componi possint. Nam in Arabum anno, quem Lunæ tantummodo cursu metiuntur, singuli menses per omnes anni partes, ver, æstatem, autumnum & hyemem vagantur triginta trium annorum fere spatio, vt nulli certi menses sint æstiui aut hyberni. Exempli gratia: si hoc anno mensis Almuharam, à quo

Rationes ob quas variarum gentium anni difficulter cum Iuliano anno componi possunt.

suum annum inchoare solent, incideret in initium nostri Martij, tertio ab hinc anno conueniret cum principio Februarij, & sexto cum initio Ianuarij, & sic deinceps. In Ægyptiorum autem anno, qui diei quadrantem negligebant, primi dies mensium retrò ascendebant, sic vt quinto quoque anno primus dies primi mensis, quem Θωθ nominabant, in præcedentem diem anni Iuliani transmigraret, propter neglectum diem intercalarem, ex quatuor quadrantibus collectum. Vnde ex Censorini libello de Die natali, non obscurè potest colligi, reciprocasse Ægyptijs primum diem mensis primi per viginti quinque dies, à vicesimo Iulij in vicesimum quintum Iunij. Vt igitur apud Arabes, sic etiam apud Ægyptios, longiore tamen interuallo, primus mensis per omnes anni partes transcurrit. Vnde non leuis confusio temporum nascitur.

2. *Verùm adhuc aliæ sunt difficultates. Varia enim apud diuersos populos anni fuerunt initia. Anni enim, sicut & mundi initium apud Iudæos & Ægyptios fuit ad æquinoctium autumnale primò: quod postea iussu Dei inter Hebræos translatum est in æquinoctium vernale. Romulus annum suum à Martio inchoauit: Numa verò à Ianuario. Athenienses à solstitio æstiuo, sicut & Ægyptij, si Porphyrio credimus: ea ratione, vt neomenia, quæ proxima esset his terminis, principium primi mensis anni esset. Sed hæc dierum tot intermissio, duobus plerunque annis facta, initia mensium procul vltra suos consuetos terminos abstrahebat, sic vt fixi menses esse non possent, in anno ad Lunæ & Solis motum directo. Si enim nouilunium aliquo in anno incidisset in ipsum diem æquinoctij, qui olim fuit 25. Martij: anno sequenti propter intermissos dies 11. cadebat in 14. & tertio anno propter eandem causam in 3. eiusdem mensis: nec ante annum octauum ad suum pristinum locum redibat.*

3. *His etiam illud accedit, quòd rationem Solaris anni à Cæsare constituti cæteræ nationes, quæ Romano parebant imperio, progressu temporis imitari cœperunt. Ægyptij enim bissextilem annum constituerunt, & menses Romanorum instar partiri cœperunt, aliud tantum initium anni constituentes: vt Thoth cum Septembri omninò idem efficeretur, Phaophi cum Octobri, Athyr cum Nouembri, &c. Idem sequuti sunt Græci: vt antiqua supputatio annorum & mensium, quæ fuit temporibus Platonis, Aristotelis, Theophrasti, abierit in desuetudinem, Græcis iam Romano more annos, menses & tempora supputantibus: vt Albertus Pighius refert de Ratione Paschalis celebritatis & restitutione Calendarij ecclesiastici. Quemadmodum verò certò non constat, quo tempore hæc primò facta sint, sic incertum perinde est, à quo potissimùm tempore in historijs Græcorum aliarumq; nationum, quæ hactenus à Romanis discreparunt, anni Romanorum more numerandi sint.*

3 & 4 ratio- *Adrianus Iunius his omnibus duas alias rationes addit in libro de Annis & mensibus, ob quas legitima & vera mensium Græcorum ratio difficulter iniri, & cum Romanis componi possit. Prima est, quòd Neomeniarum initia alij atque alij statuerint alia: Altera, discrepantes ac controuersæ Grammaticorum de mensibus variarum gentium inter se pugnantium sententiæ. Verba eius hæc sunt: Plutarchus, inquit, in Aristide, prælium ad Plateas commissum 14. die Boedromionis secundum Athenienses, in vicesimam sextam Panemi apud Bæotios incidere scribit: additq; neminem mirari debere eam dierum diuersitatem, quum diligentissimi quiq; Astrologi sua tempestate aliud atque aliud initium pariter & exitum mensis statuerint. Docet illud quoque Thucydides exactissimus historiarum scriptor, memorans diem induciarum inter Spartanos & Athenienses initarum, eandem esse Atheniensibus decimum quartum Elaphebolionis, cum duodecimo Gerastij apud Lacedæmonios. Præterea ex Epiphanio in Ancephalæosi de Valentiniani Iunioris morte scribente, colligere licet, quòd Maij mensis principium iuxta Ægyptiorum rationem, in vicesimum quintum Aprilis: & secundum Macedonum computationem in vicesimum tertium eiusdem incidat. Quod alterius rationis confirmationem attinet, Phauorinus Πορεισθεα sextum Athenienſium mensem scribit, & Decembrem exponit, ignarus ab Hecatombæone (qui annum illis exordiebatur) auspicanti, septimum in rationis subductione fore: eundem*

tamen

tamen Ianuarium reddit Plutarchus, vbi de traiectu Cæsaris in Macedoniam loquitur. Harpocration Rhetorici Lexici author Μαμακτηριῶνα quintum facit mensem, quum sit quartus ordine: idem rursus Ανθεστηριῶνα octauum statuendo, insigni in errore versari deprehenditur: eundem in Sylla Martium esse tradit Plutarchus. Suidas Μαμακτηριῶνα quintum esse mensem, dicitq; Romanis Ianuarium annotat, quum alio loco Γαμηλιῶνα Ianuarium, veluti sui oblitus, interpretetur. Pari ratione Μουνιχιῶνα secundum mensem facit, quum alibi Μεταγειτνιῶνα recte secundum definiat. Idem Ἀπελλαῖον Decembrem facit, quem Epiphanius perperam Augustum, & rursus alibi sui oblitus Nouembrem dicit. Vlpianus Demosthenis scholiastes Χοιροφοριῶνα vndecimum, rectius autem Suidas duodecimum illi attribuit. Iosephus quoq; secundum ex Hebræorum sententia mensem, illis Marsonanen (vt inquit) dictum, apud Macedones Δῖον nuncupari scribit, quum Galenus hunc Septembrem faciat: itaque si ab æquinoctio autumnali, quo in Septembrem incurrit, annum illi auspicantur, necesse est secundum ab eo Δῖον Octobrem, contra Galeni authoritatem reddere. Idem vsuenit in Hebræis mensibus, quorum quartum nobis Iulium vocari, septimum Octobrem scribit Hieronymus: in quo tantum exorbitat, quantum est spacium ab æquinoctio verno, vsque ad sequentis mensis initium.

Accedit ad supradictas difficultates, cur ita euariarint menses olim, quòd sacerdotes nimirum antiquitus gratificantes publicanorum rationibus, pro libidine sua vel subtraxerunt tempora, vel auxerunt, vt Solinus cap. 5. & Marcellinus lib. 26. referunt. 6.

Sed de Anno & Mensibus, eorumq; magno discrimine, & diuersissima ratione in obseruatione, multa eruditissimè scripserunt Theodorus Bibliander sacrarum literarum olim in Schola Tigurina professor, in libro De ratione temporum: Greg. Gyraldus & Adrianus Iunius in lib. De annis & mensibus: itemq; Paulus Eberus in Calendario historico, & Ioan. Lalamantius, De præcipuarum gentium anni ratione, vnde Lector petere potest, quæ hic desiderantur.

Propter has autem enumeratas aliasq; causas fieri non potest, vt omnia sic componantur, vt huius gentis annus alterius anno, mensis mensi, in primis verò dies diei præcisè respondeant. Contenti igitur esse debemus, si vtcunq; menses variarum gentium mensibus Romanis seu Iuliani anni ita aptentur & congruant, vt aliquo modo intelligere possimus, quod nam tempus anni fuerit, quo festa & similia celebrata gestaq; sint.

CAPVT III.

Mensium variarum gentium ad Romanorum seu Iuliani anni menses accommodatio.

IANVARIVS.

INCIPIAMVS autem à Ianuario: ab eo enim Romani annum suum auspicantur, idq; ex Numæ Pompilij instituto. Volunt enim quidam, ante Romam conditam, eius Italiæ partis incolas, quæ Latium dicitur, anni nullam vel paruam admodum rationem habuisse, veluti rudes & incultos populos, qui ne domos quidem ædificare, terram colere, serere aut metere nossent, sed qui semiferi glandibus vitam sustentassent, et aut in speluncis, aut magalibus frondibus virgultisq; contextis habitassent, sub Iano, Saturno & Pico regibus. Romulum igitur, condita in Latio vrbe, inter alia multa quibus Romanam rem fecerit augustiorem, temporis etiam rationem sibi habendam existimasse: proindeq; annum dies tantum trecentos quatuor complectentem, in menses decem, quorum sex tricenûm dierum, quator tricenûm singulorum essent, distribuisse: primumq; mensem genitori suo Marti dicatum Martium appellasse. Habet hæc sententia magni nominis viros patronos, Iunium Graccum, Fuluium Nobiliorem, Varronem, Macrobium, Censorinum

Latium ab initio anni nullam rationem habuit.

Romulus annum in 10. menses distribuit iuxta aliquos.

& alios: quibus etiam astipulatur Ouidius libro primo Fastorum sic canens:

Tempora digereret cùm conditor vrbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo:
Scilicet arma magis quàm sydera, Rómule noras,
Curaq́; finitimos vincere maior erat.

Sed tamen non sine ratione Romulum sic annum in menses decem digessisse, duplici ratione asserit, prioribus hæc subiungens:

Quod satis est vtero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses à funere coniugis vxor
Sustinet in vidua, tristia signa, domo.

Sed quum hic numerus dierum Romulei anni, neque Lunæ rationibus, neque Solis cursui conueniret, nonnunquam vsu veniebat, vt frigus anni æstiuis mensibus, & calor hyemalibus proueniret. Quod vbi contigisset, tantum dierum sine vllo mensis nomine patiebantur assumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mensi aptus inueniretur, Macrobio auctore lib. 1. Saturn.

Numa Pomp. annum in 12. menses distribuit.

Numa Pompilius igitur, qui Romulo proximè in imperio successit, & 43. annos regnauit, vt annum integrum ac certum constitueret, Lunæ et Solis motibus accommodatum, residuos illos dies in Romuli anno, de quibus modò diximus, in duos menses distribuit, & prioribus decem addidit, quorum alterum Ianuarium, alterum verò Februarium nominauit, huncq́; vltimum, illum autem primum anni esse voluit. Qua de re Ouidius libro 1. Fast. ita cecinit:

At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras:
Mensibus antiquis addidit ille duos. Et lib. 2. Fast.
Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis erres)
Primus, vt est, Iani mensis & ante fuit.
Qui sequitur Ianum, veteris fuit vltimus anni,
Tu quoque sacrorum Terminè finis eras.

Explicatur locus Ouidij.

Vnde simul apparet, non rectè priori loco in nonnullis exemplaribus, pro, Addidit ille duos, legi, Præposuitq́; duos, poeta enim manifestè sibi esset contrarius. Fuluius Nobilior tamen, duos hos menses non à Numa, sed à Tarquinio Prisco additos arbitratur Romuli anno. Sed Februarium vltimum fuisse mensem in Numæ anno, Varro quoq; lib. 2. de lingua Latina testatur, inquiens: Terminaliorum dies anni extremus constitutus: duodecimus enim mensis fuit Februarius. Sed & Cicero lib. 2. de Legibus hæc habet: Mensem, credo, extremum anni, vt veteres Februarium, sic hic (D. Brutus) Decembrem sequebatur. Simile quid habetur in fragmentis legum duodecim tabularum, si Lalamantio credimus, qui etiam asserit, à Decemuiris demùm, anno vrbis 303. ex vltimo secundũ constitutum Februarium, vtq́; eo mense post Terminalia alternis annis eorum dierum, qui ad annuam Solis rationem deessent, intercalatio fieret. Collegit hoc fortè Lalamantius ex Ouidio, qui lib. 2. Fastorum ita canit:

Primus enim Iani mensis, quia ianua prima est:
Qui sacer est imis manibus, imus erat.
Post modo creduntur spacio distantia longo
Tempora bis quini continuasse viri.

Sed ad hæc verba Antonius Constantius Fanensis, Rectè, inquit, dicit poeta Creduntur, quum nusquam legatur, vel Decemuiros creatos inspiciendis libris Sybillinis, vel qui creati sunt scribendis legibus, Ianuarium & Februarium coniunxisse. Credo igitur neutros id fecisse, quum & Ouidius ea de re dubitet, & neminem legerim, à quo certum aliquid tradatur.

Numa vnde sui anni formam habuerit.

Ouidius libro 3. Fastorum putat Numam hanc anni formam, in duodecim menses distributam, habuisse ex Pythagora Samio, cuius etiam auditorem fuisse Numam, & quo tempore ad

pore ad regnum Romanum vocatus sit, apud Crotonem egisse philosophiæ dantem operam, multi volunt: sic enim canit ille,

Primus oliuiferis Romam deductus ab aruis
Pompilius menses sensit abesse duos.
Siue hoc â Samio doctus, qui posse renasci
Nos putat: Egeria siue mouente sua. Eadem refert Metam. 15.

Sed, vt Dionysius Halicarnass. lib. 2. inquit, temporum ratio hoc non patitur: quandoquidem non paucis annis, sed totis quatuor ætatibus Pythagoras fuit Numa posterior. Nam hic circa medium Olympiadis 16. Romæ regno potitus est: Pythagoras verò post Olympiadem 50. demùm docuit in Italia. Imò nondum erat Crotoniensium vrbs quando Romam ad regnum accitus est Numa: integro enim quadriennio post assumptum à Numa principatum Myscelus eam condidit, Olympiadis 17. anno 3. Vnde satis apparet eum nec potuisse assectari Pythagoram qui quatuor post ætatibus exactis floruit: neq; Crotone degere quum ad regnum vocaretur, quæ nondum condita fuerat. Confutatur etiam hæc opinio à Liuio lib. 1. & à Solino cap. 21. vbi dicit, Bruto demùm Consule primo, Pythagoram in Italiam venisse. Cicero autem lib. 4. Thusculan. quæst. indicat, vnde sit creditum Numam Pythagoræ fuisse discipulum. Arbitror, inquit, propter Pythagoreorum admirationem, Numam quoq; Regem Pythagoreum à posterioribus existimatum. Nam quum Pythagoræ disciplinam & instituta cognoscerent, regisq; eius æquitatem & sapientiam à maioribus suis accepissent, ætates autem & tempora ignorarent propter vetustatem, eum qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuisse crediderunt. Pythagoras post Numani vixit.

Licinius Macer autem, Fenestella, Plutarchus & alij putant, habuisse Romanos sub Romulo quoq;, perinde vt alias multas gentes, duodecim menses. Philippus Melanthon etiam in suis ad librum 1. Fastorum Ouidij Annotationibus, falsam esse dicit opinionem, quòd Romulus decem tantùm habuerit menses: sed quia Numa anni principium mutarit, propterea dici duos menses addidisse. In eo tamen fallitur, quòd asserit apud omnes gentes à principio mundi vsq; fuisse duodecim menses: nam vt Macrobius refert lib. 1. Saturnal. Arcades vel, vt Plutarchus in Numa indicat, barbari quidam annum suum tribus, Arcades autem quatuor mensibus explicuerunt, & Acarnanes sex. Suffragari huic sententiæ videtur, quòd Macrobius eodem libro dicit, si contigisset, vt ob lunares Romuli menses, frigus anni æstiuis mensibus, & è contra calor hyemalibus proueniret, tunc ad finem anni tantum dierum sine vllo mensis nomine passos fuisse assumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mensi aptus inueniretur. Ecce concedit; ad decem Romuli annos dies aliquot, & quidem non paucos, in fine anni assumptos, solùm negat mensis alicuius nomine eos notatos fuisse. Id verò manifestè Plutarchus attestatur, qui in Numa inquit: πρῶτον τὸν Ἰανουάριον ἔταξε Νουμᾶς, ὃς ἦν ἑνδέκατος ὑπὸ Ῥωμύλου, δωδέκατος δὲ καὶ τελευταῖος ὁ Φεβρουάριος, ὃν νῦν δεύτερον λέγουσι: Primum Ianuarium ordinauit Numas, qui erat vndecimus sub Romulo, vndecimus autem & vltimus Februarius, quo nunc secundo vtuntur. Plutarchi igitur sententia est eodem loco, duodecim menses lunares ordinasse Romulum, Numam autem ad Solis cursum accommodasse illos. Certè credibile non est, Romulum adeò rudem & stolidum fuisse, vt meliorem anni formam constituere nequiuerit, quàm priores illi tribuunt ei. Nam vt Plutarchus in vita eius refert, καὶ γράμματα λέγουσι καὶ τἆλλα μανθάνειν οἱ παῖδες (Romulus & Remus) εἰς γαβίας κομιδῆ ὄντες, ὅσα χρὴ τοὺς εὖ γεγονότας. Quocirca dubium non est, quin philosophiæ operam dederit Romulus, & astrologicæ disciplinæ, quæ tum quidem vbiuis gentium frequentissimo in vsu fuit, non expers fuerit. Equidem ad Reipub. optimæ formam constituendam, & ad regendam multitudinem, suarumq; clientelarum honestissimo vinculo continendam, ciuilis prudentiæ tantùm ei fuit, quod inter omnes constat, quantum in vllo veterum vrbium conditore, vel sapientissimo eruditoq; homine esse potest. Fundamenta iecit eius ciuitatis, cui & aliæ postea omnes cessere, & tantum tribuêre, sola vt ad imperium & leges orbi terrarum dandas condita vide- Romulus in suo anno etiam 12. menses habuit, sed lunares.

retur. Sparsit legum semina, ex quibus ea deinde Iurisprudentia enata est, qualem nullus vnquam alius habuit populus, & quam solam esse omnes fatentur, quæ ad regendas Respublicas sit satis. Quis igitur crederet, hunc ipsum eam anni formam admissurum fuisse, quæ frigus æstiuis mensibus, & contra calorem hyemalibus sæpissimè induceret? Adhæc, Lupercalia, quibus vrbs februabatur, hoc est, expiabatur, ante Numam, proindeq; etiam Februarius mensis, cui nomen à Februis istis est, fuisse videntur, sicuti in huius festi descriptione pluribus indicabitur.

Numa ordinē mensium mutauit tantum.

Plutarchi etiam sententia fuisse videtur, quòd Numa mensium ordinem tantum mutarit, & vtrunq; Ianuarium & Februarium, principio anni adiecerit. Sic enim in eius vita scribit: Μετεκίνησε δὲ καὶ τοὺς τάξιν τοῦ μηνῶν: τὸν γὰρ μάρτιον πρῶτον ὄντα, τρίτον ἔταξε: id est, mutauit & mensium ordinem: Martium enim, qui primus erat, tertium fecit, &c. Quod si Februarium ad finem præcedentis anni reliquisset, & Ianuarium solum à principio ordinasset, non tertius vtique Martius, sed secundus fuisset mensis. Macrobius etiam lib. 1. Saturnal. ita scribit: Iulius, quum secundum Romuli ordinationem Martio anni tenente principium, Quintilis à numero vocaretur: nihilominus tamen etiam post præpositos à Numa Ianuarium ac Februarium retinuit nomen, &c. etsi paulò antè aliter eum scripsisse sciam.

Ianuarius cur primus mensis 1.

Rationes autem ob quas Ianuarium principem mensem fecit, & ab eo annum inchoari voluit, à varijs variæ afferuntur. Quidam volunt hoc propterea factum, quòd Calendis Ianuarijs, exactis Regibus, primi Consules Romæ creati fuerint. Verùm hæc ratio non probatur. Numa enim, qui hoc constituit, anno vrbis conditæ 39. seu anno 3. Olympiadis 16. regnare cæpit: quum exacti sint demùm Reges, & Respublica cum Coss. cæperit anno vrbis 244. & quarto, Olymp. 67. Tempora igitur non congruunt.

2. Alij naturali ratione adductum Numam hoc ordinasse dicunt. Quum enim Ianuarius proximè solstitium hybernum sequatur, huiusmodi principium secundum naturam quodammodo est, quo & dierum lux accrescit, & tenebræ minuuntur, omniaq; reuiuiscunt. Vnde quum Ouidius quæreret, cur Numæ annus inchoaret in Bruma, aut circa, & non potius in vere, quum id tempus anni principio magis conuenire videatur, quòd verno tempore omnia floreant, & renouentur, ipsaq; tellus nouam quasi faciem induat, ita respondet lib. 1. Fast.

Bruma noui prima est, veterisq; nouissima Solis:
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Sic etiam Plutarchus in Quæstionibus, quæst. 18. Numam inquit Ianuario inter menses principatum dedisse, ac principium anni sumpsisse, naturæ, quantum ad nos attinet, consentaneum. Quamuis enim eorum quæ in circulo circumferuntur, nihil sit vel primum natura, vel extremum: optima tamen lege factum inquit, vt post hybernum tropicum annus inchoetur: quum naturale quodammodo huiusmodi principium fiat, quo lucis tempus nobis augetur, & tenebrarum seu noctis minuitur: & princeps ipse, ac totius substantiæ fluxæ author propius accedit. Hæc autem ratio ægrè consistere potest, si Numa Februarium vltimum constituit mensem. Est enim hybernum solstitium in Decembri, ideoque totus mensis inter solstitium & anni principium interceßisset.

Primus anni mensis Ianuarius cur dicatur.

Ianus quis.

Primum autem mensem anni sui Numas Ianuarium appellauit, à Iano, quem ferunt, vt Arnobius testatur, Cælo & Hecate procreatum, in Italia regnasse primum, Ianiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, & Iuturnæ maritum. De quo posteritas inter Deos relato multa fabulosa tradidit. Festus enim Ianum Chaos fingit fuisse, & inde nomen sortitum esse. Chaos, inquit, ex eo quòd χάινειν Græci, id nos hiare dicimus: vnde Ianus, detracta aspiratione, nominatur, id quod fuerit omnium primum, cui primò supplicabant veluti parenti, à quo rerum omnium factum putabant initium. Hanc ob causam sine dubio Numas quoq; annum ab eo auspicari voluit, quin eum anni Deum & principem constituit.

Iani forma.

A quo tempore etiam varijs eum formis effinxerunt. Alij enim formarunt ipsum, in dextra manu tenentem clauem, vt temporis principium, ac anni recluſorem, ianitoremq;: alij verò in dextra

in dextra 300. sinistra autẽ 65. continentem, vt annum significaret, Suida auctore, Macrob. & Plinio: non quòd has numerorum notas Ianum in manibus habuisse intelligas, sed quòd eum numerum per manuum articulos expresserit. Ex Plinij enim verbis lib. 34. & Macrobij Saturn. lib. 1. intelligimus planè, sic Ianum figuratum fuisse, vt manibus & digitis, hoc est, eo numerandi ordine qui per articulos manus fit, ab vnitate vsq; ad 99. manu sinistra numeratur: à centenario verò numero dextra computatur. Nonnulli etiam Deum hunc bicipitem formarunt, quòd is transacti anni finem respiceret, & principia futuri prospiceret. Quamuis Ouidius lib. 1. Fastorum huius formæ alias rationes reddat. Sed hæc per digressionem dicta sint, nunc ad propositum redeamus.

Respondet huic mensi Hebræorum טבת *Tebeth, qui ordine apud eos est decimus, incipiendo à Nisan, qui in Aprilem vt plurimùm incidit, sicut mox indicabitur. Mentio huius mensis & eius ordinis fit Hest. 2. cap. vbi sic legitur: Ducta est itaq; Hester ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth.* Ianuario respondet mensis Tebeth.

Eundem Athenienses Γαμηλιῶνα *nominarunt, vt vult Gaza: alij enim Octobri conferunt. Nomen habet à nuptialium dierum festiuitatibus:* Γαμήλια *enim significant festa, celebritates & conuiuia nuptialia: vnde & Iunoni nuptiarum Deæ sacrum eum esse volunt. Refert Phauorinus Cecropem Gamelióna mensem, & Gameliam Iunonem Athenis statuisse: quod & Charax scripsit. Hunc autem Athenienſium mensem Ianuario nostro respondere, ex Theophrasto intelligi potest, qui lib. 5. de Nat. anim. cap. 17. inquit: Secundæ (sementis) principium est mense Gamelione post solstitium hybernum. Vnde apparet Gamelionem primum esse post hybernum solstitium mensem. Ex Aristotele idem colligitur, ex quo simul etiam liquet, eum præcedentis mensis Decembris, Romani anni respectu, dies aliquot habere: ait enim lib. 1. Metheor. cap. 6. apud Athenienses Cometam esse visum mense Gamelione, quum Sol in Brumæ esset solstitio.* Γαμηλιών.

Refert Alexand. lib. 3. cap. 24. Athenienſibus, vt Ianuarius, & prima vltimáq; dies cuiusq; mensis, DEMETRII *nomine appellaretur, aliquando lege cautum fuisse, quum Demetrio Poliorceti, à quo liberati fuerant à iugo Macedonum, plus nimio indulgerent & famularentur.* Ianuarius Demetrius dictus Athenien.

Macedones Αυδναῖον *vocant. Sic enim Suidas:* Αὐδναῖος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσι, ὁ Ιανουάριος: *dicitur ijsdem* Νυχιών. Αυδναῖος.

Ægyptij Τυβὶ *appellant, iuxta Theonem. Auctor Epigrammatis quod habetur in fine lib. 1. Epigrammat. Græcorum, vtcunq; conferens menses Ægyptiorum cum Romanis, de hoc ita scribit: Pandit Tybi togas, & tinctas murice vestes. Consentit cum his Epiphanius, qui contra hæresin ἀνοήτων & Alogorum, de Christi natali sic scribit: Nato Christo secundum Ianuarium mensem, hoc est, ante 8. Idus Ianuar. quæ est quinta Ianuarij mensis secundum Romanos: secundum Ægyptios,* Τυβὶ *vndecima. Iuxta Syros siue Græcos* Αὐδναῖος *sexta. Iuxta Cyprios siue Salaminios, quinti mensis quinta die. Iuxta Paphios, Iulij 14. Iuxta Arabes* Αλέων *21. Iuxta Cappadoces* Απάρτα *13. Iuxta Hebræos, Thebeth 13. Iuxta Athenienses* Μαιμακτηριὼν *sexta. In eo solùm errare videtur, quòd Mæmacterionem Ianuario confert, vt suo loco dicetur.* Τυβὶ.

Iones Λιναιῶνα *dixere hunc mensem. Meminit eius Hesiodus lib. 2. de Operibus & diebus: vbi simul ea de hoc mense refert, quæ Decembri, & Ianuario in primis competere videntur: sic enim canit:* Λιναιῶνα.

Μηνὸς δ' Λιναιῶνα, καὶ ἱερτὰ, βέλτερα πάντα,
Τῶν ἀλεώμενος, ὃν πατέρες αἴτ' ὀπὶ γαῖαν
Πνοιὰς Βορέαο δυσηλεγέας τελέσωσι,
Ὅς τε διὰ θρήκης ἱππόβοτον εὐρεῖαν πόντον
Ἐμπνείων ὄρινε, μέμυκε δὲ γαῖα καὶ ὕλη.
Πολλὰς δ' ἐλάφους ἐλάφοις τε παχείας,
Οὔρεσι δ' ἐν βήσσῃς πιλνᾶ, χθονὶ πυκνὸν ἐείρῃ

Ἐμπίπλων. Ἐν πᾶσα βοᾶ τότε νήεικος ὕλη.
Θῆρες ὀρεσσίβοται ἐρεὰς δ' ἐπὶ μέζε ἔδηνε.
Τὸν καὶ λάχνη δέρμα κατάσκιον, ἀλλὰ νυ καὶ τῷ
Ψυχρὸς ἐὼν δύσηισι δασυστέρνων περ ἐόντων.
Καὶ τε δύσ' ῥινὸν βοὸς ἔρχεται, ἐν δὲ μιν ἴσχει
Καὶ τε δι' αἰγὰ ἄησι ταυύξιχα, πώεα δ' ἔπι
Οὔνεκ' ἐπηετανοὶ ξίφος αὐτῶν, ἐν δύσηισιν
Γὰς ἀιέμεν βορέαο: ξοχαλὸν ὄ γέρσην πίθησι. *Id est:*
Mensem verò Lenæona, malos dies, bobus nocentes omnes,
Hunc vitate: & glacies, quæ quidem super terram
Flante Borea molestæ existunt,
Qui per Thraciam equorum altricem lato mari
Inspirans concutit, remugit autem terra & sylua.
Multas verò quercus alticomas, abietesq; densas,
Montis in vallibus deijcit, terræ multos pascenti
Incumbens, & omnis reboat tunc ingens sylua.
Feræ autem horrent, caudasq; sub pudenda ponunt:
Ea etiam, quarum vellere cutis densa est, & quas
Frigidus existens perflat, hirsuta licet pectora habentes.
Quin etiam per bouis pellem penetrat, neq; ipsum cohibet, &c.

Item: ——— Μεὶς γὰρ χαλεπαίνει τε καὶ
Χειμέριος: χαλεποὶ τροβάτοις, χαλεποὶ δ' ἀνθρώποις.
——— *Mensis enim difficillimus hic*
Hybernus: difficilis ouibus, difficilisq; hominibus.

Hinc Moscopulus & Ioannes Grammaticus Λιωαιῶνα *Ianuarium exponunt. Proclus in hunc ipsum Hesiodi locum annotat, à Boeotijs* Λιωαιῶνα *vocari, quum Sol in Capricornum ingreditur, & testem adducit Plutarchum. Putat etiam poetam eo loco* βέκατον *intelligere, quòd* βδόμαν *ipse vocat, propterea quòd plures boues eo mense intereant: vel* τὸ ἔρμαιον, *ait, innuit, ὅς ἐστι μετὰ τὸν βδόμαν, καὶ εἰς ταυτὸν ἔρχεται τῷ Γαμηλιῶνι. Rationem autem, ob quam mensis hic sic dicatur, talem ijdem reddunt, quòd Baccho seu Dionysio Lenæo, à torcularibus sic dicto, festiuitas hoc mense ageretur, quæ* Λιώαιον *nominabatur: vel* Ἀνθεστήρια, *iuxta Moscopulum, qui ita scribit:* Λιωαιὼν ὅτι ὁ Ἰανουάριος. ἐκλήθη δ' ἔτως, ἐπειδὴ τῷ Διονύσῳ τῷ πρὸ Λιωαιῶνος ἑορτὴ τελεῖν ἑορτὴν τῷ μετὰ τοῦτον μῆνι Ἀνθεστήριαν ἐκάλουν. *Ioannes autem Grammaticus inquit,* Ἰανουάριος Λιωαιὼν ὑπὸ Ἰώνων καλεῖται, ὅτι τὰ Πανδιονία ἐν τούτῳ ἐγίνετο. Ἢ ὅτι τῷ Διονύσῳ ἑορτὴν ἦν τῷ μετὰ τοῦτον μῆνα Ἀνθεστήριαν ἐτέλουν: ἢ ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται Βρουμάλια: Βρῦμος γὰρ παρ' αὐτοῖς ὁ Διόνυσος.

FEBRVARIVS.

Februarius vnde dictus.

FEbruarius, de quo in Ianuario quædam diximus, dictus est, quòd in eo populus per duodecim continuos dies februaretur, id est, purgaretur. Quæcunq; enim purgamenti causa in sacrificijs adhibebantur, Romani Februa appellarunt: & quod purgatum fuerat, februatum: deducto à Sabinis vocabulo, qui, Varrone teste, purgamentum februum dicunt. Sed & de Februis, & de etymologia Februarij mensis Ouidius lib. 2. Fast. ita canit.

Februa.

Februa Romani dixere piamina patres:
Nunc quoq; dant verbo plurima signa fidem.
Pontifices ab rege petunt & flamine lanas,
Quis veteri in lingua Februa nomen erat.
Quæq; capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra, vocantur idem.

Nomen

Nomen idem ramo, qui cæsus ab arbore pura,
Casta sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipse ego flaminicam poscentem februa vidi,
Februa poscenti pinea virga data est.
Deniq; quodcunq; est, quo corpora nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat auos.
Mensis ab his dictus, sancta quia pelle Luperci
Omne solum lustrant, idq; piamen habent.
Aut quia placatis sunt tempora pura sepulchris,
Tunc cum ferales præteriere dies.

Hinc & Iuba Mauruſius hunc menſem Februarium vocari aſſeruit, ob timorum abſolutionem à ſubterraneis timoribus. Sic enim Athenæus lib. 3. ſcribit: τὸν μῆνα φεβρουάριον πληθύνειν φησίν, ὁ Μαυρούσιος Ἰόβας, ἀπὸ τῆς κατὰ ᾅδου φόβων κατ' ἀναίρεσιν τῆς δεισιδαίμονος.

Potuit & Iuno Februata nomen Februario dare, quam & Februalem, & Februllam vocabant, teſte Feſto. Ei enim hoc menſe rem diuinam faciebant: eiusq; feriæ erant Lupercalia, quibus mulieres februabantur à Lupercis, amiculo Iunonis, hoc eſt, pelle caprina. Iuno Februata

Hebræis hic menſis dicitur שבט *Sebat: cuius 1. Machab. cap. 16. & vltimo, itemq; Zachar. 1. fit mentio.* Sebat.

Quòd autem Ελαφηβολιῶν *apud Athenienſes ſequatur* Γαμηλιῶνα, *ſitq; adeò vltimus menſium hybernorum, ex Thucydide colligitur, qui lib. 5. hiſt. indicat, Pacem inter Athenienſes & Lacedæmonios in annos 50. initam,* Ελαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος, τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι γενέσθαι, *hoc eſt, ſexto die Elaphebolionis deſinentis: ſub hyemis finem & vere ineunte. Dicitur ſic,* ἀπὸ τῆς ἐλάφων, *hoc eſt, à ceruis, non, vt volunt quidam, quòd eis hoc menſe cornua decidant, ſed, vt Plutarchus docet in libello de Mulierum virtutibus,* ἀπὸ τῆς ἐλαφηβολίας, *id eſt, à figendis ceruis, qui in feſto, quod hoc menſe celebrabatur Dianæ* ἐλαφηβόλῳ, *immolabantur.* Ελαφηβολιῶν.

Macedones eundem Πεῖπον *appellarunt, iuxta Suidam & Ioſephum.* Πεῖπος.

Lacedæmonij Γεραίσιον, *vel* Γεράσιον *teſtimonio Thucydidis lib. 4. vbi ſcribit, diem induciarum inter Lacedæmonios & Athenienſes initarum eundem eſſe Athenienſibus decimum quartum* Ελαφηβολιῶνος *cum duodecimo* Γεραισίου *apud Lacedæmonios.* Γεραίσιος.

Ægyptij Μεχείρ. *De quo ſic in Epigrammate: Signa Mecheir præbet naues committere ponto. Cyprij* Ῥωμαῖον. *Troëzenij* Γεραισίωνα. Μεχείρ.

Germani Hornung: *à mutatione cornuum.* Hornung.

MARTIVS.

ROmulus diebus circiter 20. ante Æquinoctium vernum annum ſuum inchoauit, non quidem, ſicut mihi videtur, vt Hebræos, qui inde quoq; annum ſuum auſpicantur, imitandos arbitraretur, vt quibuſdam placet, ſed quia ab eo tempore omnia nouam quaſi faciem induunt et quodammodo reuiuiſcunt, inde ſe quoq; commodè anni principium facere poſſe exiſtimauit. Vnde Ouidius ſic cecinit: Romulus cur annum ab æquinoctio verno inchoarit.

Omnia cùm virent, tunc eſt noua temporis ætas.
Sic annus per ver incipiendus erat.

Primum autem anni menſem Marti dicauit, quem pro genitore ſeu parente habuit. Hinc Ouidius lib. 3. Faſt. Martius olim primus menſis.

A te principium Romano ducimus anno,
Primus de patrio nomine menſis erit.

Adhæc nomina menſium Quintilis, Sextilis, Septembris, & ſic vſq; ad Decembrem, qui eſt decimus & vltimus à Martio, ſignificant Martium fuiſſe primum.

Martio M. olim diuersimodè vsi sunt.

Vsi quidem sunt ante Romulum quoque in Latio hoc mensis nomine, verùm non pro primo, sed vel pro tertio, vt Albani, Aricini & Tusculani: vel quarto, vt Forenses: vel quinto, vt Phalisci & Laurentes: vel pro sexto, vt Hernici: vel decimo, vt Equiculi. Sic enim Ouidius lib. 3. Fast.

Quod si fortè vacas, peregrinos inspice fastos:
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliscis,
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos, Albanaq; tempora constat,
Factaq; Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Equiculus acer,
A tribus hunc primum turba Forensis habet.

Proinde non vsquequaq; verum est, quod Festus Pompeius scribit, Martium mensem initium anni fuisse & in Latio, & post Romam conditam.

Adar.

Respondet autem, non quidem præcise, sed magna ex parte tamen, Martio Hebræorum vltimus mensis אדר *Adar: cuius est frequentissima in sacris literis mentio.*

Μυνιχιών.

Athenienſibus dicitur Μυνιχιών, *à sacris quæ in eo fiebant Dianæ, quæ dicebatur Munichia, à portu Athenienſium munitissimo, in quo fanum Deæ habebat. Fuisse autem hunc mensem decimum Atticorum, Harpocration, & ex eo Suidas referunt. Martio verò congruere ex Theophrasti lib. 7. cap. 1. haud obscurè intelligitur: quia dicit, principium tertij satus ab Æquinoctio verno, Munichione contingere. Aristoteles etiam lib. 5. cap. 11. hist. animal. scribit, pisces circa æquinoctium parere, ac plurima parte tribus his mensibus, Munichione, Thargelione & Scirophorione, hoc est, Martio, Aprili & Maio, vt interpres reddidit. Ex Æschinis quoq; Oratione de Falsa legatione, liquet, Elaphibolioni succedere in mensium ordine Munichionem.*

Ανθεστηριών vernus mensis.

Eundem mensem Attici Ανθεστηριῶνα *dixisse videntur: Philostratus enim vernum esse mensem, & denominatum ita scribit* ὥδα τὴν ἀνθῶν, *hoc est, à floribus, quibus Athenienses pueros trimos coronarint mense Anthesterione. Cui astipulatur etiam Ister apud Harpocrat. qui hunc mensem sic vocatum tradit,* διὰ τὸ πλεῖστα τῆς ὡραίας ἀνθεῖν τότε. *Demosthenes quoque in Oratione* περὶ στεφάνου, *iubens recitare legem, æditam sub sacerdote Clinagora* ἐαρινῆς πυλαίας, *hoc est, vernali concilio, mox iubet legere tempora, vt quo hæc sit lex ædita mense intelligatur: & verba hæc sunt recitata,* Ἄρχων Μνησιθείδης, μηνὸς Ανθεστηριῶνος ἐκτῃ ἱσταμένου, *&c. Omnium autem manifestissimè suffragatur nostræ sententiæ Plutarchus, qui de Sylla in vita eius sic scribit:* ἑλεῖν γὰρ τὰς Ἀθήνας αὐτὸς φησιν ἐν ὑπομνήμασι, Μαρτίαις καλάνδαις, ἥτις ἡμέρα συμπίπτει μάλιστα τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Ανθεστηριῶνος μηνός: *id est, Captas à se Athenas ipsemet (Sylla) in Commentarijs ait Calendis Martijs, qui dies ferè in nouilunium Anthesterionis mensis incidit. Idem author Sympos. 8. hæc habet: Vinum (inquit) qui bibunt citissimè, Anthesterione hoc faciunt mense,* QVI HYEMEM SVBSEQVITVR. *Respicit autem ad id quod in χόων festo mox dicturi sumus. Rursus tamen in fine Arati, quasi sui oblitus, ait:* ἡμέρα πέμπτη Δαισίου μηνός, ὃν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν Ανθεστηριῶνα: *quibus vtiq; Anthesterionem non Martio, sed Iunio confert, sicut etiam Suidas, fortè à Plutarcho seductus: nisi pro* Δαισίου *legendum sit* Δυστρου. *Appianus etiam lib. 2. de Bello Ciuili indicat* τελευτήσαι τὸν Καίσαρα ἐν ἡμέραις αἷς καλοῦσιν εἰδοῖς μαρτίαις, Ανθεστηριῶνος μάλιστα μέσου. *Cumq; Thucydides quoque lib. 2. testetur, Dionysia antiquiora, quæ Plutarchus in Demetrio Mysteria minora vocat, celebrata Athenis die 10. Anthesterionis: idemque rursus lib. 5. referat, Dionysia eadem sub finem hyemis, & initium veris habita, fit, vt ob hæc testimonia euidentissima eorum sententiæ subscribendum arbitrer, qui* Ανθεστηριῶνα *pertinere ad vernales menses, & quidem Martio respondere existimant: Nam Plutarchus in libro de Osiride, Veris initium esse dicit in nouilunio mensis Phamenoth, quem omnes cum Martio conferunt. Quibus hæc ratio quoque*

addenda

addenda videtur, Quòd Pithægia menſe Antheſterione poſt flatum Fauonij celebrata ſunt, vt ex Plutarcho ſuo loco referemus: eſt autẽ Fauonius non hybernus, ſed vernalis ventus, à fouendo Latinis dictus, quòd cuncta foueat: Græcis autem ζέφυρος, quaſi ζωὴν φέρων, hoc eſt vitam afferens, vtpote quo plantæ, hyberno frigore enectæ, reuiuiſcant. Non multùm à nobis diſſentit Macrobius, qui lib. 1. Saturnal. ca. 12. quum dixiſſet, Aprilem dici quaſi Aperilem, ſubiungit, Sicut apud Athenienſes idem menſis Ἀνθεστηριὼν vocatur, ab eo quòd hoc tempore cuncta floreſcant. Hunc ſequutus Ioannes Baptiſta Pius cap. 65. Annotationum poſteriorum aſſerit, Θαργηλιῶνα à quibuſdam Græcorum Ἀνθεστηριῶνα etiam, à copia florum, qui eo menſe proueniunt, dictum eſſe: vendicat enim Antheſterion ſibi ex Aprili noſtro dies aliquot.

Ptolemæus lib. 7. pag. 169. Antheſterionem Ianuario opponit: quod & Harpocration ac Suidas faciunt, dicentes eum eſſe octauum menſium Atticorum.

Hunc ipſum Antheſterionem Plutarchus Πεοστατήριον, id eſt, vntiatorem & auſpicem nominatum dicit, quòd relinere vini dolia, muſtumq; delibare hoc menſe conſueuerint.

Suidas inquit: Δύστρος ὁ Μάρτιος μὴν παρὰ Μακεδόσιν. Ioſephus quoque lib. 4. Antiquit. cap. 6. itemq; lib. 11. cap. 4. Dyſtrum dicit Macedonibus eundem eſſe menſem, qui Iudæis Adar, Δύστρος.

Ægyptij φαμενὼθ vocant. Sic enim Euſebius lib. 7. cap. vltimo, ex ſententia Anatholij Laodiceni ait, viceſimam ſecundam diem Diſtri menſis, ſecundum Macedones, eſſe 26. diem menſis Phamenoth ſecundum Ægyptios, & 11. Calend. April. ſecundum Romanos. De φαμενὼθ in Epigram. ſic habetur: Armigeri iactat Phamenoth inſignia Martis. Φαμενὼθ.

Porphyrius Cyprios hunc menſem Ἀφροδίσιον appellaſſe refert, quaſi Venereum: quòd omne genus animalium, vt ego quidem ſuſpicor, hoc menſe magis quàm alijs ad Venerem ſit procliue. Vnde & Iſidorus Hiſpalenſis lib. 5. Originum, cap. 33. & Honorius Auguſtodunenſis, apud Romanos Martio nomen datum volunt, quòd eo tempore cuncta animantia ad marem agantur, & concumbendi voluptatem. Ἀφροδίσιος.

Confirmantur hæc omnia Anatolij verbis in lib. de Paſchate, vbi ſic ſcribit: Eſt ergo in primo anno initium primi menſis, quod eſt 19. annorum circuli principium, ſecundum Ægyptios quidem menſis φαμενὼθ 26. die: ſecundum Macedones Δύστρου menſis 22. ſecundum Romanos verò 11. Cal. April. Ex quibus ſimul liquet Martij & Dyſtri menſium idem principium habere: & ab eis Phamenoth 4. diebus tantum diſcrepare.

APRILIS.

ROmulus ſecundum in anno ſuo menſem, qui nobis eſt quartus, nominauit Aprilem, vt quidam putant, cum aſpiratione, quaſi Apherilẽ, à ſpuma, quam Græci vocant ἀφρὸν, vnde orta Venus creditur. Hinc, vt Varro refert, Fuluius & Iunius Gracchus à Venere hunc menſem nominatum volunt. Et hanc Romuli aſſerunt fuiſſe rationem, Macrobio teſte lib. 1. Saturn. vt primum quidem menſem à patre ſuo Marte, ſecundum ab Æneæ matre Venere nominaret, quò hi potiſſimùm anni principia ſeruarent, à quibus eſſet Romani nominis origo. Sic enim de Romulo Ouid. lib. 4. Faſt. Aprilis vnde dictus.

Vtq; fero Marti primam dedit ordine ſortem,
Quòd ſibi naſcenti proxima cauſa fuit:
Sic Venerem gradibus multis in gente receptam,
Alterius voluit menſis habere locum.

Alij putant Romulum vel altiore prudentia, vel certi numinis prouidentia, ita primos ordinaſſe menſes, vt cùm præcedens Marti eſſet dicatus, Deo plerunq; hominum necatori, ſecundus Veneri dicaretur, quæ vim eius, quaſi benefica leniret. Cingius autem, auctore Macrobio in Satur. in eo libro quem de Faſtis reliquit, ait, imperitè quoſdam opinari Aprilem

mensem antiquos à Venere dixisse: cùm nullus dies festus, nullumq; sacrificium insigne Veneri per hunc mensem à maioribus institutum sit. Posterioribus enim temporibus demùm constitutum, vt hoc mense matronæ sacrum facerent, Verrio Flacco apud Macrobium teste. Sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris vlla, vt cæterorum cœlestium, laus celebratur. Cingio etiam Varro consentit, affirmans lib. 2. de Latina lingua, nomen Veneris in antiquis literis se nusquam inuenisse: imò ne sub Regibus quidem apud Romanos, vel Latinum vel Græcum fuisse: & propterea non potuisse mensem à Venere nominari. Cùm igitur ferè ante æquinoctium vernum triste sit cœlum & nubibus obductum, sed & mare nauigantibus clausum, terræ etiam ipsæ aut aqua, aut niuibus, aut pruina contegantur, eaq; omnia circa hunc mensem aperiantur: arbores quoq;, nec minus cætera quæ continet terra aperire se in germen incipiant: propterea ipse putat, mensem Aprilem dici, quasi Aperilem. Hanc autem sententiam vellicat Ouidius lib. 4. Fast. dicens:

Quò non liuor adit? sunt qui tibi mensis honorem
Eripuisse velint, inuideantq; Venus.
Nam, quia Ver aperit tunc omnia, densaq; cedit
Frigoris asperitas, fœtaq; terra patet,
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Quem Venus iniecta vendicat alma manu.

Neroneus mensis.

Hic postea à Romanis aliquandiu Neroneus dictus est, à Nerone Imperatore.

Nisan.

Hebræi hunc mensem, aut saltem magnam eius partem ante Babylonicam captiuitatem Abib, post eam verò, ad Chaldæorum imitationem, Nisan appellarunt, qui ipsis in anno fuit primus, quemq; à nouilunio æquinoctij Vernalis inchoarunt.

Ξανθικός.

Eundem etiam & primum esse anni Hebraici mensem, & à Macedonibus Ξανθικὸν appellari, Iosephus Antiquit. lib. 1. cap. 5. his verbis testatur: Moses Nisan mensem, qui est Xanthicus, primum in festiuitatibus definiuit, in quo ex Ægypto Hebræos eduxit. Lib. 2. cap. 13. inquit: Deus iussit Mosem præcipere populo, vt essent instructi decima die Xanthici mensis ad quartam decimam, qui mensis apud Ægyptios quidem Pharmuti, apud Hebræos autem Nisan vocatur, Macedones verò Xanthicum eum appellant, &c. Rursus libro 3. cap. 12. sic scribit: Inchoante anno secundo, mense Xanthico secundum Macedones, Nisan verò secundum Hebræos, &c. Eiusdem libri cap. 13. ait: Mense Xanthico, qui apud nos Nisan appellatur, id est, anni principium, quarta decima luna, Sole opposito in ariete, quo mense liberati sumus à seruitute Ægyptiorum, sacrificium quod tunc egredientes ex Ægypto fecerunt, immolare nos annis singulis (quod Pascha dicitur) celebrareq; sanciuit. Vide etiam lib. 11. cap. 4. Suidas quoque & Euagrius historiæ Eccles. ast. lib. 4. cap. 9. Ξανθικὸν Aprilem interpretantur.

Θαργηλιών.

Huic mensi respondere Athenienſium Θαργηλιῶνα, ex ijs patet, quæ ante in Manychione ex Aristotelis lib. 5. histor. cap. 11. retulimus. Confirmant ea, quòd lib. 6. cap. 21. bobus initium coitus esse scribit Thargelione & Scirrophorione vt plurimùm. Libro etiam 9. cap. 9. ait, Ceruis cornua decidere mense Thargelione: quod mense secundo Veris accidere videmus. In hac etiam sententia fuisse Theophrastum volunt, qui in Hist. Plant. lib. 4. cap. 18. ita scribit: ὡδὶ γὰρ τὰ βλάσπα τὰ ἐλάτης καὶ πεύκης, ὅτε καὶ λοπῶσι, τῷ Θαργηλιῶνι μ', καὶ Σκιροφοριῶνι μ', ἂν τις ἀφέλῃ, παραχρῆμα ἀπόλλυται: quæ verba Plinius lib. 17. cap. 24. sic reddidit: Abieti & pino si quis detraxerit, Sole Taurum vel Geminos transeunte, quum germinant (Thargelione vel Scirophorione mensibus) statim moriuntur. Eius igitur authoritate Θαργηλιῶνα Aprili, Σκιροφοριῶνα autem Maio opponere possumus: Aprili enim mense Sol Taurum transit, Maio verò Geminos. Sed & Dionysij Halicarnassæi authoritate hæc sententia comprobari potest: is enim sic scripsit Rom. Antiq. lib. 1. Ἅλιον μὲν γὰρ ἥλιον τελοῦντα μ' ἤδη τὰ θέρη, ἕκτα καὶ δεκάτην ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, οὐ δὴ φθινοῦντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, ὡς Ἀθηναῖοι τὰς χρόνους ἄγουσι. Περιτέλλει δ' ἥλιος ἐνιαυτὸν

Locus Dionys. Halicarnassæi, & eius explicatio.

ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἐκπληρῦσαι μετὰ τὼ ξοπλὼ εἴκοσι ἡμέρας: hoc est, Ilium enim captum est vergente iam messe, septendecim diebus ante Solstitium, octaua deficientis Thargelionis, iuxta supputationem temporum Atticam. Supererant ex eo anno post Solstitium dies viginti. Lalamantius, vir doctus, putat hoc loco pro Θαργηλιῶνι & legendum Σκιροφοριῶνι. Nam quum Scirophorion inter Thargelionem & Hecatombæonem medius intercedat, Hecatombæone autẽ ferè semper Solstitium contingat, Troiam Thargelione capi non potuisse septendecim diebus ante Solstitium: putat igitur Scirophorioni hoc adscribendum. Sed si verba Dionysij penitiùs inspiciantur, haud obscurè innuit, Solstitium eo anno, quo capta est Troia, non (vt solebat aliâs) in Calendas Hecatombæonis, verùm in decimum diem præcedentis mensis Scirophorionis incidisse. Nam ait, die 23. mensis Thargelionis captam fuisse Troiam, diebus 17. ante Solstitium. Adde diebus 23. dies septem de 17. habebis integrum Thargeliona mensem. Dies verò 10. qui restant tribue sequenti mensi Scirophorioni, cuius decima die Solstitium accidit: his adde dies 20. quos superfuisse ex eo anno post Solstitium dicit, habebis integrum Scirophoriona: post quem Hecatombæon & initium anni commodè sequitur. Alioquin Solstitium in diem 10. Hecatombæonis incideret. Nec mirum videri debet, si dicamus, Athenienses à Solstitio æstiuo annum suum inchoasse, cùm interim Solstitium 20. diei præcedentis anni mensi vltimo tribuamus. Nam idem etiam fit in Romano anno hodie, & nihilominus dicimus Romanorum annum auspicari à Solstitio hyberno. Etymologicus vocat Θαργηλιῶνα vndecimum mensem: quo etiam confirmatur coniectura eorum, qui eum Latinorum Aprili respondere dicunt. Nam primus apud Athenienses mensis erat ἑκατομβαιών, Latinorum Iunio respondens, inter quem & Aprilem interiectus est Maius, τὸν Σκιροφοριῶνι respondens. Ratio autem, qua Cælius Rhodigin. lib. 17. cap. 30. adducitur, vt vix credat Θαργηλιῶνα Aprili nostro respondere, hæc est, quòd Θαργηλιῶνα Apollini & Dianæ sacrum esse, Θαργήλια festum, in eo celebrari solitum, comprobet: quum fortasse Aprilis Latinorum in tutela Veneris censeatur. Sed Aprilem Veneri non sacrum esse, ex ijs quæ ab initio de etymologia eius diximus, intelligi posse arbitror. Volunt autem τὸν Θαργηλιῶνα denominatum ὡσεὶ τὸ θέρειν τὼ γλῶ, quòd tunc incalescat genitali calore tellus: quin & τὸ θερμὸν nominatum esse θάργηλον. Alij sic dictum volunt ὡσεὶ τῆς Θαργηλίας, hoc est, à festo & sacro in honorem Apollinis & Dianæ Athenis hoc mense celebrato, quòd in eo primitiæ earum frugum, quas calor solis θέρων καὶ θάλπων τὼ γλῶ produxerat, Dijs offerrentur.

Macrobius lib. 1. cap. 12. hunc Aprilem vocat etiam Ἀνθεστηριῶνα: de quo plura in Martio diximus.

Thucydides lib. 5. meminit mensis καρνείου, & Plutarchus in Nicia, vbi eum dicit ab Athenienſibus vocari Μεταγειτνιῶνα: sed videtur esse Θαργηλιῶν, in quo κάρνεια celebrata sunt. Κάρνειος mensis.

Non dissimili à priori ratione Cyprij eum Ἀπογονικὸν, à gignendo nominarunt: sicuti βύσιον quasi φύσιον Delphi: ὡσεὶ τὸ φύειν, quòd tunc semina producat sibi credita terra: Plutarchus tamen sic nominatum putat à πύσιον, à consulenda oraculi voce, quòd hoc mense responsa daret olim Apollo. Respondere autem βύσιον Aprili inde liquet, quòd Plutarchus in enumeratione capitum Græcorum indicat, septimo eius mensis Apollinem natum. Laertius autem in Platonis vita ait: Nascitur Plato, vt testis est in Chronicis Apollodorus, 88. Olympiade, 7. Thargelionis, qua etiam die natum Apollinem Delij putant. Idem ex Plutarchi alio quoq; loco intelligitur. Ἀπογονικός. Βύσιος.

Ægyptij vocarunt φαρμεθί, vt ex Iosephi Antiquit. lib. 2, cap. 13. ante indicauimus. De eo in Epigrammate sic legitur: Ἐστὶ vernæ Pharmuti rosæ prænuncius extat. Astipulatur etiam Plutarchus, qui in Romulo scribit, Tarutium, quem alij Carrutium nominant, Mathematicum pronunciauisse, Romam à Romulo conditam die nona mensis Pharmuti inter 2. & 3. horam. Sempronius enim de Diuisione Italiæ, dicit, Romam conditam 11. Calend. Maias, hoc est, die 21. Aprilis, inter 2. & 3. horam. Φαρμεθί.

Hinc liquet Plutarchi interpretem Θαργηλιῶνα *malè per Februarium reddidisse in Camillo: & Erasmus per Maium in prouerbio, In Apaturia ingressus, redijt Thargiliona.*

Eoster. *Angli Aprilem vocant Eoster monath, fortasse à Paschate, quod nos Germani* Ostern *vocamus, corrupta dictione ex* Vrstende / *hoc est, Resurrectione Domini, cuius memoria Aprili mense plerunq; celebratur. Geßnerus tamen in Mithridate ex Seb. Munstero refert, hanc gentem Aprilem sic denominasse à dea quadam, cui Teutonici populi in paganismo sacrificarint mense Aprili, quæ Eostre sit appellata.*

MAIVS.

Maius M. vnde dictus. *Maium mensem Romulus tertium, Numa quintum (vt quibusdam placet) posuit: de cuius nomine inter authores non conuenit. Hinc & Ouidius sic cecinit:*

Quæritis vnde putem Maio data nomina mensi:
Non satis est liquidò cognita causa mihi.

Nam vt refert Vrania apud eundem poetam lib. 5. Fast. & Fuluius Nobilior apud Macrobium lib. 1. Saturnal. Romulus, postquam populum in maiores iuniores q; diuisit, vt altera pars consilio, altera armis Rempub. tueretur, in honorem vtriusq; partis, hunc Maium, sequentem Iunium vocauit. Sic enim illa:

Hinc sua maiores tribuere vocabula Maio,
Iunius à iuuenum nomine dictus ades.

Sunt qui hunc mensem à Thusculanis in Romuli annum transisse existiment, apud quos vocabatur Deus Maius, qui est Iuppiter, à magnitudine scilicet & maiestate sic dictus: sicuti indicat Polyhymnia apud Ouidium. Cingius apud Macrobium mensem hunc nominatum putat à Maia, quam Vulcani dixit vxorem, argumento q; vtitur, quòd flamen Vulcanalis Calendis Maijs huic Deæ rem diuinam facit. Sed Piso vxorem Vulcani dixit Maiestam non Maiam vocari. Volunt alij Maiam Mercurij matrem huic mensi nomen dedisse: & propterea hoc mense Mercatores omnes Maiæ pariter Mercurio q; sacrificare. Quam opinionem etiam attingit Ouidius lib. 5. Fast.

Aut tu materno donasti nomine mensem
Inuentor curuæ furibus apte fidis.

Affirmant quidam, quibus etiam Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui mense Maio res diuina celebrata sit, terram esse, hocq; nomen adeptam à magnitudine, vnde et mater magna in sacris vocata fuerit.

Pro hoc verò nomine hic mensis Claudij Imp. nomen postea occupauit aliquandiu.

Ziph & Iiar. *Hebræis hic mensis dicitur Ziph, vel Iiar, & est secundus in anno Hebræorum, vt est videre 3. Reg. cap. 6. & Ioseph. lib. 8. Antiq. cap. 2.*

Σκιροφοριών. *Ex Æschinis etiam Orat. aduersus Ctesiphon. apparet, apud Athenienses hunc mensem dictum fuisse* Σκιροφοριῶνα, *seu* Σκιῤῥοφοριῶνα, *vt qui proximè sequutus sit apud eos Thargelionem, quem Aprili nostro respondere modò probauimus. Dicit enim, decretum esse die penultimo Thargelionis, vt comitia haberentur ineuntis Scirophorionis secundo vel tertio die. Ex Theophrasto quoque intelligi potest, Scirophorionem solstitio æstiuo proximum fuisse: ait enim lib. 4. cap. 12. Cædunt nunc calamum tibialem Scirophorione & Hecatombæone, quasi paulò ante solstitium vel sub ipso. Maio autem respondere, ex Plinij interpretatione loci ex Theophrasto in Thargelione citati, indicauimus. Idem tamen, quasi sui oblitus, hæc Aristotelis,* Τίκτουσι δ' οἱ πλεῖστοι τῶν ἰχθύων ἐν ταῖς μησὶ Μουνιχιῶνι, Θαργηλιῶνι, Σκιροφοριῶνι, *sic reddit, Pariunt plurimi piscium tribus his mensibus, Aprili, Maio & Iunio: quum iuxta priorem interpretationem, debuisset dicere, Martio, Aprili & Maio. Malè quoque Cælius Rhod. lib. 14. Lect. Antiq. cap. 13. Scirophoriona Martium reddidit, nisi sit erratum typographicum. Fuit autem duodecimus & vltimus anni Attici mensis: sic enim*

Suidas

Suidas ait, Σκιροφοριῶν μὴν Ἀθηναίων δωδέκατος. *Sic dictus* ἀπὸ τῆς σκίρου *seu* σκίρδος, *vtroque enim modo scriptum reperitur, hoc est, ab vmbella, seu vmbraculo, quod ex arce Athenis solenni pompa deferebatur, eoque signum adificandi dabatur, in festo Athenis in honorem Mineruæ celebrato, quod, sicut etiam mensis in quo agitur, nomen inde acceperunt. Sunt tamen, qui sic appellatum hunc mensem volunt,* παρὰ τὸ φέρειν σκίαν ἐν αὐτῷ τὸν Θησέα, *id est, γύψον: nam Theseum proficiscentem aduersus Minotaurum, Mineruam è gypso fictam secum detulisse: & quia id eo mense fecerit, mensem inde nomen id obtinuisse dicunt.*

Iosephus lib.8. cap. 2. hunc à Macedonibus Ἀρτεμίσιον *appellatum testatur, sicut & Suidas, & Epiphanius. Galenus autem initio Comment. in 1. Epide. Artemisium eiusque principium ad Æquinoctium vernum reijcit. Euagrius verò cum prioribus consentit lib. 4. hist. eccles. cap. 5. inquiens: Anno imperij Iustini septimo, mense decimo, qui tum Artemisius, Maius videlicet, erat, die 29. mensis in ipso puncto meridiei, die sexta hebdomadæ, concussio & terræmotus occupatam ciuitatem propè vniuersam subuerterunt, &c.* Ἀρτεμίσιος.

Cyprij Αἰνικὸν *nominabant. Ægyptij* Παχὼν: *de quo sic Epigrammate: Flaua Pachon turuæ seruat cerealia falci.* Αἰνικὸς.

Germani Latinum nomen retinentes Maium vocant Mey.

Angli verò appellant Thrimelci, id est, tres mulctras, quòd eo mense ter die mulgerent.

IVNIVS.

Hic quoque mensis habet dubias in nomine causas, vt Ouidij verbis vtar ex lib. 6. Fast. Non probanda tamen eorum sententia videtur, qui, vt Macrob. lib. 1. Sat. refert, à Iunio Bruto, qui primus Consul Romæ exactis Regibus creatus est, huic mensi nomen inditum volunt: quòd is pulso Tarquinio voti reus Calendis Iunijs in monte Cœlio Carneæ Deæ rem diuinam fecerit, quam ferunt humanis præesse vitalibus. Vel à Iunone, quòd ædes Iunonis Monetæ ijsdem Calendis fuerit dedicata, quam vouit Camillus. Nam, vt inquit Antonius Constantius Fanensis, multorum traditionibus constare videtur, hunc mensem longè ante dedicationem eius ædis, & reges exactos, à Romanis Iunium appellatum. Placet autem quod Festus scribit, Iunium à priscis Romanis Iunonialem ac Iunonium nominatum: & quod Macrobius tradit, apud Aricinos Prænestinosq; diu non Iunij, sed Iunonij appellatione in Fastos relatum: posteaq; detritis quibusdam literis, ex Iunonio Iunium dictum. Neque enim negauerim, hunc mensem Iunoni sacrum fuisse, quo reges Macedoniæ religionis gratia exercitum deducere non audebant. Iunonis enim fauor hac anni parte non negligendus videbatur, qua per æstiuum Solstitium vis eius numinis, hoc est, aeris calor accenditur. Alij, vt in Maio diximus, à iunioribus sic nominatum volunt, & ea parte populi Romani, quæ sub Romulo viribus atque armis Remp. tuebatur. Nonnulli affirmarunt, teste Agretio, à Iuuenta Herculis vxore, Iunio datum esse vocabulum. Quidam à iunctis Sabinis ac Romanis, quorum pax myrtea verbena firmata fuit. Iunius M. vnde dictus.

Hic mensis postea Germanici nomine aliquandiu appellatus fuit, vt Tacitus refert libro decimosexto. Germanicus mensis.

Hebræi סיון *Siuan appellarunt: fuit enim tertius à Nisan, quem in Hebræorum anno primum fuisse supra demonstrauimus. Vide Hest. 8. cap.* Siuan.

Apud Athenienses ἑκατομβαιὼν *dictus fuit, ab Hecatombis, hoc est, quibusdam sacris, quæ à centum, vel alia quadam incerta boum, qui tum sacrificabantur multitudine nominabantur, & fiebant in honorem Iouis, siue, quod malim affirmare, Apollinis. Nam hoc mense præcipuus cultus Apollini fuit exhibitus, propter Solstitium haud dubiè. Cœlius tamen lib. 20. cap. 6. inde dictum putat hunc mensem Hecatombæum, quòd tunc magnus sit cursus Solis: inde tempori factum nomen autumat, nam hic numerus signare multitudinem plerunq; aduertitur. Proximum autem esse hunc mensem præcedenti Scirophorioni, & proinde* ἑκατομβαιών.

magna ex parte Iunio respondere, diserte in Agesilao Plutarchus docet, vbi refert, dies viginti interuenisse inter fœdus Spartæ, exclusis Boeotis, ictum die 14. Scirophorionis, & inter cladẽ quam apud Leuctra quinto Hecatombæonis die acceperunt Spartani. Eius rei etiam indicium est, quòd in ἑκατομβαιῶνα Solstitium æstiuum, quod in nostro semper est Iunio, plerunque incidebat: nam & in præcedentem Scirophoriona nonnunquam incurrisse, ex Dionysij Halicarnass. loco, paulò supra allato, constat. Primus fuit Atticorum mensium, & anni initium. Nam annum suum à Solstitio æstiuo exorsi sunt Athenienses, vt Plato lib. 6. de Legibus & Simplicius lib. 5. Physicæ Aristotelis manifestè testantur. Cœlius Rhodiginus lib. 10. cap. 6. Hecatombæonem Aprili respondere scripsit.

Hecatombæon M. varia interpretatio, & eius causa.

Interpretum Plutarchi alij Aprilem & Maium, alij Iunium, nonnulli etiam Augustum reddiderunt. Inde fortasse, quòd crediderunt Solstitium semper in hunc mensem incidere: quod falsum est. Nam, vt docet Lalamantius, alijs atque alijs octennij annis Solstitium in alium atque alium mensem incidit nec statum semper aut diem aut mensem in anno Attico habuit. Nam vltimis tantùm octennij annis in Aprili: in quarto & sexto verò Metagitnione contingit: illo quidem anno die 14. hoc verò 25. Anno verò post intercalationem, quæ octauo quoque anno fiebat, ad sua principia regresso, Hecatombæon in Iunium redijt. Hoc igitur decepti, vt arbitror, mensem illum Hecatombæona appellauit quisque, in quem Solstitium fortè apud authorem aliquem legisset incidisse aliquando.

Κρόνιος.

Etymologicus indicat, hunc mensem antea ab Athenienſibus appellatum Κρονίωνα, seu κρόνιον hoc est, Saturnium. Habet hoc ex Plutarcho, qui in Theseo inquit: Venit Theseus Athenas octauo die eius mensis, qui Græcis Hecatombæon, antea Κρόνιος dictus fuit. Cœlius lib. 20. cap. 6. sic dictum eum ait, propter sacrificia quæ in eo Crono, id est, Saturno fierent.

Δάϊος.

Macedones Δάϊον vocant, vel, iuxta Suidam, Δάϊον, vel, iuxta Plutarchũ, Δαίσιον: qui tamen in Vita Alexandri M. Hecatombæonem à Macedonibus Λῷον vocari tradit: cui astipulatur etiam Iosephus, & Galenus, qui initio Comment. in 1. Epidem. Solstitium æstiuum initio Loi attribuit.

ἱππόδρομος.

Boeotij ἱππόδρομον nuncuparunt. Sic enim Plutarchus in Camillo: Boeotij, inquit, quinto die eius mensis, qui ipsis ἱππόδρομος est, Ἑκατομβαιὼν Athenienſibus, duas præclarissimas victorias parauerunt: vnam in Leuctris, alteram ad Geraſtum. Dictus sic fuit, à ludis Circenſibus seu curulibus, qui in illo apud Boeotios equorum cursu agebantur.

Παῦνι.

Ægyptijs dicebatur Παῦνι, de quo sic in Epigrammate, Mitia ferre solet fœcundus poma Payni.

Ἰάνιος.

Cyprij ad Romanorum prorsus imitationem Ἰάνιον appellarunt.

Brachmonat.

Germani vocant **Brachmonat**, quasi tu dicas, Repastinationis mensem, quòd eo agrorum & vinearum repastinationes potissimùm fieri soleant.

IVLIVS.

IVlius mensis quum, secundum Romuli ordinationem Martio anni tenente principium, Quintilis à numero vocaretur: nihilominus tamen etiam post præpositos à Numa Ianuarium ac Februarium, retinuit nomen, quum non videretur iam quintus esse, sed septimus. Postea in honorem Iulij Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio Marci filio Consule, Iulius appellatus est, quod hoc mense ad 4. Id. Quintilis Iulius in lucem procreatus esset.

Thamuz.

Hebræis hic mensis dicitur תמוז Thamuz: de quo vide lib. 1. cap. 1.

Μεταγειτνιών.

Athenienses Μεταγειτνιῶνα vocarunt. Nam Aristoteles de locustis scribens, post Scirophorionem & Hecatombæonem proximè Metagitnionem ponit. Demosthenes etiam Olynthiaca 3. Metagitnionem secundum ab Hecatombæone nominat. Nomen hoc ei fuit inditum à sacris quæ Apollini Μεταγειτνίῳ eo mense fiebant, sicut referunt Hyperides in Orat. pro

Orat. pro Xenippo, & Lysimachides in lib. de Athenienſium menſibus. Plutarchus verò in Publicola comparat Μεταγειτνιῶνα *non cum Iulio, cum quo conferendum ante dicta declarant, ſed cum Septembri: id quod valdè mirum eſt, dicit enim:* Εἰδοῖς οὖν Σεπτεμβρίας (ὁ συμπτυγχάνει περὶ τὴν πανσέληνον μάλιστα τὸν Μεταγειτνιῶνας) ἠθροισμένων ἁπάντων εἰς τὸ καπετώλιον: *quibus indicat Idus Septembres cum plenilunio Metagitnionis maximè cõcurrere. Lalamantius putat pro* Μεταγειτνιῶνος *legendum eſſe* Μαιμακτηριῶνος. *Verùm ego non facilè locum hunc deprauatum, vel authorem erraſſe deceptumque fuiſſe dixerim.*

Macedones & Boeotij communi nomine Πάνεμον *appellarunt. Sic enim Plutarchus in Camillo: Metagitnion, quem Panemum Boeotij dicunt, Græcis inauſpicatus fuit. Vnde Suidas,* Πάνεμον ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Ἰάλιος. *Et Euagrius hiſtoriæ Eccleſ. lib. 4. cap. 1. ait: Iuſtinus natione Thrax purpuream togam vſurpauit nona menſis Panemi, qui Iulius apud Romanos nominatur. Rurſus tamen Plutarchus in Ariſtide, de prælio Plataenſi loquens, Panemum Boeotiorum menſem non cum Metagitnione, ſed cum Boedromione comparat, dicens: Hoc prælium commiſſum eſt quarto die* Βοηδρομιῶνος *ſecundum Athenienſes:* κατὰ δὲ Βοιωτοὺς τετράδι τοῦ πανέμου φθίνοντος. *Apud Demoſthenem etiam* πάνεμον *à Corinthijs vocari dicitur qui ab Athenienſibus* Βοηδρομιὼν *nominatur.* Πάνεμος.

A Syracuſanis Κάρνιον *fuiſſe dictum Metagitnionem Plutarchus in Nicia indicat, quem Guarinus interpres eius ineptè per Maium reddidit. Cyprij à Cæſare* Καισάριον. *Ægyptij* Ἐπηφὶ *vocarunt, de quo in Epigrammate, Vitiger atque vuis pulchrè eſt redimitus Epephi. Germani* Hówmonat, *quaſi Fœni menſem nominant, quòd tum ſucciſum apud nos conuehatur fœnum ad ſtabula.* κάρνιος. καισάριος. ἐπηφὶ Hówmonat

AVGVSTVS.

Avguſtus, inquit Macrobius lib. 1. Sat. cap. 12. Sextilis antea vocabatur, donec honori Auguſti daretur ex ſenatuſconſulto, cuius verba hæc ſunt. Cùm Imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili & primum Conſulatum inierit, & triumphos tres in vrbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ ſecutæque ſint eius auſpicia atque fidem, & Ægyptus hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta ſit, finisque hoc menſe bellis ciuilibus impoſitus ſit: atque ob has cauſas hîc menſis huic imperio feliciſſimus ſit ac fuerit, placet Senatui vt hic menſis Auguſtus appelletur. Idem plebiſcitum factum ob eandem rem, Sexto Pacubio tribuno plebem rogante. Poſtea verò Commodo Antonino Paraſiti Auguſti menſis nomen in Commodum *permutarunt, teſte Lampridio.* Augustus olim Sextilis.

Huic reſpondet Hebræorum menſis Ab. Ab.

Μεταγειτνιῶνα *autem contiguum eſſe* Βοηδρομιῶνα, *& proinde cum Auguſto aliqua ex parte comparandum, ex Ariſtotelis lib. 5. cap. 17. de Nat. Anim. colligitur, vbi dicit, Locuſtas verum ferre Scirophorione, Hecatombæone & Metagitnione, ſub Arcturum autem oua excludere. Arcturum autem circa Boedromionem oriri, ex eo intelligitur, quòd Ariſtot. lib. 6. de Nat. Anim. cap. 29. dicit, Ceruas ſaliri ab Arcturo menſe Boedromione. Vnde ſimul intelligimus* Βοηδρομιῶνα *partem aliquam Septembris ſibi vendicare. Nam Columella lib. 11. cap. 2. ait, Nonis Septemb. Arcturus exoritur. Et mox: Arcturus 15. Calend. Octob. exoritur. Plinius autem teſtatur, vndecim diebus ante æquinoctium autumnale oriri. Plutarchus in Theſeo rationem nominis reddit: loquens enim ibi de Theſei cum Amazonibus pugna, Pugnatum eſt, ait, menſe Boedromione: cuius pugnæ cauſa in hunc vſque diem Athenienſes ſacra Boedromia peragunt, menſiſque inde nomen eſt Boedromion. Vocabuli origo eſt à ſublato clamore cùm ad auxilia accurreretur.* Βοηδρομιών.

Macedones eundem vocant Λῶον: *Sic enim Demoſthenes in Orat. de Corona, in epiſtola Philippi Macedonis ad Peloponeſiorum fœderatos, Quare, inquit, armati nobis oc-* Λῶος.

currite in Phocide allato commeatu dierum 40. τῷ ἐνεςῶτϑ μηνὸς Λῶϊ, ὃς ἡμεῖς (*Macedones*) ἄγομϐρ, ὡς ὃ Ἀθλωαῖοι βοηδρομιῶνος: ὡς ὃ Κορινθίοι Πανέμϊ: *hoc est: præsenti mense Loo, vt nos habemus, vt Athenienses, Boedromione, &c. Respondere autem Augusto Suidas attestatur, dicens:* Λῶος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Αὔγεσος: *itemq; Euagrius, qui hist. eccles. cap. 9. lib. 4. ait, Iustinum mortuum esse primo die mensis Loi, id est, Augusti. Plutarchus autem in Alexandro, Loum Hecatombæoni confert: cui suffragari videtur Galenus in Comment. in 1. Epidem. vbi Solstitium æstiuum initio Loi fieri dicit. Verba eius hæc sunt:* ἡ ἐαρινὴ ἰσημερία ἔςι Ἀρτεμισίϊ μηνὸς, κατὰ Μακεδόνας, καθάπερ γε καὶ ἡ θερινὴ τῷ Λῶϊ. κατὰ γὰρ τὰς ἀρχὰς τῶν ἐιρημϐύων μηνῶν αἵ τε ἰσημερίαι καὶ αἱ τροπαὶ γίνονται κατὰ Μακεδόνας.

Cyprij Σεβαςὸν, *id est, Augustum dixere: Ægyptij* Μεσορὴ: *de quo sic in Epigrammate, Viuificas Mesori patuli Nili excitat vndas.*

SEPTEMBER.

September vnde dictus.

September à septima, quam occupat, classe post Martium, nomen habet, postea verò Antoninum ab Antonini Pij memoria mensem hunc nominandũ Senatus decreuit: & hoc quoque nomine abiecto Herculeum vocauit. Suetonius verò Octobrem Herculeum, & Eutropius Septembrem Commodum nuncupatos scribunt. Hebræis dictus אלול *Elul.*

Μαιμακτηριών.

Athenienſibus Μαιμακτηριὼν. *Hunc enim sequi* Βοηδρομιῶνα *ex 29. c. li. 6. de Nat. Anim. Aristotelis liquet, quo loco dicit, coitum ceruorum fieri post Arcturum circa Boedromionem & Mæmacterionem: sunt igitur contigui menses. Idem lib. 8. cap. 12. dicit, Cothurnices discedere Boedromione, Grues Mæmacterione. Grues autem vno mense post Cothurnices discedere quotannis videmus. Quintum autem hunc fuisse mensem Athenienſium tradit Harpocrat. & ex eo Suidas, qui etiam addit, esse Latinorum Ianuarium, cui astipulatur Epiphanius lib. 2. contra Hæreses, hæresi 51. Quorum neutrum cum Gazæ sententia conuenit: imò si quintus sit, nullo modo Ianuarius esse potest. Nomen habet* ἀπὸ τῦ Διὸς Μαιμάκτυ, *vt qui sit* ἐνθυσιώδης καὶ ταραχτικὸς, *sicut Harpocrat. tradit ex Lysimachide de Mensibus Athenienſium: à quo mense si hyems incipiat, aer turbatur & mutatur. Vnde & Ioui* μαιμάκτῃ *eo mense* μαιμακτήρια *sacra fiebant, ad Iouialium impetum placandum.*

Αλαλκομϐρίος.

Boeotis Αλαλκομϐρίος *dictus est: sic enim Plutarchus in Aristide, vbi de tempore loquitur parentationis eorum, qui pro salute Græciæ aduersus Persas fortiter pugnando occubuerant,* τῷ Μαιμακτηριῶνος μηνὸς, *ait,* ὃς ἐςι παρὰ Βοιωτοῖς Αλαλκομϐρίος.

Ὑπερβερεταῖϑ.

Κατὰ μακεδόνας γορπιαῖος μὴν ὁ Σεπτέμϐριος ὅςι, *inquit Suidas: quod etiam indicat Euagrius historiæ eccles. lib. 4. cap. 4. Galenus lib. 4. de tuenda sanitate, Pergamenos hunc* Ὑπερβερεταῖον *nominare dicit, Est, inquit, maturrimum abietis semen circiter Acturi initium, quod tempus Romæ Septembrem vocant: Pergami verò apud nos mensis Hyperberetæus. Rursus idem initio Comment. in 1. Epidem. hunc* Διῖον *intelligere videtur, vt cuius initio autumnale æquinoctium statuat.*

Αυτοκρατορικὸς. Θωθ.

Cyprij Αυτοκρατορικὸν *appellant. Ægyptij* Θὼθ: *Estque primus apud eos in anno mensis: vnde sic in Epigrammate, Primus Thoth nouit falcem committere in vuas: eundem & Χοὶ dixere. Theon Arati φαινομένων interpres in carmine de Hydra, Extrema, inquit, ipsius occupat circa Virginem eirciter mensem Thoth, qui secundum Romanos September est. Inchoarunt autem suum annum Ægyptij Sole virginem ingrediente, vt apparet ex ijs quæ de mense Athyr in Nouembri dicemus: & proinde Thoth, bonam etiam partem Augusti sibi vendicat.*

Herbſtmonat.

Germani Herbſtmonat *vocant, quasi dicas autumnalem mensem, quòd autumni sit primus.*

OCTO-

OCTOBER.

OCtober à classe octaua, quam obtinet à Martio, nomen habet. Eum suo nomine Domitianus inuaserat, vt Macrobius testatur lib. 1. Saturn. Sed vbi infaustum vocabulum ex omni ære vel saxo placuit eradi, mensis quoque vsurpatione tyrannicæ appellationis exutus est: eumque in honorem Faustinæ Faustinum nominandum censuit senatus, Capitolino teste. Cautio postea principum cæterorum, diri ominis infausta vitantium, mensibus à Septembri vsque ad Decembrem prisca nomina reseruauit. Mox tamen pristinus mos repetitus est, quando Octobrem Inuictum, alios menses aliter nominarunt, sicuti in vnoquoque indicatur. October vnde dictus.

Hebræi vocant תשרי *Thisri. Septimum autem hunc fuisse mensem in Hebræorum anno ex 3. Reg. cap. 8. apparet.* Thischri.

Macedones Υπερβερεταῖον *appellarunt, Iosepho teste, lib. 8. Antiq. cap. 4. In Canonibus Apostolorum Can. 38. sic decernitur: Bis in anno Concilia celebrentur, semel quidem quarta septimana Pentecostes, secundò verò duodecima die mensis Hyperberetæi. Hanc legem repetens Concilium Antiochenum cap. 20. sic decernit: Secundum Concilium Idibus Octob. habeatur, qui dies apud Græcos Hyperberetæi mensis, decimus inuenitur: vt habetur etiam dist. 18. cap. propter ecclesiasticas.* Υπερβερεταῖος.

Athenienſium mensis qui ad Octobrem nostrum quadret, est Πυανεψιὼν: *quem autumnalem fuisse mensem ipsum declarat nomen: dictus enim à festo* πυανεψιῶν, *quod agitabatur frugibus terræ iam collectis atque conditis. Declarat id etiam Plutarchus in Theseo, vbi post alia sic scribit: Dum vindemia comportatur octauo die Pyanepsionis incipientis. Idem Plutarchus de Osiride & Iside hunc Athenienſiũ* Πυανεψιῶνα *dicit esse Boeotorum Damatrium, Ægyptiorum autem Athyr. Verba eius hæc sunt: Mulieres humi decumbentes Athenis in Thesmophorijs ieiunant. Esi aũt mensis hic circa pleiadas sementi dicatus, quem Ægyptij Athyr, Athenienses Pyanepsionem, Boeoti Damatrium vocant. Sed hoc pacto Octobrem & Nouembrem confundit: Athyr enim est Nouember, & φαωθὶ October: de quo sic in Epigrammate, Omnigenos adigit pisces in rete Phaothi: pro quo tamen Theon & Nicolaus Myrothecius legunt φαωφὶ. Sic enim Theon in carmine Arati de Hydra: Nam φαωφὶ mense, qui Romanis October est, subsidit Nilus & crescere desinit.* Πυανεψιών.

Cyprij Δημαρχεάγιον, *quasi Tribunitium: Germani* Weynmonat/ *hoc est, Vindemialem mensem nominant.*

NOVEMBER.

NOuembrem Hebræi Bul & Marchesuan appellant, qui est octauus ab Aprili.

Macedones Δῖον *vocant, teste Iosepho lib. 1. Antiquit. cap. 5. vbi sic scribit: Contigit hæc vastitas (de Diluuio loquitur) anno 600. ætatis Noe, mense secundo qui à Macedonibus Dius vocatur, ab Hebræis autem Marachat seu Anmarsuane: pro quo tamen legendum Marchesuan. Et Suidas inquit:* Δῖος ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὃ Νέος. *Idē probatur ex Collectaneis rei rusticæ apud Græcos, in quibus hæc adnotata legimus: Democritus & Apuleius talem expectari hyemem aiunt oportere, cuiusmodi fuerit dies festus, quem Brumam vocant Romani: est autem quarta & vicesima Dij mensis, qui est Nouember. Cœlius lib. 15. cap. 24. Antiq. Lect.* Δῖος.

Nouembri Latinorum Gaza opponit Ανθεστηριῶνα *Atticorum, hybernum esse mensem ex etymo colligens, quod nimirum ἀνθέων στερῆ τὴν γῆν. Gazæ tamen Ptolemæus, Harpocration, Philostratus, Ister, Plutarchus, Appianus, Macrobius alijque refragantur, vt supra in Martio indicauimus: & propterea alium quærendum existimo, quem cum Nouembri Romanorum componamus. Quis autem ille sit, non satis constat: nam quo minus* Anthesterion Nouembri non respondet.

ei Posideon, Posidioni Gameleon, Gamelioni Elaphebolion, Elaphebolioni Munichion sub stituendus videatur, vt nonnullis placet, quibus cum ea de re contuli, illud obstare puto, quòd Gaza & alij firmis probarunt rationibus, Posideona Decembri Romanorum non Nouembri: Gameliona Ianuario, non Decembri, & sic deinceps respondere.

Αθύρ. Ægyptij Αθὺρ vocarunt: non tamen præcise Nouembri nostro respondisse Ægyptiorum Athyr, sed partem Octobris, partemque Nouembris sibi vendicasse, ex Plutarchi lib. de Osiride intelligitur, vbi dicit, Mense Athyr Solem Scorpium peragrare. Consentit & Epigramma, quod sic habet: Pleiadum exortus Athyr apto tempore signat. Constat autem ex Ptolemæo, Plinio & Columella, Pleiadas, quas Latini Vergilias vocant, non mense Nouembri, sed Octobri oriri vesperi.

Cyprij πληθυπατον seu πληθύτατον nominarunt. Germani **Wintermonat**/ quasi tu dicas hyemalem mensem, quòd hyems eo incipiat.

DECEMBER.

DEcembri, vltimo in Romano anno mensi, respondet Hebræorum Chisleu, quem alij ineptè Chasleu nominant: & est nonus inter Hebræorum menses, vt est videre Zach. 7. 1. Machab. 1.

Απελλαῖος. Macedones, teste Suida, Apellæum vocant. Vnde & Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 7. de profanatione Hierosolymitani templi loquens: Ea clades, ait, accidit anno secundo post vrbem captam regni eius familiæ 145. eius mensis qui Chisleu nostris, Macedonibus Apellæus dicitur vicesima quinta. Testatur idem lib 12. cap. 11. Euagrius quoque hist. Eccles. lib. 4. cap. 19.

Ποσειδεών. Athenienses Ποσειδεὼν dicitur, quasi Neptunium diceres, à Palladis & Neptuni certamine ac festo quod in honorem ποσειδῶνος, id est, Neptuni eo celebrabatur. Nam hoc mense Brumam seu hyemale Solstitium accidere, ex Aristotelis lib. 5. de nat. anim. cap. 9. apparet, vbi dicit, Thynnũ priorem suum partum edere ante Brumam circa Posideonem. Plutarchus quoque in Cæsaris vita in eum incidisse solstitium hybernum indicat: sic enim scribit, Χειμῶνος ὢν τροπαῖς ὄντος, ἰσημερίᾳ ἀναβαίνῃ μηνὸς: (ἔτος δ' ἂν εἴη ποσειδεὼν Ἀθηναίοις) ἀφῆκεν εἰς τὸ πέλαγος, hoc est, circa Brumam, initio Ianuarij (quem mensem Athenienses Posideonem appellant) pelago se commisit: quibus vtique Ποσειδεῶνα Ianuario ineunti (ideoque & exeunti Decembri) comparat: Inde & ποσειδεωνὶς ὄρνις dicitur ἡ ἀλκύων, quòd in istum mensem fœtura eius incidat: vt Plinius quoque testatur circa brumam (id est, τὰς χειμερινὰς τροπὰς) alcyonum fœturæ sterni mare, septem diebus ante, & totidem post. Qua in re tamen nihil absurdi inesse videtur, quum olim Solstitium id in finem Decembris inciderit. Adhæc menses Græcorum non ita exactè Latinorum mensibus respondent, quin semper dies aliquot sequentis mensis sibi vendicent.

Cyprijs dicitur Αρχιερεύς: Ægyptijs Χοιὰκ: Germanis **Wolffmonat**/ quasi dicas, Lupanius mensis, quòd lupi eo maximè circumcursitent: vel etiam à Christi Natali, qui eo celebratur **Cristmonat**: quam ob causam & Angli eum **Halegmonath**/ quasi sacrũ mensem vocant.

Sed hæc, quæ hoc capite huius q; commemorauimus, breuiter Lectori ob oculos in tabella ponam, vt primo statim intuitu, mensium diuersarum gentium connexionem cum Romanorum seu Latinorum mensibus videat.

Romani

Romani.	Hebræi.	Atheniẽſes	Macedõici	Ægyptij.	Cyprij.	Bœotij.	Arabici.	Perſici.	Germanici.
Ianuarius.	*Tebeth.*	Γαμηλιών.	Αὐδυναῖος.	Τυβὶ.	Εδιϴ.		*Gemedy primus.*	*Mardainus*	Jenner.
Februarius.	*Sebat.*	Ελαφηβολιών.	Περίπϴ.	Μεχείρ.	Ρωμαῖϴ.		*Gemedy ſecundus.*	*Sarembemechus.*	Hornung.
Martius.	*Adar.*	Μαιμακτηριών & Ανθεστηριών	Δύσϴ.	Φαμενώθ.	Αφροδίσιϴ		*Rage.*	*Maheramechus.*	Mertz.
Aprilis.	*Niſan*: à quo annũ auſpicantur	Θαργηλιών.	Ξανθικὸς: ab hoc annus eorum incipit.	Φαρμυθί.	Ἀποϲτολικός.		*Sahaben.*	*Ebenmechus*	Aprell.
Maius.	*Iiar.*	Σκιροφοριών.	Αρτεμίσιϴ.	Παχών.	Αινικὸς.		*Ramaden.*	*Idramechus.*	Mey.
Iunius.	*Siuan.*	Εκατομβαιών: à quo annũ inchoãt. Etimologico indicat Κρονία ante appellatum fuiſſe.	Δείσιϴ.	Παῦνί.	Ιούνιϴ.	Ιπποδρόμιϴ.	*Sauel.*	*Dimechus.*	Brachmonat.
Iulius.	*Thamus.*	Μεταγειτνιών.	Πάνεμϴ.	Επηφί.	Καισάρϊϴ.		*Dulchida.*	*Behmemechus.*	Hõwmonat.
Auguſtus.	*Ab.*	Βοηδρομιών.	Λῶϴ.	Μεσορί.	Σεβαϲός.		*Dulcheia.*	*Azfirdamechus.*	Augſtmonat.
September.	*Elul.*	Μαιμακτηριών.	Γορπιαῖϴ.	Θώθ: à quo annum inchoant.	Αυτοκρατορικός.	Αλαλκομένιϴ.	*Almuharã*: à quo incipiunt annum.	*Phordimechus*: à quo annum incipiunt.	Herbſtmonat.
October.	*Thiſri.*	Πυανεψιών.	Υπερβερεταῖϴ.	Φαωφί.	Δημαρχεξάμϴ.	Δαμαξίϴ.	*Saphar.*	*Ardaimechus.*	Weynmonat.
Nouember.	*Marheſuan*		Δῖϴ.	Αθύρ.	Πληθήϲαλϴ		*Rabe primus.*	*Cardaimechus.*	Wintermonat.
December.	*Chiſleu.*	Ποσειδιών.	Απελλαῖϴ.	Χοιάκ.	Αρχιερέυς.		*Rabe ſecundus.*	*Zirmechus.*	Wolffmonat/ vel Chriſtmonat

Quoto Rom. mensium die Græcus quisq; mensis initium sumpserit.

Quoniam verò, vt suprà quoq; dictum est, non eadē est mensium apud omnes gentes ratio, & imprimis Attici menses non conueniunt cum nostris: quòd illi, sicut etiam Hebræorū menses, ad lunæ tantum cursum computarentur, Luna auspicante & finiente mensem: nostri verò ita descripti sint, vt ad conficiendum annum magis ad Solis cursum quadrarent: adeoq; Atticorum aliorumq; menses, præcisè nostris opponi non possint, vt dies diei respondeat, quū, exempli gratia, Atticorum mensis primus, qui à Solstitio æstiuo inchoat annum, partem sibi ex Iunio, in cuius medium Solstitium incidit, vendicet, partem verò ex Iulio, & sic deinceps cum cæteris: idcirco operæpretium me facturum existimo, si ad demonstrandam hanc diuersitatem, ex veteri quodam manuscripto Calendario, vt vocant, adscribam quoto Romanorum mensium die Græcus quisq; mensis suum sumpserit initium. In eo itaq; Ianuarij mensis die 15. inchoat κατὰ τυρίας Αυδ ωαῖΘ, ἡμερῶν λ'. Februarij mensis die 14. incipit Πεφένιος ἡμερῶν λ'. Martij die 18. ΔύστρΘ, ἡμερῶν λ'. Aprilis 16. Ξανθικὸς, ἡμερῶν λά. Maij 18. Αρτεμίσιος, ἡμερῶν λά. Iunij 22. Δέσιος ἡμερῶν λα: vbi etiam statuuntur Θερειναὶ τροπαὶ. Iulij 21. Πάνημος ἡμερῶν λά. Augusti mensis die 18. Λαῶος, ἡμερῶν λ'. Septembris die 19. Γορπιαῖος, ἡμερῶν λ' Octobris 19. Υπερβερεταῖος, ἡμερῶν λ' Nouemb. 18. Διος, ἡμερῶν λ. Decembris 18. Απελλαῖος, ἡμερῶν λ'. Quod verò ab initio est κατα τυρίας, apud alios est καθ' ἕλλωας.

Quoto Rom. mensium die Aegyptiorum quisque mensis sumpserit initium.

Quoto autem Romanorum mensium die Ægyptiorum quisque mensis initium sumat sic Bibliander ex Beda refert. Primus, inquit, mensis Θώθ. 4. Calend. Septembrium incipit. Secundus Φαωφὶ, 4. Calend. Octob. Tertius Αθὺρ, 5. Cal. Nouemb. Quartus Χοιὰκ, 7. Cal. Decemb. Quintus Τυβὶ, 6. Cal. Ianuariarum. Sextus Μεχεὶρ, 6. Cal. Februar. Septimus Φαμενὼθ, 5. Cal. Mart. Octauus Φαρμοῦθὶ, 6. Cal. Aprilium. Nonus Παχὼν, 6. Cal. Ma. Decimus Παῦνὶ, 7. Cal. Iunij. Vndecimus Επιφὶ, 7. Cal. Iul. Duodecimus Μεσορὴ, 8. Calend. Augustarum die sumit exordium. Quem 10. Calend. Septembres terminantes, residuos quinque dies ἐπαγομένας, vel intercalares siue additos vocant. Quibus etiam quarto anno diem sextum, qui ex quadrantibus confici solet, adnectunt. Vnde fit, vt eorum anni primi à bissexto tertio Calend. Sept. cæteri verò 4. Calend. earundem dierum initium sumant: ipse autem bissextilis anni 4. cæteri 5. Calend. memoratarum die terminentur.

CAPVT IIII.

DE CALENDIS ET NEOMENIIS.

ANTEQVAM ad singulorum mensium festa & solennitates singulas describendas accedam, prius de iis agam quæ sunt omnibus mensibus communes: cuius generis sunt Calendæ *seu* Neomeniæ, Nundinæ & Idus.

Νεομηνία quid.

Νεομηνία vel contractè Νεμηνία propriè significat Nouam lunam, νέΘ enim est noua & μὴν luna. Improriè autem significat Nouum mensem, seu primam diem mensis, quòd olim menses lunæ cursum sequerentur, adeoq; initium cuiusq; mensis ex eo sumerent die, quo nouam lunam contigisset videri. Quod autē Græcis Νεομηνίαι, id Latinis Calendæ sunt, sic dictæ, à Græco verbo καλέω, id est, voco, pro quo nos calare dicimus. Varro, Primi, inquit, dies mensium nominati Calendæ, ab eo, quòd iis diebus calentur eius mensis Nonæ à Pontificibus. Priscis enim temporibus, Macrobio teste, antequam fasti à Cn. Flauio scriba inuitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ lunæ primum obseruaret aspectum, visamq; regi sacrificulo nuntiaret, eiq; sacrificandum esse hoc ipso indicaret. Itaque sacrificio à rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex, calata, id est, vocata in Capitolium plebe, iuxta curiam Calabram, quæ Casæ Romuli proxima fuit, quot numero dies à Calendis ad Nonas supereſſent, pronuntiabat: & Quintanas quidem quinquies dicto verbo Calo Iuno nouella, vt Varro indicat, septimanas repetito septies prædicabat. Et hunc diem qui ex his diebus, qui calarentur,

Calendæ.

primus

primus esset, placuit Calendas vocari. Hinc & ipsi curiæ, ad quam vocabantur, Calabræ nomen datum est: & Classi, quòd omnis in eam populus vocaretur. Ideò autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas supereſſent calando prodebat, quòd posset nouam lunam oporteret Nonarum die populares qui in agris essent, confluere in vrbem, accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, sciturosq; quid esset eo mense faciendum.

Plutarchus quoque in Galba Νουμηνίαν & Καλάνδας pro ijsdem posuit: sic enim ait, ἐπῆλθεν ἡ Νουμηνία τῇ πρώτῃ μηνὸς, ἣν καλάνδας Ιανουαρίας καλοῦσι: id est, aduenit nona luna primi mensis, quam Calendas Ianuarias vocant. Ex eodem tamen auctore colligi posse videtur, Νουμηνίαν Græcorum incidere potius in Nonas quàm Calendas, quòd tunc demum Luna soleat apparere, quum circa Calendas adhuc ἐν συνόδῳ cum Sole lateat: & proinde non solùm mensium, sed etiam Neomeniarum apud Græcos, & Calendarum apud Latinos diuersam fuisse rationem. Sic enim ait in Problem. Τῶν δὲ πρώτων φασὶ Νόννας, τὸ δικαιοτέρῳ τῶν ὀνομάτων, Νουμηνίαν ἔσαν ἢ γὰρ αὐτοὶ τὸν νέον ἢ καινὸν, ὥσπερ ἡμεῖς, προσαγορεύουσι. Et in Romulo ait, Νουμηνίαι ῥωμαϊκῇ πρὸς τὰς ἑλληνικὰς οὐδὲν ἔχουσι ὁμολογούμενον. Vnde ipse quoque ibidem Calendas à Clam aut Celare denominatas existimat, quòd in ijs Luna adhuc occulta lateat. Vbi fortè ridiculus alicui videri possit, quòd Calendas, à verbo Latino Celo, aut Aduerbio Clam deducit: nam à καλῶ, vti diximus, deriuantur: deinde Luna non semper Calendis clam fit aut occultatur, sed aliquando ijsdem plena, aut alio aliquomodo affecta est. Sciendum autem Plutarchum ad id respexisse, quòd veteres Romani menses suos ad Lunæ cursum accommodarunt: & tum quoque prima Lunæ visitatio, primumq; eius lumen diem Calendarum effecit, hoc est, Calendæ cum Nouilunio concurrerunt. Calendæ & Neomeniæ differunt.

Porrò ex hoc Plutarchi loco, quem modò adduximus, simul perspicuum fit, Calendas Græcos nullas habuisse, sed Νουμηνίας. Hinc prouerbium, Augusto autore, natum apud Latinos, Ad Calendas Græcas, pro Nunquam. Nam ad Lunæ recursus Græci soluebant vsuras: sicut intelligitur ex Plutarchi libro ὡς δεῖ τὸ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, vbi inquit: ὁδὲ ἀναμνήσει τῶν Καλανδῶν ἢ τῆς Νεομηνίας, ᾧ ἱερωτάτῳ ἡμέραν ἔσαν, ἀποφορὰν ποιεῖσθαι τοὺς δανειστὰς καὶ τόκον. Strepsiades quoque in Nubibus Aristophanis optat sibi incantatricem quampiam obuenire, quæ carminibus suis efficiat, ne quando noua luna exoriatur, ne reddere pecunias aut vsuras cogatur. Et fœnerator Alphius apud Horatium, Omnem relegit Idibus pecuniam: Quærit Calendis ponere. Calendis enim & exigebatur & collocabatur, vt ex eiusdem Satyra 6. lib. 1. cognoscimus, vbi inquit: Calendas Græci non habuerunt.

Qui, nisi quum tristes misero venere Calendæ,
Mercedem aut nummos vnde vnde extricat, amaras
Porrecto iugulo, historias, captiuus vt audit.

De hoc autem more & consuetudine pecuniam Calendis exigendi, vide P. Pithœum Aduersar. lib. 2. cap. 4. Huc itaq; respexit Augustus Imperator, quum diceret. Ad Græcas Calendas soluturos, quos nunquam reddituros mutuum significabat, vt Suetonius de eo refert. Et quia Latinorum propriæ erant Calendæ, idcirco Ouidius eas Ausonias vocauit, lib. 1. Fast. sic canens: Vendicat Ausonias Iunonis cura Calendas.

Neomenias autem apud Græcos fuisse sacras & festiuas, sicut etiam Calendas apud Latinos, ex Plutarchi loco modo citato intelligimus, vbi Νεομηνίαν vocat ἱερωτάτην ἡμέραν, id est, sacratissimam dierum, & conqueritur eam à fœneratoribus ἀποφορὰν καὶ τόκον reddi. Idem auctor in Problem. inquit, Ἕλληνες ἐν τῇ νουμηνίᾳ τοὺς θεοὺς σεβόμενοι, τῇ δευτέραν ἥρωσι καὶ δαίμοσιν ἀποδεδώκασι, hoc est, Græci in Neomenia seu Calendis Deos venerantur, postridie verò Semideos, Indigetes & Heroas. In Neomenijs verò his certa quædã sacrificia atq; conuiuia fieri fuerunt solita, quæ ἐπιμηνία appellarunt. Eorum meminit Athenæus lib. 6. vbi inquit: Τὰ δὲ ἐπιμηνία θύετω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασήτων. De quibus sacris ita Herodotus scribit lib. 8. Λέγουσιν οἱ Αθηναῖοι ὄφιν μεγαν φύλακα τῆς ἀκροπόλιος ἐνδιαιτᾶσθαι ἐν τῷ ἱερῷ. Λέγουσί τε ταῦτα. καὶ δὴ ὡς ἑόντι ἐπιμηνία τελέουσι προτιθέντες. Neomeniæ apud Græcos festæ.

τὰ δ' ἔμμηλώια, μελιτόεσσά δ' ἔδη. αὕτη ἡ μελιτόεσσα ἐν τῷ πρόσθεν ἀεὶ χρόῳ αἰσιμερμήν, τότε λῦ ἄψαυστος. Suidas hæc ἔμμηλώια esse dicit, Τὰ ὑπὲρ ὅλης τῆς μηνὸς ἅπαξ ποτὲ γινόμενα θύματα, vt & ἐμμηλώια ἱερά. Eidem Suidæ ἔμμηλώια sunt τὰ καθ' ἕκαστον μῆνα φυόμενα. Item ἔμμηλώια apud Hesychium, ἡ κατὰ μῆνα τῇ νεμηνίᾳ σωτελὴς ὁρμή: vbi subaudiendum θυσία vel ἑορτή. Turnebus Aduersar. lib. 3. cap. 4. in illud Vergilij, Bissenos cui nostra dies altaria fumant: In magna, inquit, religione velut numinis potentissimi, & præsentissimi dictũ est. Nam menstrua sacra Dijs maximis celebrari solebant, atq; eæ erant feriæ religiosissimæ, cùm solennibus, & anniuersarijs nõ satis esse putarẽt defungi sacris, sed memoriam cultus quoq; Calendis aut Idibus renouandã putarent. Eas ferias Horatius tricesima sabbatha appellauit. Apud Lacedæmonios Neomenijs omnibus, vini sextarius, ac farinæ modius, nec non singula pecora Regibus ad sacrificium, quod Apollini fiebat, dabantur: autore Alex. lib. 3. cap. 18. Vnde simul intelligi posse videtur, Neomenias apud Græcos Apollini consecratas fuisse, id quod Pindari scholiastes in Nemeis clarè attestatur, quòd is Deus idem esset cum Sole. Hecate quoq; Deæ sacrificabatur in triuijs apud Athenienses singulis mensibus in nouilunio, quo tempore illi, qui erant opulenti, Cœnam in triuio exponebãt, ac pauperes eò per noctem conuenientes vorabant, Hecatenq; edisse dicebant: quam consuetudinem ita significauit Aristophanes in Pluto:

Neomeniæ apud Græcos Apollini sacræ

Παρὰ τῆς ἑκάτης ἔξεστιν τοῦτο πυθέσθαι
Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον, φησὶ γὰρ αὕτη,
Τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆνα προπέμπειν.
Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.

Ex Hecate licet id cognoscere:
An diteſcere quàm fameſcere melius: iubet enim ipsa
Habentes & diuites cœnam singulis mensibus exponere.
At pauperes homines rapere vel antequàm exponatur.

Meminit huius & Macrobius ita:

Nocturnisq; Hecate triuijs vlulata per vrbes.

Vide etiam Brodeum lib. 1. Miscelan. cap. 24. & 29. Argiui etiam Numenia cuiusq; mensis celebrabant, in memoriam Telesillæ.

Calendæ apud Latinos Iunoni sacræ.

Apud Latinos verò vt annus Ioui, sic Calendæ Iunoni sacræ fuerunt quemadmodum Varronis confirmat & Pontificalis authoritas. Quod etiam Laurentes patrijs religionibus seruarunt, qui & cognomen Deæ ex ceremonijs addiderunt, Calendarem Iunonem vocantes. Sed & omnibus Calendis à mense Martio ad Decembrem huic Deæ Calendarum die supplicarunt. Romæ quoq; Calendis omnibus Pontifex minor, in Curia Calabra rem diuinam Iunoni fecit. Regina etiam sacrorum, id est, Regis vxor, porcam vel agnam in regia Iunoni immolauit: à qua etiam Ianus Iunonius cognominatus fuit, quòd illi Deo omnis ingressus, huic Deæ cuncti Calendarum dies essent attributi & adscripti. Cùm enim, vt supra quoq; diximus, Ethnici plerig; initium mensium ab exortu lunæ seruauerint, iure Iunoni Calendas addixerunt, Lunam ac Iunonem eandem putantes: vel quia Luna per aerem meat, vnde & Græci Lunam ἀρτεμιν nuncupauerunt, quasi ἀειρότομιν, quòd aera secet: Iuno autem aeris arbitra est, ideò meritò initia mensium, id est, Calendas huic Deæ consecrauerant, Macrobio teste lib. 1. Saturnal. Meminit sacrorum quæ Calendis fiebant etiam Tibullus Elegia 3. lib. 1. sic canens.

At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereq; antiquo menstrua thura lari.

Vbi per menstrua thura, intelligit sacrificia singulis mensibus recurrentia, vel quæ vertente mense fiebant.

Refert etiam Suetonius in Augusti Cæsaris historia, Augustum sanxisse,
ne plus quàm bis in mense Senatus legitimus ageretur,
Calendis scilicet & Idibus.

CAPVT

CAPVT V.

DE NVNDINIS, VBI ETIAM QVAEDAM DE NONIS, decẽ hebdomadis vel septimanis, earumẽ dierum nominibus:

NVNDINAS *à Nono die dictas esse, quasi* Nouendinas, *nemini dubium videri potest. Sic enim Plautus ait in Aulul. Coquus ille nundinalis est, in nonum diem solet ire coctum.* Nundinæ vnde dictæ.

Nundinas *tamen non fuisse idem cum* Nonis, *sed ab ijs segregatas, Macrobius lib. 1. Saturn. docet, simul referens causam, ob quam nec Calendis, nec Nonis celebratæ sint Nundinæ, etsi non rarò in hos dies inciderent. Cùm sæpè, inquit, eueniret, vt Nundinæ modò in anni principem diem, modò in Nonas caderent (vtrunq; autem perniciosum Reip. putaretur) remedium, quo hoc auerteretur, excogitatum est. Quod aperiemus, si prius ostenderimus, cur Nundinæ vel primis Calendis, vel Nonis omnibus cauebantur. Nam quoties incipiente anno, dies cæpit, qui adiectus est Nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit, maximeq; Lepidiano tumultu opinio ista firmata est. Nonis autem conuentus vniuersæ multitudinis vitandus existimabatur, quoniam populus Romanus exactis Regibus, diem hunc Nonarum maximè celebrabat, quem natalem Seruij Tullij existimabant. Qui, quum incertum esset, quo mense Seruius Tullius natus esset, Nonis tamen natum esse constaret, omnes Nonas celebri notitia frequentabant. Veriti ergo, qui diebus præerant, ne quid Nundinis collecta vniuersitas ob Regis desiderium nouaret, cauisse vt Nonæ à Nundinis segregarentur. Vnde dies ille, quo abundauit annus ex Numæ ordinatione, eorũ est permissus arbitrio, qui fastis præerant, vt cùm vellent intercalarent: dummodò eum in medio Terminaliorũ, vel mensis intercalaris ita locarent, vt à suspecto die celebritatem auerterent Nundinarũ.* Nundinæ non sunt Nonæ. Nundinæ cur Calendis & Nonis non sint celebratæ.

Adhæc Nundinarum dies feriati fuerunt, vt mox indicabitur: Nonarum verò dies nõ item. Nonis enim nulli Deo sacrificatur, ideoq; sub nullius numinis tutela fuerunt, sed Ioui et Iunoni communes relinquebantur: Vnde Ouid. etiam lib. 1. Fast. Nonarũ tutela Deo caret. Et ne quærat aliquis, Cur ergo Nonis, si feriatus dies non sit, prohibita nuptiarum celebritas fuerit, sciendum est, Macrobio referente, quòd primus nuptiarum dies verecundiæ datus fuit apud Romanos, postridie autem nuptam in domo viri incipere oportuit dominiũ adipisci, & rẽ facere diuinam: omnes aũt postriduani dies, seu post Calendas, seu post Nonas Idusue, ex æquo atri fuerũt illis: ideò & Nonas inhabiles nuptijs esse dixerũt, ne nupta, aut postera die libertatẽ auspicaretur vxoriã: aut atro immolaret, quo nefas fuit sacra celebrari.

Præterea Nundinæ nono quoq; die singulis mensibus celebrabantur: Nonæ verò semel tantum, vel quinto, vel septimo die, ideoq; à Pontificibus quintanæ & septimanæ dictæ, Varrone teste. Proindeq; non dicuntur Nonæ, quòd in nonum diem inciderent, sed quòd ante diẽ nonum essent: aut à noua luna, quòd Pontifex eo die nouam lunam obseruaret, & visam regi sacrificulorum indicaret: vnde Nonæ quasi nouæ lunæ initium. Aut quòd ab eo die ad Idus, nouem sunt dies. Nonæ vnde dictæ.

Nundinarum autem ratio & forma hæc fuit apud Romanos. Septem diebus in agris rustici opus faciebant: nono die, intermisso rure ad mercatum legesq; accipiendas & sacra peragenda Romam veniebant. Astipulatur Columella lib. 1. De re rustica in præfatione, vbi dicit: Nundinarũ conuentus propterea vsurpatos, vt Nonis tantummodo diebus vrbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ. Sic Dionysius Halicarnass. lib. 2. dicit, Romulum plebeios omnes ruri degentes assuefecisse pacis tempore operi incumbere, nisi quãdo mercatu opus haberent: tum enim licuisse eis in vrbem conuenire, & in foro versari, nona quaq; die assignata nundinis. Et lib. 7. inquit: Nundinæ nono quoq; die celebrabantur, quo plebs agrestis in vrbem ad mercatũ conueniebat, finiendisq; litibus, & ad suffragia ferenda de ne- Nundinarum ratio & forma.

gotijs publicis quorum ius erat penes populum, aut de quibus senatus retulisset ad eum: reliquis septem diebus ruri degebant, quòd magna pars ob paupertatem operarentur suis manibus.

Itaque Macrobius appellat Nundinas, ferias rusticas. Et Festus: Nundinas, inquit, feriarum diem esse voluerunt, quo mercandi gratia rustici in vrbem conuenirent. Fiebat hoc ter singulis mensibus, adeoq; rustici tres menstruas ferias habebant apud Romanos: & tertia quidem, dicebatur Trinundinus dies (τρίτη ἐκκλησία apud Athenæum) vel Trínundinum, siue Trinum nundinum, hoc est, tertiarum nundinarum dies, qui prædici antè solebat, vt notior esset omnibus ac singulis, eratque reliquis duobus celebrior & frequentior: ob quam etiam causam in eo tantùm plebiscita & senatusconsulta referebantur & promulgabantur, ne in tanta hominum frequentia promulgata latere quempiam possent. Ideoque lex, Cicerone teste, iure lata non putabatur, nisi quæ trinundino esset ante promulgata. Magistratuum quoque candidati, trinundino plebem circuibant, vnumquemque manu prehensantes, suamque illi dignitatem commendantes. Cicero epist. 11. lib. 16. de Cæsare sic scribit: Neq; iam velle absente se rationem haberi sui: se præsente trinundinum petiturum.

Dionysius Halicarnass. & Macrobius conciliantur.

Duo autem hîc in quæstionem veniunt. Primum est, cur Dionysius affirmet, rusticos & in agris commorantes septem tantum diebus ruri laborasse, & nono in vrbem ad mercatum conuenisse? Quid octauo die egerint? Aut quî conueniat cum Dionysij sententia, quod Macrobius ex Rutilio Gallo lib. 1. Saturn. refert, Romanos instituisse Nundinas, vt octo diebus rustici in agris opus facerent: nono autem die, intermisso rure, ad mercatum legesq; accipiendas Romã venirent? Respondeo: veram esse Dionysij sententiam, diuerso respectu. Si enim inclusiuè numeres Nundinas, hoc est, dies septẽ labori destinatos proximè antecedentes & sequentes, erunt nouẽ dies: rectèq; dicitur, nono quoq; die ex agris rusticos in vrbẽ conuenisse. Neq; nouum hoc videri debet, quum & nos Christiani octiduum non rarò pro hebdomada vel septimana vsurpemus, numerando videlicet vtranq; Dominicam, & sex diebus, operi destinatis, addendo. Exclusiuè autem, hoc est, vnum tantum diem Nundinarum numerando, octauo die ad vrbem venerunt, & septem diebus laborarunt ruri. Proindeq; error videtur esse Rutilij, qui dicit, octo diebus rusticos ruri opus fecisse. Confirmant nostram sententiam antiqua quædam diuersis in locis reperta fragmenta Romanorum Fastorum, ex quibus coniectura non leuis sumitur octo tantum dierum, exclusiuè numerando. Nam menses ita prænotatos habent literis, vt vsq; ad H. perueniant, quæ est Octaua litera: quemadmodum hodie quoq; ex ritu Christiano vsq; ad septimam, hoc est, G. notantur. Sint igitur, exempli gratia, in mense aliquo primæ Nundinæ celebratæ die prænotato litera A. si inde progrediaris per diem secundum, tertium, 4. 5. 6. 7. 8. notatos literis B. C. D. E. F. G. H. tantum octo habebis dies, quorũ primò sunt Nundinæ, vt diximus, frequentatæ, reliquis septẽ laboratũ fuit. Si post H. rursus incipias ab A. quo die alteræ Nundinæ sunt habitæ, & vtrunq; A. id est, priores illas & has posteriores Nundinas inclusiuè numeres, habebis nouem dies.

Nundinæ cur feriæ dicantur

Secundo loco quæritur, cur Nundinæ feriæ dicantur? Nam Titus Quintus de Ferijs scribens, Nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum solennes vocauit. Et Iulius Modestus affirmauit, Messala augure consulente Pontifices, an Nundinarum Romanarum Nonarumq; dies ferijs tenerentur? respondisse eos, Nundinas sibi ferias non videri. Trebatius etiam li. 1. Religionum ait, Nundinis magistratum posse manumittere, iudiciaq; addicere. Sextus Pompeius quoque lib. 6. scripsit, Nundinas fuisse sine festo die. Sed contra Iulius Cæsar lib. 16. Auspiciorum, negat Nundinis concionem aduocari posse, id est, cum populo agi: ideoq; Nundinis Romanorum Comitia haberi non posse. Cornelius etiam Labeo lib. 1. Fastorum, Nundinis ferias esse pronuntiat. Et Sextus Pompeius lib. 12. Nundinas, inquit, feriarum diem esse voluerunt ANTIQVI, quo rustici mercandi vendendiq; causa in vrbem conuenirent, eumq; nefastum, ne si liceret cum populo agi interpellarentur nundinatores. Causa verò huius varietatis apud Granium Licinianum inuenitur li. 2. Ait enim, Nundinas Iouis ferias fuisse, siquidem Flaminica omnibus Nundinis Ioui in regia arietem solita

fueris

fuerit immolare. Sed lege Hortensia effectum, vt fastæ essent, vti rustici, qui nundinandi causa in vrbem veniebant lites componerent. Nefasto enim die Prætori fari non licebat. Ergo, inquit Macrobius, qui ferias dicunt, à mendacio vindicantur patrocinio vetustatis. Qui contrà sentiunt, æstimatu ætatis, quæ legem secuta est, vera depromunt.

Originem autem Nundinarum Dionysius Halicarnassæus Romulo assignauit lib. 2. Antiquit. Rom. sic inquiens: Plebeijs tam bellica quàm rustica iniunxit (Romulus) munia: in pace omnes assuefaciens ruri degentes incumbere operi, nisi siquando mercatu opus haberent: tum verò in vrbem conuenientes versari in foro, nona quaque die assignata Nundinis. Macrobius lib. 1. Saturnal. ex Tuditano refert, Romulum communicato regno cum T. Tatio, sacrificijs & sodalitatibus institutis, Nundinas quoque adiecisse. Sed Cassius Seruium Tullium fecisse Nundinas dicit, vt in vrbem ex agris conuenirent, vrbanas rusticasq; res ordinaturi. Geminus ait, diem Nundinarum exactis iam Regibus cœpisse demùm celebrari: quia plerique de plebe repetita Seruij Tullij morte, parentarent ei Nundinis: cui etiam consentit Varro. Sunt etiam, qui à Thuscis hanc Nundinarum obseruationem acceptam velint: nam hi nono quoque die Regem suum salutabant, & de proprijs negotijs consulebant. Nundinarum origo.

In his porrò Nundinis epulæ celebratæ sunt, quarum fit mentio in l. cùm societas. LXIX. ff. pro socio, vbi sic legitur: Cùm societas ad emendum coiret & conueniret, vt vnus reliquas Nundinas, id est, epulas præstaret. Cuiatius in alijs editionibus sic legi dicit: vt vnus reliquas Nundinarias epulas præstaret, &c. In Nundinis epulæ celebratæ.

Non dissimilis huic apud Athenienses fuit consuetudo, qui, vt ex Vlpiano in Demosthenem Adrianus Iunius refert, ter in mense quoque Athenis conciones & conuentus habere consueuerunt, de Reipub. negotijs consilijs ineundis, ni belli necessitas aliud suasisset. Primus autem conuentus fiebat vndecimo die mensis: secundus vicesimo, tricesimo tertius.

DE HEBDOMADIS VEL SEPTIMANIS, EARUMQ; INITIO, & dierum nominibus apud Ethnicos.

NVndinarum igitur Romanarum, si dies intermedios simul numeres, eadem penè fuit ratio quæ Hebdomadarum vel Septimanarum apud Iudæos & Christianos, Vt enim hi sex diebus, sic illi septem opus ruri fecerunt: vtq; hi septimo die ab omni opere cessant, ita illi octauo exclusiuè, seu inclusiuè nono feriati sunt. Non enim existimandum, Romanos cum suis Nundinis, vel Athenienses cum suis illis tribus solennibus conuentibus, Hebdomadas vel Septimanas cum Iudæis communes habuisse. Nam ante Ptolemæum Septimanas à gentibus obseruatas ex probatis authoribus non posse demonstrari arbitror. Censorinus in libello De die Natali, Iudæos septenarium in dierum omnium numeris sequi ait: quibus vtique non obscurè innuit, Septimanas apud Ethnicos in vsu non fuisse. Neq; obstat, quòd antiquissimi poetarum Hesiodus & Homerus, apud Romanos verò Cicero alijq; Septimæ diei, quæ sacra habebatur, nec non Septimanæ & Hebdomadæ mentionem faciunt. Ita enim Homerus. Nundinarum eadem ferè ratio quæ hebdomadarum.

Ἑβδομάτη δ' ἦπειτα καθήλυθεν ἱερὸν ἦμαρ: *Id est,*
Septima lux rursum sacra & præfulgida venit. Item:
Ἕβδομον ἦμαρ ἔην καὶ τὰ τετέλεστο πάντα: *Hoc est,*
Septima lux aderat cuncta & perfecta fuerunt. Rursus:
Ἑβδομάτη δὴ οἱ λίπομεν ῥόον Ὠκεανοῖο: *Id est,*
Septima vbi orta dies Acherontis liquimus vndas. Similiter & Hesiod.
Καὶ ἑβδόμη ἱερὴ ἦμαρ: *Id est, Septima dies sacra est.*

Hebdomadæ ante Ptolemæum apud Ethnicos non fuerũt in vsu.

Nam auctores hi non loquuntur de diebus septimanæ: sed de diebus mensis lunaris, vocantes aliquos ex eis fastos vel felices ad opus aliquod aggrediendum: alios vocant infastos

& euitandos: alios appellant sacros. Sic Hesiodus septimam appellauit sacram, quòd in ea Apollo ex Latona natus esset, sic enim scribit:

Καὶ ἑβδομὴ ἱερὸν ἦμαρ:
Τῇ δ' Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Idem trigesimum diem mensis vocat faustum & felicem. Non ergo Hesiodus de septima die loquitur, quatenus recurrit quater in mense, sed quatenus semel est septima dies mensis, eamq; sacram vocat, quòd Apollinis esset natalis, eiq; dicata. Eodem modo secundus mensis dies Fausto genio sacer fuit. Pausanias tertium quemq; mensis diem Mineruæ consecrauit. Quartus Mercurio dicatus erat, non modò quòd quaternarius numerus illi Deo, tanquam τετραγώνῳ præsidi, sit sacer habitus, Capella teste, verùm etiam quòd quarto mensis die in lucem fuerit editus, vt Plutarchus in Symposiacis lib. 9. indicat. Adhæc octauum quemque mensis diem apud Athenienses Neptuno sacrum fuisse Plutarchus in Theseo refert. Nonum diem, quem fugæ meliorem & furtis contrarium existimauit Vergilius, Soli dedicat Dionysius Halicarnassæus: quemadmodum decimum quintum Mineruæ, quòd in eo absolutus sit circulus. Pythagorici decimum septimum ἀπόφραξιν, id est, diremptorium diem vocarunt, prorsus consecrato eo numero, Plutarcho teste, quem & Vergilius pangendis vitibus felicem esse cecinit. Epicuræi vicesimum quemq; diem sacrum ducebant, quòd is Epicuri natalis fuisset. Plethon penultimum cuiusq; mensis diem Plutoni sacrum perhibuit, vt Adrianus Iunius cap. 5. de Annis & Mensibus indicat.

Aliquando auctores, hebdomadarum mentionem facientes, loquuntur de diebus consequentibus motum Lunæ in Zodiaco, quos Medici κριτικοὺς, hoc est, iudiciarios vocant, quia in eis fit pugna inter naturam & morbum: & medici sumunt ex eis indicium de salute vel morte ægri: & sunt septima post quartam, decima quarta, 21. & 28. Hinc Cicero epistola 9. lib. 16. Tironi scripsit, Symphoniam Lysonis velim vitasses, ne in quartam hebdomadam incideres. Vbi per quartam hebdomadam intelligit diem 28. qui numerus ex quatuor septenarijs constat. Septimi autem quiq; dies in febribus crisimi sunt & periculosi. Neq; verò solùm de diebus dicitur Hebdomadæ vocabulum, sed etiam de annis, & quibuscunque rebus quæ septenario numero comprehenduntur. Sic Gellius lib. 3. cap. 10. refert, M. Varronem lib. 1. de Hebdomadibus scripsisse, se iam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse.

Post Ptolemæũ Ethnici hebdomadas habuerunt.

Post Ptolemæi autem tempora Ethnicos septimanas habuisse negari non potest, siue eas à Christianis mutuati sint, siue quòd dies eius cum Planetarum suorum numero conuenirent. Diem certè Solis, perinde vt nostra Dominica, sacram fuisse apud Ethnicos, ex Meltiadis Papæ decretali epistola intelligitur, in qua Christianis ieiunium eius diei prohibet, ne cum Ethnicis ieiunare viderentur.

Dies hebdomadæ ante Ptolem. non Planetarũ nominibus distincti.

Similiter nec dies hebdomadæ ante tempora Ptolemæi nominibus Planetarum eo ordine, vt hodie, distincti fuerunt, sed nominati solùm à numero quo se inuicem in mense sequebantur. Id hac ratione probo. Veteres Astrologi ante Ptolemæum statuerunt Solem immediatè supra Lunam, sic vt illis Saturnus esset primus, secundus Iupiter, tertius Mars, deinde Venus, post eam Mercurius, inde Sol, vltima Luna. Iuxta hunc ordinem dies septimanæ sic debuissent disponi à supremo Planeta incipiendo, vt primus esset Saturni, secundus Veneris, tertius Lunæ, quartus Martis: deinde dies Solis, post quem dies Iouis, vltimo loco dies Mercurij. Sed hic ordo neq; hodie neq; olim obseruatus fuit. Ptolemæus autem posuit Solem in medio Planetarum, quorum ordo ab eo conscriptus hic est: Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Iuxta hunc demùm ordinem dies septimanæ, à Saturno incipiendo, sic possunt disponi & computari, vt primus sit dies Saturni, quem sequi debet dies Solis, & hunc dies Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris. Et hic est ordo qui olim obseruatus fuit, vt adhuc hodie. Occasionem sine dubio Chaldæi dederunt, qui cuilibet horæ diei Planetam gubernatorem attribuerunt: inde enim posteriores diem totum à primæ diei horæ gubernatore & præside denominarunt: quo obseruato, prouenit ordo à Ptolemæo constituto.

constituto. Si enim diei noctisq; horas à prima statim cœperis numerare, sic vt primam Saturno, sequentem Ioui, tertiam Marti, quartam Soli, quintam Veneri, sextam Mercurio, septimam Lunæ tribuas, per eam scilicet orbium seriem, quæ à Ptolemæo tradita fuit, atque idem denuò facias, donec horas 24. pertranseas, inuenies primam sequentis diei horam Soli assignatam: tum hoc idem in 24. horis illis eadem qua prius ratione si facias, Lunam primam tertij diei horam conciliabis: quòd si subinde hoc ipsum in cæteris obseruabis, congruentem plane Deum sibi dies quilibet asciuerit. Sed exemplo res clarior fiet. Primæ diei sabbathi horæ Saturnus dominatur, secundæ Iupiter, tertiæ Mars, quartæ Sol, quintæ Venus, sextæ Mercurius, septimæ Luna: iterumq; Saturnus octauæ eiusdem diei, ac denuò decimæ quintæ, & vigesimæ secundæ: sed vigesimæ tertiæ Iupiter, vigesimæ quartæ Mars. Vigesima quinta, quæ est prima hora sequentis diei, quem nos Dominicum vocamus, obuenit Soli, quamobrem eum diem dicarunt Soli. Eadem de causa, & eodem computationis ordine seruato, prima hora sequentis diei obuenit Lunæ, ideò diem illum Lunæ assignarunt. Simili ratione diem proximè sequentem Marti attribuerunt, posteram Mercurio, sicque in cæteris. Hic ergo est ordo dierum septimanæ assumptus, & deductus ex ordine Planetarum à Ptolemæo, qui claruit circa annos Domini 140. sub Antonino Pio, vt ex libro 2. cap. 1. & libro 7. cap. 5. de Magna Constructione colligitur. Intelligit ergo Lector ante Ptolemæum dies hebdomadæ per nomina Planetarum non fuisse distinctos. Confirmari posse nostram sententiam quoque Dionis testimonio arbitror, qui vixit sub Alexandro Seuero, circa annos Christi 225. is enim libro 7. & 30. hac de re ita scribit: Nam quòd his, inquit, septem stellis, quæ Planetæ vocantur, dies assignari receptum est, inuentum quidem putatur Ægyptiorum: sed in omnes tamen homines haud ita pridem vulgari cœptum. Cæterum Græci veteres, quantum equidem sciam, nullo prorsus eam rem pacto cognitam habuerunt. Singula verba diligenter perpende. Distinctio dierum per nomina Planetarum, non ipse affirmat, multò minus probat inuentum esse Ægyptiacum antiquum, sed haberi saltem dicit: si quid certi ea de re ei in promptu fuisset, procul dubio assignasset. Deinde negat veteres Græcos eam rem aliquo pacto cognitam habuisse. Tertiò dicit, hoc inuentum non ita pridem ante tempora sua in vulgus sparsum fuisse: floruit autem Dion annos 90. post Ptolemæum sub Alexandro Seuero. Augustinus quoque in Psal. 93. testatur, sua adhuc ætate, non omnes gentes dies septimanæ his Planetarum nominibus, sed alias atque aliæ aliter vocasse. Vnde turpissimus eorum error deprehenditur, qui affirmare ausi sunt, hæc dierum nomina Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris & Saturni à Deo sic ordinata fuisse & eis imposita ab origine mundi, non hominum vana præsumptione ita nuncupata: vt Philastrius Episcopus Brixiensis, qui Hieronymi & Augustini temporibus vixit, indicat in eo quem de Hæresibus libro scripsit, vbi etiam hanc sententiam inter hæreses habendam esse Christianis hominibus docet. Quam opinionem Augustinus quoque confutat eodem loco, cuius modò meminimus, vbi dicit, sydera quidem hæc à prima mundi origine fuisse, eos autem, à quibus denominata sint, mille aliquot seculis post viuere demùm cœpisse. Verba eius hæc sunt: Illi omnes, de quorum nominibus appellata sunt sydera, homines fuerunt: nec ex eo esse cæperunt ista sydera in cœlo, ex quo illi esse cœperunt. Et antè ibi fuerunt: sed per beneficia quædam mortalium mortalia illi homines pro tempore suo, quia plurimùm potuerunt & eminuerunt in hoc seculo quum chari essent hominibus, non propter vitam æternã, sed propter commodũ temporale deferebantur eis diuini honores. Veteres enim vates decepti, et decipere volentes, in eorũ adulationẽ qui sibi aliquid secundũ amorẽ seculi præstitissent, sydera ostendebant in cœlo: dicentes, quòd illius esset illud sydus, et illud illius. Homines autem qui antè non aspexerant vt viderent, quia ibi erant & illa sydera antequam nascerentur, decepti crediderunt, & concepta est opinio vanitatis. Philastrius huius erroris authorem Hermem fallacissimum vatem constituere videtur, quem supra citato loco dicit hæc nomina vanissima & friuola mentiendo ausum fuisse nuncupa-

Dionis locus & eius interpretatio.

re. *Vbi etiam discimus, Martis cum Saturno aliorumque Planetarum coniunctiones non esse timendas, quum hæc eis nomina non à Deo, sed hominibus superstitiosissimis sint imposita.*

Nomina dierũ hebdomadæ apud Germanos.

Germani partim retinuerunt gentilitia hæc nomina, partim mutarunt. Eum enim quem aliâs vocamus Dominicum, à Domino Iesu qui eo resurrexit à mortuis Sonntag *ipsi appellant, quasi Solis diem, à Sole: quem Tuisconis fuisse vxorem dixere: est enim Solis nomen apud Germanos fœminini generis, dicimus nanq; Sie/non* Der Sonn. *Eam in numerum Dearum retulerunt, & herbis, morbis, ac puerperijs præfecerunt. Nec quisquam ausus fuisset apud veteres Germanos dicere, Solem occidere, sed valedicere, quum nimirum infra horizontem descendens, è conspectu nostro sese subducit. Qua de re Auentinus lib. 1. Annal. fol. 26. in Germanica æditione sic scribit:* Sy habend deß Tuisconis weyb/frauw Sonnen/ vnder die Götter gezellt/ sy ein kõnigin deß himmels/ auch nach jren den ersten tag der wochen genennt/ über kreüter/ kranckheiten/ vñ kindbettinen gesetzt. Keiner dorfft sagen/ sy gienge vnder/ sonder sy gienge zů rõst/ vnnd gnaden/ wie dann noch das nãrrisch volck etwan thůt.

Sonntag.

Montag.

Solis diem proximè sequentem à Luna vocarunt Montag/*Luna enim nobis* Mon *vel* Man *dicitur. Cur autem & vnde Luna à Germanis sic appelletur Auentinus eodem loco indicat, videlicet à Tuisconis filio* Man/*vel Manno, qui successit parenti in imperio, regnauitq; annis 72. Ab eo viri dicuntur* Mann/*& patria nostra Germania: eum maiores nostri cœlo locarunt, eiusq; auxilium in maximis periculis implorarunt: ab eo quoq; Lunam nominarunt, & menses qui lunæ cursu conficiuntur: nihil magni & præclari aggrediendum putarunt, nisi in nouilunio aut plenilunio. Verba Auentini hæc sunt:* Sem kõnig Tuisco hat im regiment nach gefolget sein Sun/ der Man genannt/ ist ein gewaltiger Herr über alle ding gewesen 72 jar. Nach jm werdend wir die Man genennt/ vnd Teütschland Mannreych. Vnsere Altforderen habend jnn von seiner mannheit wegen in himmel gesetzt/ zů einem Gott gemachet/ vnd aufgeworffen zů einem besonderen grossen nothelffer. Wo sy in nõten oder grossem andacht sind gewesen/ habend sy jn angerůfft/ nach jm das Nachtliecht/ die Monat/ vnnd den anderen tag in der wochen Montag genannt/ Nicht grosses angehebt/ weder in frid noch krieg/ dann wann er Neüw oder Voll ist worden.

Zinstag.

Martis diem Germani appellant Zinstag.

Mittwoch.

Mercurij, Mittwoch/*quòd sit in media hebdomada.*

Donstag.

Iouis diem nominant Donstag/*vel* Donnerstag/*à Ioue altitonante, quasi tu dicas tonitrui diem, vel altitonantis diem.*

Freytag.

Veneris diem vocant Freytag/*à* Pfreia *Isteuonis coniuge & Germanorum Venere, quam coniugio præfecerunt etiam. Sic enim Auentinus:* Jsteuon kõnig in Teütschland/ vnnd der Teütschen Mercurius/ hat ein hauß frauw gehebt mit nammen Pfreia/ die Teütsch Venus/ die habend sy über die Ee gesetzt/ vnd vermeint sy seye ein verwaltrere vnd beschützere der Eeleüten/ vnnd Eelichen stands gewaltige Göttin: Habend auch nach jren den sechßten tag in der wochen Freytag genennet/ *quasi* Pfreytag. *Inde Germanis quoque* freyen/ *matrimonium contrahere significat: & reperiuntur adhuc hodie superstitiosi homines, qui arbitrantur nullum diem hoc ipso feliciorem & magis faustum sponsalibus esse.*

Samstag.

Vltimum hebdomadæ diem Germani nominant Samstag: *quæ corrupta vox esse videtur à Sabbatho vel Saturno, quasi* Sabbattag.

CAPVT

CAPVT VI.

DE IDIBVS.

IDVVM nomen, vt Macrobius refert, à Thuscis desumptum esse nonnulli arbitrantur, apud quos is dies Itis vocabatur, vel vt Varroni placet, Itus. Item autem seu Itum interpretabantur Thusci Iouis fiduciam, hoc est, diem qui nocturnis caret tenebris. Cùm igitur Iouem lucis authorem veteres existimarint, vnde & Lucetium Salij in carminibus canebant, & Cretenses δῖα τὸν ἡμέραν vocabant, Romani etiam Diespitrem, quasi dieipatrem appellabant: ideò iure hunc diem Iouis fiduciam vocari putarunt, cuius lux cum Solis occasu non finitur, sed splendorem diei ac noctis continuat, illustrante luna, quod semper in plenilunio seu medio mense fieri solet. Huic sententiæ Plutarchus quoque suffragari videtur, qui in Problematis Rom. Idus deriuari putat ἀπὸ τοῦ εἶδος, id est, à specie & pulchritudine, propter Lunæ tunc collucentis speciem & pulchritudinem: vnde & quidam Eidus per diphtongum potius, quàm Idus per simplex I. scribendum censent. Alij putant Idus dictas, quasi Vidus, detracta litera V: sicut contrà, quod Græci εἶδος. dicunt, Latini V. litera addita videre dicunt. Sunt qui existiment Idus ab oue Iduli vocatas, quæ omnibus Idibus apud Hetruscos à flamine immolabatur. Macrobio tamen magis arridet ea etymologia, qua Idus ab Iduando verbo deriuantur. Iduare autem Hetrusca lingua diuidere est: Iduum enim dies mensem diuidere videtur: vnde & vidua quasi Idua, hoc est à viro diuisa dicitur. Idus vnde dictæ. Iduare quid.

Idus autem omnes Ioui erant sacræ. Nam quia Iupiter pro luce accipitur, Idibus autem plenilunium accidit & nox tenebris caret, propterea omnes Idus Iouis ferias obseruandas sanxit antiquitas, Macrobio teste. Idibus autem ouis alba, sicuti diximus, Ioui mactabatur, dicebaturq; Idulis, auctore Festo. Vnde Ouidius lib. 1. Fast. Idus Ioui sacræ.

Idibus alba Ioui grandior agna cadit.

Ex hac hostia ferunt albogalerum fieri solitum, quo Diales flamines, hoc est, Iouis sacerdotes vtebantur, cui affigebatur apex virgula oleagina.

Præterquam autem quòd Idus omnes Ioui feriatæ erant, præcipuæ etiam feriæ quædam Idibus dicatæ fuerunt, quas veteres coli obseruariq; iusserunt, vt illas prætermittere, & insolennes relinquere, ducerent nefas: de quibus prolixè Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 17. & 18. Vnde etiam Ausonius vocat Idus almam diem, & genijs Deorum cultam. Idibus præcipuæ feriæ dictæ.

CAPVT VII.

Festa quæ mense IANVARIO à Græcis sunt celebrata.

ΓΑΜΗΛΙΑ.

Γαμήλια Gamelia festum erat Athenis, quod in honorem Iunonis Gameliæ, hoc est, nuptialis, mense Gamelione, qui nostro Ianuario vt plurimùm respondet, celebrabatur, quam statuit Cecrops, Phauorino teste, & cui in hac solennitate sacrum fiebat, non tamen fel victimæ sacrificabant, sed eximentes post aram proijciebant: id nimirum significante legislatore, neq; bilem neq; iracundiam in nuptijs & coniugio esse oportere: cuius rei etiam meminit Eusebius lib. 3. de Præparatione Euangelica.

ΛΗΝΑΙΑ ΚΑΙ ΑΜΒΡΟΣΙΑ.

Iones in honorem Dionysij seu Bacchi festum quotannis celebrarunt, quod ab ipso Ληναίου, siue pluraliter Λήναια nominarunt. Dictus enim fuit Dionysius Λήναιος & Lenæus, Donati error.

non, vt Donatus ineptè putauit, quòd leniat à curis mentem: quî enim Græcum nomen poteſt Latinam etymologiam recipere? ſed ἀπὸ τῶ λιώ, hoc eſt, à torculari: vnde & Moſcopulus eum τῷ λιωῶν ἐπισάτω præſidem torcularium nominat. Ab hoc etiam feſto Gamelionem, menſem Atticum, Λῶ αἰᾶα Lenæum ſeu Lenæonem Iones appellarunt. Nominarunt etiam feſtum hoc Ληβεῶσιαν, vel plurali numero Ληβεῶσια. De quibus omnibus plura diximus ſupra in Ianuario.

ΑΦΙΞΙΣ ΙΣΙΔΟΣ ΕΚ ΦΟΙΝΙΚΗΣ.

AEgyptij apud Hermupolim ſeptimam diem menſis Tybi, qui Ianuario noſtro reſpondet, partem tamen Decembris ſibi quoq; vendicat, feſtam agentes, eamq; Αφιξιν Ισιδος ἐκ Φοινικης nominantes, ἐπίπλαστον τοῖς πατρίοις ἵππον ποταμιον δεδεμένον, id eſt, ex placentis effingebant equum fluuialem vinctum. Itaq; etiam in eadem vrbe ſimulachrum oſtendebatur Typhonis, equus fluuialis, cui accipiter inſiſtebat contra ſerpentem pugnans: equo Typhonem indicantes, accipitre vim & principatum, ὧ βίᾳ κρατῶμεν & ὁ τυφων πολλάκις ἀκ αἰτίας ταράττομεν & ὑπὸ τῆς κακίας κὴ τῦ θράσους: quibus vi potitus Typhon ſæpenumero non defatigabatur præ malitia turbatus atque turbans, vt Plutarchus ſcribit in lib. de Oſiride. Fiebant itaque hæc ab ipſis in contumeliam Typhonis, qui Oſiridem interfecerat, menſe Tybi: Plutarchus tamen paulò ante hunc locum hæc facta ab ipſis menſibus Payni & Phaophi teſtatur. In hoc et alijs feſtis ac ſacrificijs ſimilia multa faciebant in Typhonis ignominiam: contumelioſè tractabant rufos, aſinumq; de præcipitio deijciebant Coptitæ, quòd rufus & aſinino colore fuiſſet Typhon. Buſiritæ ac Lycopolitæ tubarum vſu omninò abſtinebant, quòd harum ſonus aſininæ voci eſſet ſimilis, eodem authore.

Feſtum hoc celebratum in contumeliam Typhonis.

CAPVT VIII.

De Feriis quæ IANVARIO menſe à Romanis ſunt celebratæ.

CALENDAE IANVARIAE.

Ceremoniæ calendis Ianua. à Rom. obſeruatæ.

IRANT quidem Calendæ omnes Iunoni ſacræ, vt ſupra indicauimus, peculiariter tamen Romani Calendis Ianuarijs ſuo Iano ſacrificabant & Ioui, vnde Herodianus lib. 1. ſic ſcribit: Νέῳ μὲν δὲ ἔτει σέβεσι τὴν ἑορτὴν ῥωμαῖοι εἰς θεὸν ἀρχαιότατον, τῆς Ἰταλίας ὅπιγώτιον ἀναφέροντες: id eſt, anni ineuntis diem Romani feſtum agunt, ad vetuſtiſſimum Italiæ deum eum referentes. Ac hortatur Ouidius lib. 1. Faſt. ciues Romanos, vt prima huius diei orta luce, adſint ſacrificijs, linguam coerceant, mentemque adhibeant, ſic inquiens:

Proſpera lux oritur, linguiſq; animiſq; fauete:
Nunc dicenda bona ſunt bona verba die.
Lite vacent aures, inſanaq; protinus abſint
Iurgia: differ opus liuida turba tuum.

Hoc tamen referendum ad contentiones forenſes, amicorum iurgia & maledicentiam inuidorum: alioquin enim hoc die non vacabant contentione & certamine, ſed artis demonſtratione, quam quiſq; callebat, certabant: vt bono omine ab anni initio captato, idem toto anno profeſſuri eſſent. Sic enim Ouidius:

Poſſe ea mirabar cur non ſine litibus eſſet
Prima dies: cauſam percipe, Ianus ait.
Tempora commiſi naſcentia rebus agendis,
Totus ab auſpicio ne foret annus iners.

Quiſq;

Quisq; suas artes obidem delibat agendo,
Nec plus quàm solitum testificatur opus.

Vnde Columella quoq;, Ita tamen, inquit, vt agricolæ ipsis Calendis Ianuarijs auspicandi causa omne genus operis instaurent.

Ascendebat etiam populus nouis indutus vestibus, cum Consulibus nouum magistratum 2.
inituris in Capitolium hoc die: vbi immolabant iuuencos albos rudes operum: nec tantum intra templa, sed etiam præ foribus eorum suaueolentia incendebant: quod his verbis innuit Ouidius:

Cernis odoratis vt luceat ignibus æther,
Et sonet accensis spica Cilissa focis.
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde iubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Iamq; noui præeunt fasces, noua purpura fulget,
Et noua conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba Phalisca suis.

Simulq; Votorum fiebat nuncupatio, quibus noui Consules & Flamines pro salute & incolumitate Reipub. solenne obibant iusiurandum, Tacito auctore. His adde, quòd Calendis Ianuar. Consulibus & magistratum ineuntibus, lauri folia à populo dabantur, cum ischadibus boni ominis ergo. Nam laurus efficax esse aduersus venena, & sanitatem conciliare credebatur, referente Cælio lib. 5. cap. 7.

Adhæc primum anni incipientis diem lætis precationibus inuicem faustum felicemq; pre 3.
cabantur. Causam huius ritus Ouidius reddit: Omnia principijs, inquit, inesse solent.
Et Plinius, Cautum erat apud Romanos, ait, ne quod mali ominis verbum Calendis Ianuarijs efferretur: si quid enim siniſtro omine auditum esset, infelicem annum portendere putabatur: quod idem & priuatim diebus Natalibus obseruabant. Hinc est, quòd Meuius quidam (vt scribit Porphyrio) post absorptum patrimonium, Calendis Ianuarijs alta voce optauit, vt quinquaginta millia nummorum æris alieni haberet. Cumq; admiratus quidam astantium quæsiuisset, quid hoc sibi vellet, quòd tam solenni die optaret sibi incommodum? Meuius respondit: Non est quòd mireris: octingenta enim millia debeo. Vnde etiamnum hodie, Paulo Marso teste, in tota Græcia & omnibus ferè Italiæ vrbibus diluculo Calendarum Ianuar. pueri ad nobilium ædes accedentes, quibusdam rhythmis eos salutant, & felicem annum eis imprecantur: qui mos inde ad Heluetios & Germanos vsque fluxit etiam.

Mos quoq; apud Romanos fuit Calendis Ianuarijs vltro citroq; mittere munera, quæ 4.
Strenas *appellarunt.* Strenam, *inquit Festus lib. 17, vocamus munus, quod datur die festo, ominis boni gratia, à numero quo significatur alterum, tertiumq; venturum similis commodi, veluti Trenam, præposita S. litera, vt & in* loco & lite *solebant antiqui, dicentes* Slocum, Slitem. *Contra autem Nonius, Strena, inquit, dicta est à strenuitate: quòd viris strenuis ea conueniat, ob virtutem, vt Symmachus ad Theodosium & Arcadium Impp. scripsit. Vel à luco streniæ, ex quo Tatius rex verbenas filicis arboris noui anni auspices primus accepit, vt idem Symmachus ad eosdem retulit. Erant autem hæc munera apud priscos illos Romanos palmarum poma, quæ cariotæ seu cariotides appellantur caricæ & mella, vnde tunc* Dulciaria *dicebantur: progressu verò temporis pauperum tantum erant huiusmodi dona. Vnde Martialis in distichis:* Strena quid. Dulciaria.

Aurea porrigitur Iani Cariota Calendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet. *Et alio loco:*
Hoc linitur luto Iani Cariota Calendis,
Quam fert cum paruo sordibus asse cliens.

Mittebant autem inuicem Dulciaria hæc die hoc, in omen futuræ suauitatis ineuntis anni: quod Ouidius docet lib. 1. Fast. sic canens.

Quid vult palma sibi, rugosaq; carica, dixi,
Et data sub niueo condita mella cado?
Omen, ait, causa est: vt te sapor ille sequatur,
Et peragat cœptum dulcis vt annus iter.

Mos mittendi aurea & argentea munera Calend. Ian. Romæ quando cœperit.

Quum autem imperium Rom. auctum esset, & dira cupido habendi animos ciuium incessisset, relictis his Dulciarijs pauperibus, vti diximus, ditiores aurea et argentea vltro citroq; mittebant munera. Vnde Symmachus ad Theodosium & Arcadiũ Augustos sic scripsit de Strenis loquens: Sumite, ait, defensores publicæ salutis solenniter auro ducta munuscula, non quia diuitis metalli honore gaudetis, sed vt nostra deuotio felicis seculi testetur opulentiam. Bonis principibus benè parta libemus: suscipite à iudicibus aperta obsequia, qui precia occulta damnatis. Meritò vobis solennes pateras cũ quinis solidis, vt numinibus integratis offerimus: quibus nec vester pudor, nec noster census oneratur. Sic Tranquillus de Augusto Cæsare scribit: Calendis Ianuarijs, inquit, strenam in Capitolio, etiam absenti, ex qua summa pretiosissima Deorum simulachra mercatus, vicatim dedicabat, vt Apollinem sandaliarium, & Iouem tragœdum, aliaq; in restitutionem Palatinæ domus incendio absumptæ, veterani, decuriæ, tribus, atque etiam singulatim è cætero genere hominum libentes, ac pro facultate quisq; pecunias contulerunt, delibante tantummodò eo summarum aceruos, neque ex quoquam plus denario auferente. Hæc verò aurea & argentea munera, Ouidius Stipem vocat lib. 1. Fast. sic inquiens: Dulcia cur dentur, video: Stipis adijce causam.

Stipis quid.

Est autem Stipis, Festo teste, nummus signatus: cuius rei etiam indicio est, quòd pecunia, quæ militibus datur, Stipendium dicitur, & Sponsio pecuniarum stipulatio. Laudat verò Ouidius priscam illam simplicitatem, & damnat sui temporis opulentiam & luxuriam: quæ tandem eò vsque progressa fuit, vt non solùm hoc die, sed alijs etiam huius mensis darent & acciperent Strenam. Sed quum Strenarum dies legitimus esset Calendæ Ianuar. id est, anni initium, ideò Tiberius Imp. edicto prohibuit, ne strenarum commercium vltra Calendas Ian. exerceretur, Suetonio teste, qui strenarum commercium vocat vicissitudinem dandi & accipiendi strenas. Addit idem auctor de Tiberio: Consueuerat quadruplam strenam, (hoc est, quadruplo maiorem quàm ipse accepisset) de manu reddere, sed offensus se interpellari toto mense (Ianuario) ab ijs qui potestatem sui die festo (Calendis Ian.) non habuissent, vltrà non reddidit.

Strenarum origo.

Hæc autem Strenarum origo, qua felicem ominabantur anni ipsius auspicio & initio, à Tatio Rege manasse dicitur, qui primùm Romuli hostis, deinde collega in regno Romano fuit, sicuti Turnebus in suis Aduersarijs annotat, & Symmachi authoritate probat. Sic enim ille in epistola ad Theodosium & Arcadium Augustos: Ab exortu, inquit, penè vrbis Martiæ Strenarum vsus adoleuit authoritate Tatij regis, qui verbenas filicis arboris ex luco Streniæ anni noui auspices primus accepit. Idem Symmachus ad eosdem in alia epistola sic scripsit: Calendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicauit antiquitas: huius instituti vsum munificentiæ festinatione peruertitis, seram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus amouetur.

Herodianus lib. 1. quæ pluribus diximus paucis his verbis complectitur: ταύτῃ τῇ ἑορτῇ ῥωμαῖοι δεξιῶνται τε ἀλλήλους, καὶ προσαγορεύουσι, νομισμάτων τε ἀποδόσεσι, καὶ κοινωνίᾳ τῆς γῆς καὶ θαλάττης καλὸν ἀφορμίνουσιν αὐτὸς, ἀρχαί τε ἐπώνυμοι τό τε πρῶτον τῶν ἐνδόξων καὶ ἐναύσιον πορφύραν περιτίθενται.

Calendæ Ian. celebriores factæ.

Huic Iani festo Cal. Ian. celebrato accessit progressu temporis inde plurimùm celebritatis, quòd eo ipso die duo templa, alterum Iouis, alterum Æsculapij, dedicata & consecrata in insula Tiberina essent, vt Ouidius lib. 1. Fast. testatur. Seruius enim Grammaticus refert, nihil apud Romanos tam solenne fuisse, quàm diem consecrationis. Hæc religio diei huius causa videtur fuisse, quòd quum in primordio nascentis ecclesiæ omnibus diebus sine discrimine per-

ne persequerentur Christianos, hac vna tamen die à cæde eorum abstinerent. Vnde D. Hieronymus author est, nullum esse toto anno, præter Calendas Ian. diem, quo non afflicti supplicio è Christianis quingenti martyres numerentur.

Ambrosius Serm. 17. indicat, gentes hanc solennitatem epulis transegisse, nec non acclamationibus & saltationibus impijs. Durandus in Rationali lib. 6. cap. 15. refert, Ethnicos hoc die formas monstrosas induisse, alios pelles pecudum, alios capita bestiarum, viros mulierum, mulieres contrà virorum vestes: nonnullos mensam refertam varij generis epulis adornatam, & poculum mulso mistum tota illa nocte domi suæ habuisse, fertilitatem futuri anni sic auspicantes. Meminit postremæ huius idololatriæ & Hieronymus lib. 18. in Isaiam, & dicit, eam in cunctis vrbibus, maximè autem in Ægypto & Alexandriæ in vsu fuisse. 5.

Illud denique non omiserim Calendis Ianuarijs solenne sacramentum quotannis à Romanorum militibus in castris exigi & præstari solitum. Prius quidem sua sponte decuriati equites, centuriati pedites sacramenta mutuò præstabant: Deinde verò Paulo Æmilo et Terentio Varrone Coss. tunc primùm, quod nunquam antea factum, per Tribunos militum à voluntario sacramento, ad legitimum iusiurandum milites adacti fuere. Quod quidem Imperator præstare tenebatur primus, suo mox ordine subsequebantur Legati, deinde Tribuni, hinc Centuriones, postea Decuriones, mox Præfecti castrorum, demùm Milites eo quo diximus die. Iurabant autem per Deos, postea in acta principum, se iussu Consulum conuenturos, ne è castris, eorum iniussu, quæsitis occasionibus abituros, non fugæ formidinisúe causa extra ordinem recessuros, nisi tel: sumendi, vel hostis feriendi, aut ciuis seruandi causa. Neque in exercitu, propéue 10. passuum millia, pluris argentei nummi furtum facturos: extraq; hastam, ligna, pabulum, vtrem, follem: si quid, quod pluris esset, nacti fuissent, id omne ad Consules delaturos, aut dominis reddituros. Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 20. 6.

COMPITALIA.

COmpitalia Seruius Tullius Romanorum rex, à Plinio lib. 36. cap. vltimo, ob miraculosos natales suos instituisse scribitur. Fuerunt autẽ eiusmodi, vt Dionysius lib. 4. ex Latinis authoribus refert: Ex foco regiæ, vbi cùm alia sacra domestica solebant fieri, tùm cœnarum libari primitiæ, extitisse virilis membri speciem. Id primam conspicatam Ocrisiam, bello à Tarquinio Prisco captam, & Tanaquili vxori dono datam, sed ab ea manumissam: quæ ex more liba eò tulerat, indicasse regibus. Viso prodigio, miranti marito Tanaquilem vxorem prudentem alioquin & Thuscarum cumprimis peritam artium, dixisse solam soli, fatale esse in regia maiorem homine prolem nasci ex ea fœmina quæ cum spectro illo concumberet. Id quum confirmassent alij quoque prodigiorum interpretes, placuisse regi ipsam cum eo coire, cui primæ apparuerit: ac mox mulierem nuptiali ornatu excultam inclusam esse in cubiculum, congressamq; cum quopiam Deo, vel genio, siue is Vulcanus fuerit, vt tum vulgò creditum sit, siue familiaris Lar: postquam is disparuit grauidam factam legitimis mensibus exactis peperisse Seruium Tullium. Ac ne fabulosum hoc videretur, fidem rei prodigio nouo confirmatam idem tradit. Puero enim in regio cubiculo meridianti flamma emicuit è capite, matre ipsaque regina inspectante cum mulieribus & alijs qui tum fortè aderant: nec prius ardere caput desijt, quàm excitato à matre flamma simul cum somno euanuit. Quæ omnia ego conficta arbitror, vt hoc pacto Tullio è serua, sed parente Tarquinio, nato, maior apud subditos esset authoritas. Quicquid sit, Seruium Tullium creditum Laris familiaris esse filium, ob id Compitalia & Ludos Laribus instituisse Plinius author est. Sunt qui hos Ludos eosdem esse velint cum Romanis & Plebeijs seu popularibus, quos ego tamen diuersos arbitror. Nam Compitalitij circa Ianuarium tantum hyemis tempore, Romani verò per totum annum celebrati sunt. Error autem inde natus videtur, quòd in Romanis ludis simulachra portata, passim in compitis vrbis posita fuerunt, vnde & Compitalitij aliquando dicti sunt.

Compitaliorũ author.

Seruij Tullij natales quales.

Ludi Compitalitij, & Romani ac Plebeij diuersi.

Compitalio rum ritus.

Mandauit autem, vt Dionysius Halicarnass. lib. 4. refert, vt per omnia compita, vnde & nomen habent, viciniæ sacella lignea dedicarent Laribus, & quotannis eis sacra facerent, conferentibus liba singulis domibus. Sacrificis Compitalia sacra facientibus non ingenuos, sed seruos ministrare voluit, quasi hoc gratius esset Laribus: quod festum nostra quoque ætate Romani agitant paucis diebus post Saturnalia cumprimis celebre & sumptuosum, Compitalium appellatione. Duratque mos ille priscus in sacris placandi genios per seruorum ministeria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate mansuetiores redditi dominos suos chariores habeant, & lenius ferant suæ fortunæ inclementiam. Hæc Dionysius.

Macrobius autem aliter sentire videtur: qui lib. 1. Saturnal. ita scribit: Restituti, inquit, ludi à Tarquinio superbo Laribus ac Maniæ, ex responso Apollinis: quo præceptum est, vt capitibus pro capitibus supplicaretur. Idq; aliquandiu obseruatum pro familiarum sospitate, vt pueri mactarentur Maniæ deæ, matri Larium: quod sacrificij genus Iunius Brutus Consul pulso Tarquinio aliter constituit celebrandum: Nam capitibus allij & papaueris supplicari iussit, vt responso Apollinis satisfieret de nomine capitum, remoto scilicet scelere infaustæ sacrificationis: factumq; est, vt effigies Maniæ suspensæ pro singulorum foribus, periculum si quando immineret familijs, expiarent: ludosq; ex vijs compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia appellauerunt. Hæc Macrobius. Festus ait, Pilæ effigies viriles & muliebres ex lana, Compitalibus suspendebantur in Compitis: & hunc diem festum esse Deorum inferorum, quos vocant Lares putarunt: quibus tot pilæ, quot capita seruorum: tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, vt viuis parcerent, & essent ijs pilis & simulachris contenti. Lanis enim (authore Plinio) veteres Romani authoritatem religiosam habuere, postes à nubentibus attingi iubentes, apud quos flamines pileum ferebant, in quo erat breuis virga, desuper habens lanæ aliquid. Cumque, capellis per Lupercos mactatis, gemini adolescentes præclari sanguinolento gladio fœdatam sibi faciem attingerent, alij illico cum lana lacte madida accurrebant, atque abstergebant sanguinem.

Compitalia fuerunt concepti ua.

Erant autem Compitalium feriæ non statæ, sed conceptiuæ: ideoq; etsi hyeme tantum celebrarentur, nihilominus certus eis dies non erat definitus, sed modo hoc, modo alio agitabantur. Hinc, vt Antonius Constantius ex Varrone indicat, nonnunquam 11. Calen. Ianuarias solebant celebrari: & Dionysius Halicarnass. paucis diebus post Saturnalia celebratas scribit. Cicero in Pisonem mox ab initio refert, sua ætate Compitalitiorum dies in Calendas Ianuarias incidisse. Idem rursus ad Atticum lib. 7. testatur 4. Non. Ianuar. etiam celebratos: sic enim scribit: Ego quoniam 4. Non. Ian. Compitalitius dies est, nolo eo die in Albanum venire molestus familiæ. Quæ etiam causa est, quod hoc loco de eo agere volui. Ex Macrobij quoq; lib. 1. Saturn. apparet, die nono Ianuarij mensis aliquando agitata fuisse Compitalia. Eius verba adscribam, quòd ex ijs intelligatur, quibus verbis hæ feriæ conceptæ fuerint à Prætore: Is, inquit, more maiorum Compitalia his verbis concipere solebat: Die noni post Calendas Ianuarij Quiritibus Compitalia erunt. Ad quæ verba, vt obiter hoc addam, Gellius lib. 10. cap. 24. hæc annotat: Die noni Prætor dicit, non die nono, neque Prætor solùm, sed pleraq; omnis vetustas sic locuta est.

AGONALIA.

Agonalia Iano celebrata.

AGonalia statiuæ feriæ sunt, semper 5. Idus Ianuarias celebratæ in honorem Iani, ex instituto Numæ Pompilij, vt Macrobius ex Antia refert lib. 1. Saturnal. Et Ouid. lib. 1. Fast. inquit: Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis, hoc est, Quarto die post Nonas, qui est nonus mensis, & quintus ab Idibus. Rursus idem: Ianus Agonali luce piandus erit. Festus verò in honorem Agonij Dei, qui rebus agendis præesse putabatur, institutas esse has ferias dicit. Immolabat autem hoc die rex sacrorum arietem, vt Varro tradit lib. 5. de lingua Latina.

Nominis

Agonaliorum etymologia & ritus.

Nominis verò rationes multæ afferuntur. Nam Varro loco iam citato, ex ritu sacrorum ductum existimat, in quibus minister strictum ad arietem iugulandum tenens cultrum, mactare non audebat nisi iussus esset: ideò succinctus mandatum imperiúmue expectans, rogare solebat, Agon? Quam opinionem Ouidius quoq; his versibus attigit:

Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper agátne, rogat, nec nisi iussus agit.

Alij putarunt Agonalia dici ab actu, quòd pecudes ad sacrificium sponte non veniant, sed agantur. Sic Pompeius agonias hostias ab agendo dici putat. Vnde Ouidius:

Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen agonalem credit habere diem.

Nonnulli putant antiquos vocasse hoc festum Agnalia, per detractionem vnius literæ ab Agonalia: ab agnis, quamuis rex sacrorum arietem immolaret. Sic enim Ouidius:

Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum,
Vna sit vt proprio litera dempta loco.

Sed quia festa omnia hoc nomine appellanda forent, si veræ essent duæ hæ rationes, ideò fuerunt, qui Agonalibus nomen inditum existimarunt à metu hostiarum, quæ viso cultro, quo erant feriendæ, in aqua, siue mola, vbi tingebatur, trepidabant: nam ἀγωνία est conturbationis species, quam Latini trepidationem vocant. Quam sententiam poeta his versibus attigit:

Aut quia præuisos in aqua timet hostia cultros,
A pecoris lux est ipsa notata metu.

Festus, vt diximus, ad Agonium, rerum agendarum Deum, dictionis huius etymon refert. Alij ad Agonem montem, in quo die illo sacra fieri solebant, qui postea Quirinalis dictus est, ex quo in eo comederunt Sabini, in vrbis portionem recepti. Alij denique à certamine curuli dictum putant, quod his diebus antiquitus solebat celebrari. Græci enim certamina & ludos Ἀγῶνας appellant. Hanc opinionem Ouidius approbat, sic canens:

Fas etiam fieri solitis ætate priorum
Nomina de ludis Græca tulisse diem,
Et prius antiquus dicebat Agonia sermo,
Veráq; iudicio est vltima causa meo.

Agonalia repetita.

Repetuntur Agonalia 13. Calend. Maias: quod Ouidius docet libro quinto Fast. Nam quum ibi dixisset de transitu Solis in Geminos, qui tunc temporis hoc die fiebat, hæc subiungit:

Ad Ianum redeat, qui quærit, Agonia quid sint:
Quæ tamen in Fastis hoc quoque tempus habent.

CARMENTALIA.

Carmentalia quo die celebrata.

CArmentalia Romæ celebrata 3. Idus Ianuar. Ouidius indicat li. 1. Fast. Nam quum Agonalia celebrata ostendisset 5. Idus Ianuar. & mediæ hyemi 4. Idus Ianuar. assignasset his verbis:

Postera lux hyemem medio discrimine signat:
Æquaq; præteritæ quæ superabit, erit. Mox subiungit:
Proxima prospiciet Tithono aurora relicto,
Arcadiæ sacrum Pontificale decus. Intelligit igitur 3. Idus Ian.

Carmentalia vnde dicta.

Nomen habent à Carmenta Euandri matre è Mercurio, quæ fatidico spiritu afflata filio suasit, vt relicta patria Italiam petat, vbi Euander, monitis eius obtemperans, pulsis Aboriginibus, ea loca occupauit, vbi postea Roma condita fuit, Dionysio Halicarnassæo

auctore. Hanc ab initio Themin vocatam asserit Plutarchus Problem. 56. vel iuxta alios, Nicostratam. Qui verò Romanas conscripserunt Origines, lingua patria Carmentim eam postea appellatam tradunt. Cuius nominis etymologiæ variæ afferuntur. Plutarchus eodem loco, itemque in vita Romuli, sicut & ante eum Dionysius Halicar. testes sunt, esse qui à carminibus sic dictam velint: & quamuis Dionysius in hanc sententiam descendere videatur, Plutarchus tamen non carmina Carmenti nomen indidisse, sed ab ea potius accepisse vult, quòd diuino spiritu afflata, ventura populo carmine solita esset prædicere. Quidam igitur, eodem auctore, Carmentam, quòd quasi careat mente, dictam voluerunt: vt solebat his euenire, quæ Apollinis numine debacchabantur.

Huic, in Dearum numerum relatæ, aram dicarunt Romani apud eam portam, quæ inde Carmentalis appellata fuit, & ibi quotannis sacrificarunt, quòd de Imperio Romano vaticinata esset, Dionysio teste lib. 1.

Dedicatio templi Iuturnæ hoc etiam die celebrata.

Eadem die celebrabatur etiam dedicatio templi Iuturnæ, quod fuit in campo Martio, propè ductum aquæ virginis. Testatur id Ouid. lib. 1. Fast. sic canens:

Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit,
Hic vbi virginea campus obitur aqua.

Iuturna quæ.

Dicit autem hoc loco Ouidius Iuturnam fuisse Turni sororem, quam quidam dicunt lacui, in quo submersa est, nomen dedisse. Seruius verò indicat, fontem fuisse in Italia celeberrimum, iuxta Numicum fluuium, cui à iuuando nomen inditum fuerit: quòd quum naturaliter omnis aqua noxia sit peregrinorum corporibus, hic tamen fons omnibus saluberrimus extiterit. Statius quoque in Syluis Iuturnam fontem fuisse testatur. Ex hoc fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueuerat. Inde quoque ægroti, autore Varrone, aquam petere soliti erant. Quæ etiam, absq; dubio causa fuit, quòd ad has aquas templum ædificatum, & eius dedicatio quotannis celebrata fuit.

IDVVM IANVARIARVM. celebritas.

Idus Ianuar. cur celebriores reliquis.

IDus quidem omnes Iouis nomine sanxit festas antiquitas: hæ tamen celebriores factæ, quòd Cæsar Octauianus ijs Augusti nomine appellatus sit: quem in infantia Thurinum dictum Suetonius scribit, vel in memoriam originis maiorum, vel quòd eo recens nato, eius pater Octauius in regione Thurina aduersus fugitiuos rem feliciter gessisset. Sed & Octauianus à patre Octauio: & C. Cæsar, Iulij Cæsaris testamento dictus fuit. Sed post extinctam Cleopatram, & omnibus prouincijs in certam formam redactis Augusti cognomen amplissimum assumpsit, ex Munacij Planci sententia, Tranquillo teste. Refert id etiam Ouidius his verbis:

Idibus in magni castus Iouis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ouis.
Redditaq; est omnis populo prouincia nostro,
Et tuus Augusto nomine dictus auus.

CARMENTALIA repetita: Porrimæ item & Postuertæ sacrum.

Porrima & Postuerta quæ.

DEcimo octauo Calendas Februarias Carmentalia iterum celebrabantur, in honorem matris Euandri, item Porrimæ ac Postuertæ, quarum illam etiam Porsam, vt Alex. ab Alex. vult lib. 2. cap. 25. vt verò Anton. Constantius Porsam & Anteuortam dixerunt. Fuerunt autem Carmentæ vel sorores vel comites, habueruntq; vim noscendi, vt inquit Macrobius, illa præterita, hæc futura. Repetita autem sunt hæc solennia, & simul Porrimæ ac Postuertæ sacrificatum ijs fuit, propter restituta vehiculi iura matribus Romanis. Nam vt Liuius docet lib. 5. ab vrbe condita, cùm, vrbe voti damnata, decima mittenda esset ex præda Veientana Apollini Delphico, pecunia ex ærario prompta fuit, & tribunis

Carmentalia cur repetita.

bunis militum Consularibus, vt aurum ex ea coemerent, negotium datum. Eius verò cùm non esset copia, matronæ, cœtibus ad eam rem consultandam habitis, communi decreto pollicitæ tribunis militum, aurum & omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt. Grata ea res, vt quæ maximè Senatui vnquam fuit. Isq; honos, ob eam munificentiam, matronis habitus à Senatu fuit, vt plaustro carpentisq; ad sacra ludosq; festo profestoq; vterentur. Verùm Plutarchus in vita Camilli huius non meminit, sed inquit, Senatum his mulieribus honorem referentem decreuisse, posc mortem, quemadmodum pro viris, ita pro fœminis laudatiuam orationem haberi: non enim mos erat antea apud Romanos, mulierem mortuam laudare. Verùm progressu temporis hoc Carpentorum ius illis ablatum fuit à Senatu: de quo Plutarchus 56. Problem. Ferunt, inquit, mulieres Senatusconsulto vehiculis vti prohibitas, inter se conspirasse, ne qua earum conciperet, néue pareret, atque ita viros vlciscerentur, donec coacti mutauerunt sententiam, atque vti permiserunt. Natis deinde pueris, quum & multitudine liberorum, & bonitate felices fuisse viderentur, Carmentæ ædem ædificarunt, in qua sacra huius Deæ obibant, & simul vterum ferentes, antequam ederetur partus, Postuertæ & Prosæ, quibus duæ aræ dicatæ erant, ne partus peruersi fierent, aut præpostere exirent, immolabant. Ob quam causam etiam violari hoc templum & sacra putabantur, si quis ad ea scorteum aliquod siue morticinium intulisset: vnde & apud Cretenses obseruatum arbitror, ne in ædem Dianæ, quam religiosissimè venerabantur, quisquam præterquam nudus ingrederetur. De his omnibus Ouidius lib. 1. Fast. ita cecinit:

Respiciet Titan actas vbi tertius idus,
Fient Parrhasiæ sacra relata deæ.
Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant:
Hæc quoq; ab Euandri dicta parente reor.
Mox honor eripitur: matronaq; destinat omnis,
Ingratos nulla prole nouare viros.
Neue daret partus, ictu temeraria cæcō
Viscera bus cresces excutiebat onus.
Corripuisse patres ausas immitia nuptas,
Ius tamen exemptum restituisse ferunt.
Binaq; nunc pariter Tegeææ sacra parenti
Pro pueris fieri virginibusq; iubent.
Scortea non illi fas est inferre sacello,
Ne violent puros exanimata focos.
Porrima placatur, Postuertaq;, siue sorores,
Siue fugæ comites Mænali diua tuæ.
Altera, quod porrò fuerat, cecinisse putatur,
Altera, venturum postmodo quicquid erat.

CONCORDIAE Templi dedicatio, eiusq; festum.

Concordiæ templum Romæ qua occasione extructum.

DEcimoseptimo Calendas Februarias celebrabatur dedicatio Templi Concordiæ, non eius quod Manlius Prætor vouit, & C. Attilius duumuir cum M. eius collega dedicauit, authore Liuio 3. decad. lib. 3. nec eius quod Flauium scribam legimus in area Vulcani summa inuidia nobilium dedicasse: sed eius templi amplissimi, ingentis & magnifici, quod vouit & dedicauit Camillus. Is enim, Plutarcho teste, posc multas illustres victorias, fusis Gallis, cùm in vrbe esset & Dictaturam non deposuisset, dissidente populo à Senatu, annitenteq;, vt alter è Consulibus popularis eligeretur, dubius præsentibus rebus Senatum petit: & priusquam dicere aggressus esset, ad Capitolium conuersus, Deos testatur, vt ea dicturus sit, quæ tandem benè vertant Reipub. & si seditio ciuilis tollatur, templum Concordiæ ædificaturum se pollicetur. Cùm multæ ac graues in Senatu contentiones essent, in

hanc tandem sententiam itum est, vt alter Consulum è populo crearetur. Dictator cùm hoc ad populum deferret, statim populus cum Senatu reconciliatus est, & Camillum plausu ac clamore domum vsque remittunt. Postridiè autem congregati decreuerunt, vt Concordiæ, quemadmodum Camillus vouerit in foro & in concione, ingens pro rebus gestis templum moliretur. Extructum autem fuit ante cliuum Capitolinum, non longè ab æde Iunonis Monetæ: à quo (vt scribit Varro) Curtius conuersus equo concitato in profundissimum hiatum se præcipitem dedit. Id longo tempore post à Liuia Drusilla ara & simulachro exornatum, Tiberius iterum dedicauit, quum triumphum Illyricum egisset, Suetonio teste. Ouidius de his ita cecinit.

Candida te niueo posuit lux proxima templo,
(vbi per lucem proximam intelligit diem Carmentæ sacra sequentem)
Qua fert sublimes alta moneta gradus.
Nunc benè prospicies Latiam Concordia turbam,
Nunc te sacratæ constituere manus.
Furius antiquum populi superator Hetrusci
Vouerat, & voti soluerat ille fidem:
Causa, quòd à Patribus sumptis secesserat armis.
Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.
Causa recens melior, sparsos Germania crines
Corrigit auspicijs dux venerande tuis.
Inde triumphatæ libasti munera gentis:
Templaq́, fecisti, quam colis ipse, deæ.
Hæc tua constituit genetrix, & rebus, & ara,
Sola toro magni digna reperta Iouis.

PALATINI Ludi.

Palatinorum ludorum autor

VEtus Calendarium, Gyraldus ac Iunius in suis Fastis Palatinorum ludorum initium ad 16. Calendas Februarias referunt, & per dies octo, vel iuxta alios septem, vel etiam iuxta Iosephum tres tantum, durasse volunt. Eorum authorem faciunt Augustum Cæsarem. Is enim, constituto imperio, & occiso Cæsare Dictatore, in eius honorem & memoriam in paruo rotundo templo: quod fuit in Palatio, hos ludos instituit. Vltimo, hoc est, octauo eorum die interfectus est Caligula Cæsar à coniuratis. Sic enim Suetonius in eius vita: Cùm placuisset, inquit, Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea Tribunus cohortis prætoriæ depoposcit. Et mox: Nono Calend. Februarias, hora quasi septima cunctatus, an ad prandium surgeret, marcescente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis egressus atque occisus est. Videturque mendum esse in Lazij libro 10. cap. 15. vbi scribit, hos ludos sexto Calend. Ianuarias per 8. dies celebratos: adeoque pro sexto Calend. Ianuar. legendum, decimo sexto Calend. Februarias.

SEMENTINAE feriæ.

Sementinæ fuerunt conceptiuæ.

FEriæ Sementinæ Conceptiuæ fuerunt, quæ à sacerdote quotannis concipiebantur, hoc est, indicebantur: Vnde Ouid. lib. Fast. sic canit:

Ter quater euolui signantes tempora Fastos,
Nec sementina est vlla reperta dies.
Cùm mihi (sensit enim) lux hæc indicitur, inquit
Musa, quid à Fastis non stata sacra petis?

Celebrabantur tamen quotannis vt plurimùm die 24. Ianuar. sicut ex Ouid. intelligitur.

Appella-

Sementinæ feriæ vnde dictæ

Appellatæ sic sunt, Varrone teste, à semente, quòd sationis causa susciperentur: quas Festus ait institutas esse, quasi ex ijs fruges grandescere possent. Indicebãtur autem, quum iacta & condita essent solo semina: quod quidem fit celerius vel serius, pro qualitate temporis & regionum: quod Ouidius his versibus indicauit:

Vtq; dies incerta sacris, sic tempore certo
Seminibus iactis est vbi fœtus ager.

Sementinæ species Paganaliũ.

Erat autem hæc solennitas species quædam Paganalium: nam rustici circuibant solenni pompa, & sacrificabant Terræ Cereriq;, frugum parentibus, farre & porca prægnanti. Sic enim poeta noster:

Pagus agat festum, pagum lustrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum, Tellusq; Ceresq;,
Farre suo, grauidæ visceribusq; suis.
Officium commune Ceres & Terra tuentur:
Hæc præbet causam frugibus, illa locum.

AMBARVALIA.

Ambarualia quando & cur celebrata Ambarualiritus.

HVc pertinent etiam Ambarualia, *quæ fiebant, non solùm circa sementem, sed etiam paulò ante messem: quæ lustrationes & purgationes aruorum esse putabantur, & plurimùm ad fertilitatẽ conferre: Per ea vnusquisq; paterfamilias hostiam deligebat in Cereris sacrificia, quam quernea corona circa collum posita ornabat, eamq; ter circa sata ducebat, quam vniuersa familia querneis ramis coronati, Cererisq; laudes canentes cum tripudijs comitabantur. Deinde posẽ has lustrationes mulsum & lac offerebatur, quum alioquin vina solùm interesse Cereris sacrificijs iure sacrificiorum minimè possent. Hunc ritum vniuersum propè monstrauit Vergilius lib. 1. Georgic. in his:*

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho:
Terq; nouas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus, & socij comitentur ouantes:
Et Cererem clamore vocent in tecta: neq; ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quàm Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, & carmina dicat.

PAGANALIA.

Paganalium origo.

PAganalia *erant quidem rusticorum feriæ, sed non ob eam causam vt Sementinæ, & Ambarualia, instituta. Nihilominus quum tempus earum nusquam expressum inuenerim, ad hunc locum referre placuit. Earum originem Dionysius in quarto Antiquitatum Rom. ita describit: Vt etiam rusticanæ multitudinis facilius iniri posset numerus, per singulos pagos aras iussit (Seruius Tullius) dedicari Dijs tutelaribus, quotannisque ibi conuentum fieri & sacrificium, festum hoc cumprimis religiosum constituens vocatum* Paganalia, *simulque eorum sacrorum ritus, qui nunc quoque seruantur, conscripsit. Ad id sacrificium eumque conuentum omnes paganos iussit in singula capita conferre certum numismatis genus, sed aliud viros, aliud mulieres, aliud puberes: quibus connumeratis per sacrorum præsides apparebat hominum numerus per ætates ac sexus distinctus. Ex quibus intelligitur, ob rusticanæ multitudinis numerum facilius ineundum hanc solennitatem ab initio institutam fuisse.*

DE ORIGINE CASTORIS ET POLLVCIS festum.

SExto Calend. Februarias festum est Castoris & Pollucis: quòd eo die illis ædes consecrata esset apud fontem Iuturnæ, à Tiberio, suo fratrisq; nomine, vt Suetonius indicat, & Ouidius lib. 1. Fast.

At quæ venturas præcedit sexta Calendas,
Hac sunt Ledæis templa dicata deis.
Fratribus illa dies, fratres de gente deorum
Circa Iuturnæ composuere lacus.

Fuerat quidē longè ante Tiberium illic ædes, quam bello Latino vouerat A. Posthumius. & postea eius filius Duumuir ad idipsum creatus dedicauerat, sed ea fuit alia ab hac celebritas, de qua Idibus Quintilibus agemus.

PACIS festum.

TRigesimo die Ianuarij Pacis festum colebatur: eius templum nullum, aut perquàm exiguum fuit Romæ Augusti tempore: ob quam causam Ouidius de die eius festo canens lib. 1. Fast. in fine, aræ tantum eius, non templi meminit, dicens:

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aram:
Hæc erit à mensis fine secunda dies.

Agrippina autem cœpit id è fundamentis erigere: postea verò Vespasianus huic Deæ templum illud magnificentissimum dedit, quò (vt inquit Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 24.) omnia collata & reposita sunt, quorum visendorum studio antea per totum orbem vagabantur homines.

CAPVT IX.

Festa quæ mense FEBRVARIO à Græcis celebrabantur.

ΕΛΑΦΗΒΟΛΙΑ.

Elaphebolia à phocensibus celebrata.

ΕΛαφηβόλια Elaphebolia festum fuit in honorem Dianæ venatricis celebratum, quæ ἐλαφηβόλος cognominata est ab ictu & nece ceruorum. Fuit autem Phocensium hæc celebritas propria, de qua Plutarchus in libello De virtutibus mulierum sic scribit: ἑορτὴν δὲ ἐν πασῶν μεγίστην τὰ ἐλαφηβόλια μέχρι νυῦ τῇ Ἀρτέμιδι τῆς νίκης ἐκείνης ἐν Γαμπόλιδι τελοῦσι. Hoc est, Omnium festiuitatum suarum maximam Elaphebolia Dianæ Phocenses Hyampoli in hunc vsq; diem ob victoriam quotannis celebrant & peragunt. Historia autem talis est. Phocenses principes & tyrannos Thessalorum in eorum vrbibus vna die vniuersos necauerant: Thessali autem 250. Phocensium obsides trucidarant, omnibusq; cum copijs per Locros in Phocidem irrumpebant, de cretoq; facto iubebant nulli adulto parcere, pueros verò & mulieres abducere. Tum Daiphantus Bathyllij filius, qui cum duobus collegis Phocensium Reipub. præerat, suis persuasit, vt ad pugnam conserendam Thessalis obuiam irent, mulieres autem cum liberis vnum in locum ex vniuersa Phocide congregarent, eumq; congestis lignis cingerent, ac custodes adderent ea conditione, vt si suos victos intelligerent, confestim struem lignorum accenderent ac corpora comburerent. Hæc quum esset omnium in senatu sententia, vnus surgens, Æquum est, inquit, vt mulieres quoque istud probent, alioquin omittendum est, neque vi eò sunt adigendæ. Quæ sententia vt peruenit ad mulieres, ipsæ seorsum conuenerunt, itaq; fieri

Elapheboliorū origo.

debere

debere decreuerunt, Daiphantumq; coronauerunt, vt qui optimè Phocicis rebus consuluisset. Idem quoque pueros aiunt concione priuatim conuocata sciuisse. His ita actis, Phocenses ad Cleonas Hyampolidis cum hoste conflixerunt, victoriaque potiti sunt: & in rei memoriam Phocenses hanc anniuersariam solennitatem instituerunt, omnium quas habent maximam. Referunt Pausanias, & Plutarchus eo quo diximus loco.

Ελαφος πλακοῦς ἐν τοῖς ἐλαφηβολίοις ἀνεπλάσετο διὰ σαιτὸς καὶ σησάμου: id est, Ceruus placenta in Elaphebolijs seu Dianæ festo & sacris ex farina, melle ac sesamo fiebat, Athenæo teste lib. 14. cap. 19. Elaphebolius.

ΑΣΚΛΗΠΙΑ.

Aeschines in Oratione κατὰ Κτησιφῶντος dicit, Demosthenem tempora ciuitatis suffurantem decretum scripsisse, vt Prytaneis concionem conuocarent octaua incipientis Elaphebolionis mensis, quum festa & sacra fierent Æsculapio. De hoc festo loqui arbitror Alex. de Alexandro lib. 3. cap. 18. & Adrianum Iunium in suis Fastis, vbi dicunt, decima & octaua Decembris Æsculapij sacra & festa Athenis celebrata. Nam Alexander, quem Iunius fortasse sequutus est, per Elaphebolionem falsò Decembrem intellexit à Laurentio Valla seductus.

Troezeniorum festum.

Athenæus lib. 14. cap. 17. ex Caristio indicat, in Troezene, mense Geræstione, qui Februario nostro respondet, per multos dies conuentus fieri consueuisse, quorum in vno serui cum ciuibus astragalis vnà luserint, & seruis Domini conuiuium præbuerint.

ΚΡΟΝΙΑ.

Pausanias in Eliacis refert, Basilas in Cronio monte festum Saturno celebrare in æquinoctio verno, mense qui apud Eleos Elaphius appelletur.

CAPVT X.

De Festis quæ FEBRVARIO mense à Romanis sunt celebrata.

CALENDAE FEBRVARIAE.

CALENDIS Februarijs festum fuit Deæ Sospitæ, cui ad ædem Matris Deûm in Palatio, vt volunt aliqui, templum constitutum est, & primo huius mensis die dedicatum. Docet hoc Ouidius lib. 2. Fast. sic canens: Sospitæ festum.

Principio mensis Phrygiæ contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta nouis.

Fuit autem hoc templum, vt quibusdam placet, quod vouit Iunoni Sospitæ Cornelius Consul, in principio pugnæ, cùm certaret aduersus Insubres, si hostes fusi fugatiq; essent: quorum ea pugna triginta quinque millia interfecti sunt. Romæ hæc Dea primùm coli cœpta fuit, sed absque templo ante hunc Consulem, quum pestis illa, quæ ex fœtore cadauerum bello Cannensi orta, euanuisset. Hanc igitur Deam potestatem habuisse seruandi & Romani crediderunt, & Aristoteles docuit: qui (vt in vita eius legimus) Nicanore genero ægrotante, duas statuas vouit, alteram Ioui Seruatori, alteram Iunoni Sospitæ, si Nicanor incolumitatem reciperet.

LVCARIA.

HOc ipso quoque die ibant Romæ cum pompa & processione ad Asylum, quod Romulus constituit, vt eo omnes qui tuti vellent esse, confugerent, & ab omni essent noxa Lucaria festa.

liberati. Hoc propterea fecit, vt ex collecta multitudine vrbem & facilius auctis viribus condere & tueri possent. De Asylo ita Liuius scribit: Locus qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est, Asylum aperit. Eò ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber an seruus esset auida nouarum rerum perfugit: idq; primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit. De loco autem hoc sic Dionysius lib. 2. Antiquit. Rom. scribit: Locum vmbrosum, medium Capitolijq; & arcis, quod nunc vocatur lingua Romana Intermontium duorum quercetorum: eratq; tunc casus, reiq; ipsius cognomen, cùm syluæ essent per vtraq; latera opacæ, quibus coniungebantur colles, sacrum sinens inuiolabilem sertis, templumq; in eo erigens, cui Deorum aut geniorum, certum non habeo. Confugientibus ad illud seruis, sponsor factus est per speciem religionis erga deos, nihil eos detrimenti ab inimicis accepturos: ac si permanere apud se vellent, ciuitatis etiam participes faciebat, tradebatq; agri portionem, quem bello quæsierat. Hiq; confluebant, vndiq; domestica fugientes mala, nec se vlterius aliò conferebant. Festus refert lib. 10. Romanos celebrasse hæc festa, & LVCARIA appellasse, in luco inter viam Salariam & Tiberim sito, quòd victi à Gallis Romani fugientes è prælio, in eo se occultauerint.

Denique Calend. Februarijs quoque in æde Vestæ, ad quam Numa habitauit, ac templo Capitolini Tonantis, quod Augustus struxerat in Capitolio, rem diuinam fecerunt: quod Ouid. lib. 2. Fast. his verbis testatur:

Ad penetrale Numæ, Capitolinumq; Tonantem,
Inq; Iouis summa cæditur arce bidens.

GOTHICI Ludi.

IN fastis Romanorum legimus, Ludos Gothicos prid. Non. Februarij datos fuisse per sex dies continuos: vt etiam refert Lazius lib. 11. cap. 16. rerum Romanarum.

AVGVSTI festum.

Festi huius origo.

NOnis Februarijs Augustus PATER PATRIAE est appellatus: vnde eo die festum in tantæ rei memoriam celebrabatur. De quo Tranquillus ita scribit: Patris patriæ cognomen vniuersi repentino maximoq; consensu detulerunt ei, primò plebs legatione missa: deinde quia non recipiebat, ineunti Romæ spectacula, frequens & laureata. Mox in curia senatus, neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messalam id mandantibus cunctis: Quod bonum, inquit, faustumq; sit tibi, domuiq; tuæ, Cæsar Auguste: sic enim nos perpetuam felicitatem Reipub. & læta huic precari existimamus. Senatus te consentiens cum populo Romano consalutat patriæ patrem. Cui lachrymans respondit Augustus his verbis: Compos factus votorum meorum, P. C. quid habeo aliud Deos immortales precari, quàm vt hunc consensum vestrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat.

FAVNALIA.

IDibus Februarijs Romani rem diuinam & sacrum annuum fecerunt Fauno, in Tiberis insula, vbi Fauni ædes erat, & post Idus statim Lupercalia celebrarunt, quæ Fauni esse Ouidius his verbis testatur:

——Nudos aurora Lupercos,
Aspicere, & Fauni sacra bicornis erunt.

De Faunalibus autem idem poeta sic canit lib. 2. Fastorum:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic vbi discretas insula rumpit aquas.

Faunum cur Rom. coluerint.

Existimabant enim expedire, vt eum Deum sibi conciliarent, cuius nõ parua vis ad nocendum esse crederetur. Constat enim, Faunum deum esse infernalem ac pestilentem, vt ait Porphyrius.

Porphyrius. Vnde Horatius eum orat, vt lenis per agros suos transeat: Lenis incedas, abeasq; paruis Æquus alumnis. De Fauno autem & Faunalibus plura sumus dicturi Nonis Decembris, quibus Fauni feriæ repetebantur, & agrestes feriatim saltabant.

Hoc ipso etiã die, Menenio Agrippa & M. Horatio Puluillo Coss. anno ferè quarto post superatum ab Athenienſibus Xerxem, duce Themistocle ad Salamina, sex & trecenti Patricij Fabij cum familijs suis & clientibus vniuersi à Veientibus apud fluuium Cremeram circumuenti, perierunt. Qua de re vide Liuium, Silium & Ouidium lib. 2. Fastorũ, vbi hanc cladem prolixè describit, tandem autem sic concludit:

Vna dies Fabios ad bellum miserat omnes:
Ad bellum missos perdidit vna dies.

LVPERCALIA.

DEcimo quinto Calendas Martias celebrabantur Romæ Lupercalia: quod Ouidius his verbis refert: Lupercalia quando celebrata.

Tertia post Idus nudos aurora Lupercos
Aspicit, &c. Testatur idem Feneſtella cap. 1.

De horum sacrorum Origine alij aliter tradunt. Quidam enim ad Romulum & Remum referunt, sed tamen discrepantibus sententijs. De Lupercaliorum origine variæ sententiæ. 1. Aiunt nonnulli, Romulum & Remum in Fauni sacro dum pararentur epulæ, ipsiq; seſe nudos exercerent in ludis, vocatos ex alto à pastore, monitosq; prædones abigere armenta: confestim igitur in diuersas partes nudi discurrentes, à Remo abacta armenta recuperata esse: & in huius rei memoriam institutum fuisse hoc solenne. Hanc sententiam Ouidius lib. 2. Fast. his verbis recitat:

Cornipedi Fauno cæsa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.
Dumq; sacerdotes verubus transuta salignis
Exta parant, medias Sole tenente vias,
Romulus, & frater, pastoralisq; iuuentus
Solibus & campo corpora nuda dabant.
Cæstibus & iaculis, & missi pondere saxi
Brachia per lusus experienda dabant.
Pastor ab excelso: Per deuia rura iuuencos
Romule prædones & Reme, dixit, agunt.
Longum erat armari: diuersis exit vterq;
Partibus, occursu præda retenta Remi est.
Vt redijt, verubus stridentia detrahit exta:
Atq; ait, Hæc certè non nisi victor edet.
Dicta facit, Fabijq; simul: venit irritus illuc
Romulus & mensas ossaq; nuda videt.
Risit, & indoluit Fabios potuisse Remumq;
Vincere, Quintilios non potuisse suos.
Fama manet facti, posito velamine currunt:
Et memorem famam, qui benè gesſit, habet.

C. Acylius autem (vt Plutarchus in vita Romuli refert) scriptum reliquit, Romulum, quum ante conditam vrbem sua pecora perdidisset, Fauno supplicatum concesſisse. Deinde nudum, ne sudore impediretur, eos saltus currendo lustrasse: & ideò ludicra hæc celebrari. 2.

Refert ibidem alteram ab hac sententiam Plutarchus, Butæ cuiusdam in elegijs de Romanarum rerum inscriptionibus, Romulum, Amulio superato, cum Remo fratre præ lætitia ad locum vsq; expositionis eorũ, in quo lupa lac dedisset, cucurrisse. Quod vt posteritati commendaretur, hos ludos instituisse. Sed huic opinioni Plutarchus non multùm tribuere videtur, quum dicat hunc Butam αἰτίας μυθώδεις scripsisse. 3.

4. De hoc autem aliter Valerius Maximus sentiens, ita scribit: Lupercalium mos à Romulo & Remo inchoatus est, tunc, cùm lætitia exultantes, quòd his annis Numitor rex Albanorum, eo loco, vbi educati fuerant, vrbem condere permiserat, sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Euander Argiuus consecrauerat. Facto sacrificio, cæsisque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore prouecti, diuisa pastorali turba, cincti ouinis pellibus immolatarum hostiarum, iocantes obuios petierunt: cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur: cap. 154. Meminit huius sententiæ etiam Alexander ab Alex. lib. 4. cap. 12.

5. Verissima autem Dionysij videtur sententia, qui in Latio ab Euandro originem habuisse hæc sacra existimat. Sic enim lib. 1. Antiquit. Rom. scribit: Arcades acceptis sub colle, non procul à Tiberi distante, sedibus, exædificatis more patrio domicilijs, templa quoq; construxit, primũ Lycæo Pani iubente Themide (Arcadibus enim Deorũ antiquissimus & bonoratissimus est Pan) in loco quẽ Romani Lupercal nominant, nos Lycæũ dicere possumus: Et nunc quidem ædificijs fanum circùm occupantibus omnia, difficilis cõiectura est, qualis olim loci natura fuerit: sed vt fertur, erat tum spelunca sub tumulo magna, denso querceto contecta, & sub petris profundi fonticuli, solumq; rupibus contiguum nemorosum, & frequentibus atq; proceris opacum arboribus: ibi ara dicata more patrio sacra fecerunt, quæ nostro quoque tempore faciunt Romani mense Februario post brumam, nihil mutantes ex ritu pristino. Hæc Dionysius. Cui astipulatur etiam Festella, qui librũ suum de Romanorum magistratibus sic incipit: Omnium Deorum quos vetus Romanorum religio excoluit, primo Pani Lycæo, seu Faunum illum, seu potius Syluanum vocari placet, per Lupercos rem diuinam Lupercalesq; ludos fecisse apud vetustatis assertores, constat. Ea quidem sacrorum genera ab Euandro rege, qui ex Arcadia profugus in eum locum venerat, qui tandem Romanæ arci præfuit, ad nostros primùm delata, ac celebrata fuisse feruntur. Et certè eò facilius crediderim sacra Pani seu Fauno ab Euandro in Latio instituta, quòd Faunus rex Aboriginum Arcadibus, teste eodem Dionysio, Liuio & Iustino, & agros, & montem, quem illi postea Palatinum appellarunt, benignè assignasse dicitur.

Dionysius ex Ælio Tuberone graui authore & scriptore diligenti eodem libro refert, Numitoris pastores intercipiendi Remum insidijs delegisse tempus quo iuuenes solenne Arcadicum, olim ab Euandro in honorem Lycæi Panis institutum, erant celebraturi, &c. Vnde colligitur, sacrum hoc & ante Romulum in Latio fuisse, & eo ipso tempore à Romulo ac Remo celebratum, quo Remus à Numitoris pastoribus captus fit. Meminit huius sententiæ etiam Ouidius lib. 2. Fast. sic canens:

Pana deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades, Arcadijs plurimus ille iugis. Et mox:
Transtulit Euander syluestria numina secum:
Hic vbi nunc vrbs est, tunc locus vrbis erat.
Inde Deum colimus, deuectaq; sacra Pelasgis:
Flamen ad hæc prisco more Dialis erat.

Et hanc vt veriorem sententiam, poeta etiam amplecti videtur, sic descriptionem huius festi concludens:

Quis vetat Arcadio dictos à monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.

Lupercaliorũ ritus. Ritibus autem vel ceremonijs huiusmodi peragitur hoc sacrũ. In Palatino monte, vbi Panis templum fuit, & simulachrum caprina facie, barba oblonga, rubro colore, hirtis cornibus, pectore sideribus radiante, infima sui parte hispida & caprino pede, altera manu fistulã, altera pedum incuruum tenens, vt Alex. ab Alex. refert lib. 4. cap. 12. capræ candidæ iugulabantur, sistebanturq; ibi duo nobiles adolescentes, quorũ frontes alij cultro sanguine perfuso tingebant, alij statim lanam lacte madentem admouentes abstergebant, ea lege, vt abstersos adolescentes ridere oporteret: qui deinde incisis in corrigias caprarũ pellibus nudi vnctiq;

succincti,

succincti tantum pudenda recens mactatarum caprarum exuuijs seu pellibus, discurrentes obuios quosq; verberabant per lusum atq; lasciuiam: quibus mulieres etiam vltrò palmas, caprinarum pellium scuticis, cædendas præbebant, & à crepitu pellicularum, quem faciebant verberantes, Crepos appellarunt: Obseruatumq; fuit etiam, vt à ficu Ruminali, vbi Romulus & Remus expositi fuerant, cursum suum inceptarent. Proprium præterea huius celebritatis fuit, vt luperci canem immolarent: sicuti Dionysius, Liuius, Plutarchus in Romulo, alijq; multi referunt.

Lupercaliorũ ritus causæ.

Ritus autem huius rationes varias Plutarchus citato loco & alij commemorant. Capræ mactabantur in hoc sacro, quòd id animal crederetur esse Fauno dicatum, vnde & simulachrum eius caprina forma effingitur, vt supra diximus.

In Lupercalibus cur capræ mactatæ.

Luperci autem currebant nudi, seu vt Panem imitarentur, seu vt vetustißimorum Arcadum morem referrent. Quas causas Ouidius lib. 2. Fast. his verbis attigit.

Luperci cur nudi cucurrerint.

Cur igitur currant, & cur sic currere mos est,
Nuda ferant posita corpora veste rogas?
Ipse deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus, & subitas concipit ille fugas.
Ipse deus nudus nudos iubet esse ministros,
Nec satis ad cursus commoda vestis erat.
Ante Iouem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, & luna gens prior illa fuit.
Vita feris similis, nullos agitata per vsus:
Artis ad huc expers, & rude vulgus erat, &c.

Et mox. Sub Ioue durabant, & corpora nuda gerebant,
Docta graues imbres, & tolerare notos.
Nunc quoq; detecti referunt monumenta vetusti
Moris, & antiquas testificantur opes.

Harum causarum meminit etiam Feneſtella ab initio sui libri, quibus & aliam adijcit, quam Ouidius latè prosequitur: Nonnulli, inquit, Iolem (Omphalem alij legunt) vxorem Herculis à Fauno visam, ac per ardorem libidinis concupitam asserunt. Fortè enim per syluas & amœna nemorum æstus leuandi causa vnà cum dilectißima coniuge Hercules vagabatur. Videt ergò elegantißima forma mulierem ab altæ rupis specula senex Deus. Ergo illorum vestigia eminus licet obseruare instituit. Illi aũt per syluas ducendæ nocti aptißimum locum petunt. Interea mulier dum quiescendi tempus aduenit, pellẽ leonis Herculis de more aptat humeris, claua etiam illius manu assumpta tali habitu præditam somnus aggreditur. Erant autem duo parati coniugibus lecti, eò quòd postridiè Libero patri rem diuinam facturi erant seorsim cubituris. Noctu ergo Syluanus fallendi custodis occasionem nactus, clàm thalamum ingreditur, primoq; congressu fortunatus futurus, puellæ thorum tenet, manuq; tentans (vt noctu fit) horridum leonis tegmen inuenit. Ratus ergo cubare ibi Herculem ad aliud cubile ire pergit: quod quũ sensisset mollius stratum puerilibusq; delitijs aptius, stragula veste sensim amota, dum libidine ardens manu palpat Herculem: ac vix dum hirti corporis horrorem hauserat, experrectus Hercules manu reiectum toto antro fusum iaculat: quo pro strepitu somno puella discussa lumina accersit. Lumine ergo Syluano prodito elusus ac semiruptus vix attollens humo humeros, in syluas detrusus est. Ea ergo ratione perpetuò execraris vestibus, quibus tam turpiter delusus esset, easdem suis à sacris procul abfore constituit.

Qui verò ad Romulum hoc sacrum ludicrum eiusq; originem referunt, hoc cursu hacq; nuditate in memoriam reuocatam volunt, rem quondam à nudis prosperè gestam. Nam, vt ante diximus, cùm in honorem Fauni Lupercaliorum solennitas celebraretur, Romanorum pecora subitò à latronibus rapta sunt. Romulus ergò cùm fratre proiectis vestibus prosequuti sunt prædatores, quibus oppressis, & receptis pecoribus, consuetudinem permansisse dicunt,

vt nudi Lupercalia celebrarent, Feneſtella & alijs referentibus.

Luperci quare cucurrerint, obuios verberarint, & lacte ſanguinem abſterſerint.

Butas verò ad ſententiæ ſuæ confirmationẽ aſſeruit, nobiles adoleſcentes in hac celebritate currere ac obuios ferire ſolitos, vt eo geſtu referrent, Romulũ & Remũ poſt cædẽ Amulij ex Alba cucurriſſe ſtrictis enſibus: ſanguinolentoq; gladio faciem attingere & fœdare, vt illius cædis poſteris monimentum eſſet: lacte quoque in ſanguinis abſterſione vti, vt Romuli & Remi miraculoſam educationem indicarent, quemadmodum Plutarchus refert in vita Romuli.

Luperci cur ſcuticis & caprarum pellibus vſi ſint.

Quòd autem ſcuticis ex caprarum pellibus factis circumcurrunt, & obuios quoſcunque, vultu hilari vſque ad ineptias verberant, expiationis gratia inuentum exiſtimant, quum februa celebrentur hoc menſe, quem expiatiuum interpretantur, & huius ſolennitatis diem conſtet februatam veteres appellaſſe. Docet hoc Ouidius lib. 2. Faſtorum ſic canens:

Menſis ab his dictus, ſancta quia pelle Luperci
Omne ſolum luſtrant, idq; piamen habet.

Ab hac conſuetudine Chriſtianos ſuas Flagellationes mutuatos eſſe, & in eundem finem inſtituiſſe, Polydorus Vergilius teſtatur de Inuent. lib. 6. cap. 6.

Luperci cur canem immolarint.

Canem certè ab ijs expiationis etiam cauſa immolatum Plutarchus aſſeruit, idque ad Græcorum imitationem eos feciſſe dixit, qui in piacularibus ſacris canem mactare conſueuerint: quanquam huius ſacrificij duas alias etiam cauſas mox reddat. Nam hoc factum videri poſſe dicit, vel vt Romulus nutrici Lupæ gratias referret, quæ atrociſſimos hoſtes canes habet: vel vt canis ad iracundiam ſuccẽditur, ita ad curſum Luperci ſuccenderẽtur. Sic enim inquit Problem. 68. Luperci ſunt, qui Lupercalibus per laſciuiam diſcurrentes obuios cædunt. Vel quòd genus quoddam luſtrandæ ciuitatis eſt. Cane autem omninò (vt ita dicam) Græci vtebantur. Et multi etiam nunc in purgationibus canem iugulant. Proſerpinæ quoq; catulos cum cæteris purgamentis efferunt, & eos qui expiandi ſunt catulis, hoc piaculi genus Circumcatulationem appellantes. Vel quòd λῦκος, lupus Latinè dicitur: Λυκαία verò Lupercalia: & lupo canis eſt hoſtis, & iccirco Lupercalibus cæditur. Vel quòd Lupercis canes oblatrantes moleſti ſunt. Vel quia Pani ſacrificium fit. Pani autem propter greges amicus eſt canis.

Lupercis cur palmas cædendas præbuerint mulieres.

Palmas autem caprinarum pellium ſcuticis cædendas præbebant in hoc ſacro mulieres, quòd perſuaſum eis eſſet, ea verbera prægnantibus partus facilitatem, ſterilibus verò fœcunditatem & concipiendi facultatem afferre, Plutarcho & Feneſtella teſtibus. Vnde Ouidius Romanas mulieres ſic alloquitur:

Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ.
Iam ſocer optatum nomen habebit aui.

Hic autem mos & conſuetudo à Romulo initium habuit: is enim quum animaduerteret raptarum mulierum ſterilitatem, Iunoni ob id in Exquilijs ſupplicatum & ſacrificatum eſt, reſponſumq; datum fuit, vt mulieres hircus iniret. Sed ea voce ab augure interpretata, mactatus eſt caper, & eius execto corio verberatæ puellæ continuò conceperunt. Qua de re Ouidius lib. 2. Faſt. ita cecinit.

Nam fuit illa dies, dura cum ſorte maritæ
Reddebant veteri pignora rara ſui.
Quid mihi, clamabat, prodeſt rapuiſſe Sabinas,
Romulus? hoc illo ſceptra tenente fuit.
Si mea non vires, ſed bellum iniuria fecit,
Vtilius fuerat non habuiſſe nurus.
Monte ſub Exquilio multis incidimus annis
Iunonis magnæ nomine lucus erat.
Huc vbi venerunt pariter nuptæq; viriq;
Suppliciter poſito procubuere genu.

Cùm subitò motæ tremuere cacumina syluæ,
Et dea per lucos mira locuta suos.
Italides matres, inquit, sacer hircus inito.
Obstupuit dubio territa turba sono.
Augur erat, nomen longis intercidit annis,
Nuper ab Hetrusca venerat exul humo.
Ille caprum mactat, iussæ sua terga puellæ
Pellibus exectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo noua cornua motu,
Virq; pater subitò, nuptaq; mater erat.

His ita explicatis, dicendum quoq; est aliquid de nomine huius festi. Id Græcis pluralis tantum est numeri, sicut etiam Latinis. Dicitur enim Λυκαῖα Lycæa, à pane, quem Lycæum cognominarunt à lupis, quòd inuocatione Panos à stabulis arcerentur lupi. Quamuis Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 17. ex Varrone referat, Panem inde Lycæum dictũ, quòd ij in lupos transmutati sint, qui de sacrificio, quod Deo illi faciebant, degustassent aliquid. Eidem Varroni placet quoq; apud Romanos Lupercalia dicta esse, quòd in Lupercali hæc sacra facerent Luperci. Est enim Lupercal, Dionysio teste, spelunca sub monte Palatino, in qua Pani sacrificabatur: vnde & Lupercal dictum nonnulli putant. Alij, quòd lupa illic Romulum & Remum nutrierit. Vnde Ouidius lib. 2. Fast. Lupercalior ũ etymologia.

Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Hinc etiam Lupercos cursum suum incepisse inde arbitrantur aliqui in solenni sacro isto. Nec desunt qui à Lycæo Arcadiæ monte, vbi præcipuè ea religio peruiguit, festum hoc sic cognominatum esse arbitrentur, vt Feneſtella testatur.

Id paulatim abolitum restituit Augustus, pontificatu maximo suscepto, vt ait Suetonius: in eo enim quum antea adolescentes passim currerent, dum ille pudori consultum voluit, ne imberbes cursitarent, decreto sanciuit: Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 12. Lupercalia restituta.

Turpe etiam fuisse honestis viris & magistratu fungentibus Lupercos agere, ex Ciceronis Philipp. 2. apparet. Vbi ob hanc causam grauissimè inuehitur in M. Antonium, & inter alia inquit: Ita eras Lupercus, vt te esse Consulem meminisse deberes, &c. Turpe fuit Lupercum agere.

QVIRINALIA.

DVodecimo Calendas Martias Quirinalia *celebrabantur: quod Ouidius his verbis refert lib. 2. Fast.* Quirinalia quo die celebrata.

Proxima lux vacua est: at tertia dicta Quirino
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

Paulò antè dixerat 14. Cal. Mart. Solem in pisces transire: iam subiungit proximam lucem, id est, sequentem diem, quæ est 13. Cal. Mart. esse vacuam, hoc est sine festo: sed tertiam, 12. videlicet Cal. Mart. dicatam esse Quirino. Intelligitur autem hoc nomine Romulus, poeta teste. Causas verò, cur ita cognominatus sit, Plutarchus in eius vita his verbis retulit. Quirinum, inquit, Romuli cognomen martium ac bellicosum quidam referre existimant: quidam ex eo ductum, quòd ciues Quirites appellarentur. Alij tradunt veteres lanceam Quirim vocare solitos. Adhæc lanceam in regia positam Martem vocitare. Lancea quoq; donare consueſſe illos, qui in bellis acriter strenueq; pugnantes fortitudinis laudem meruissent: proinde effectum esse, vt Romulus, veluti Martius quidam Deus ac pugnax Quirinus diceretur. Hæc ille. Quanquam non desint etiam, qui à Curibus, hoc est, à Sabinis, quos in vrbis partẽ recepit, Quirinum potius cognominatum putent. Ouid. lib. 2. Fast. controuersiam hanc in medio relinquit, contentus omnes, quas iam adduximus, opiniones recensuisse, cùm inquit: Romulus cur Quirinus dicitur.

Siue quòd hasta Quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in astra deus.

Siue suo regi nomen posuere Quirites,
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

Quirinaliorũ origo.

Appellatus autem sic fuit post mortem demùm, & templum ei dedicatum, festumq; in honorem eius, tanquam Deo, institutum est à Senatu populoq; Romano, hac occasione. Cùm populus Rom. de senatu suspicionem concepisset, Romulum ab eo in Curia in frusta discerptum, Iulius Proculus subornatus à Patribus nunciauit plebi, vidisse se regẽ humano habitu augustiorem: eumq; mandasse ad populum, vt sibi delubrum fieret, se Deum esse & Quirinum vocari. Tum plebs, deposita omni suspicione & contumelia, Romulum Quirinum appellantes, vt Deum colere cœperunt, &c. Referunt Plutarchus & Lactantius lib. 1. Diuin. inst. Ouidius quoque his verbis:

Pulcher, & humano maior, trabeaq; decorus
Romulus in media visus adesse via.
Et dixisse simul: Prohibe lugere Quirites,
Ne violent lachrymis numina nostra suis.
Thura ferant, placentq; nouum pia turba Quirinum,
Et patrias artes, militiamq; colant.
Iussit, & in tenues oculis euanuit auras.
Conuocat hic populum, iussaq; verba refert.
Templa Deo faciunt, collis quoq; dictus ab illo est:
Et referunt certi sacra paterna dies.

Quirinalia *quoq; Stultorum feriæ appellabantur Festo teste: cuius nominis rationem in sequenti festo reddemus.*

FORNACALIA.

Fornacalia cur instituta.

*Ad*ẽ *die sæpè, aut alia huius mensis* Fornacalia *celebrabantur: nõ enim fuerunt sacra stata seu fixa, sed indicta. Erant autẽ* Fornacalia *farris torrendi feriæ: quod etiam Festus scribit, dicens, Fornacalia sacra esse, quum far in fornaculis torrerent, quæ ferunt ad fornacẽ, quæ in pistrinis erant, fieri consueta. Seruius indicat, Romanos veteres, quũ molarũ vsus nondum fuisset, frumenta torrere solitos, & ea deinde in pilas missa pinsere. Vnde & Donatus inquit: Triticũ torrebant prius, vt tundi posset. Far quoq;, vt author est Hemina, statuerunt veteres non esse purum, nisi tostum. Sed torrendi ignorantia priscis illis & simplicibus hominibus plurima damna tulit. Nã quæ in fornace torrenda erant, igne exempto, stulti homines flammis torrenda commiserunt, quæ interdum omnem farris substantiam absumebãt, vel ipsas quoq; casulas, vbi torrerentur, adurebãt. Docti igitur in fornacibus torrere, Fornax Dea facta est, quam orabant, vt eam torrendo farri temperiẽ adhiberet, vt sicca retur, nõ corrumperetur: & Numa Pompilius in eius gratiam,* Fornacalia *sacra instituit, teste Plinio lib. 18. cap. 2. Et Ouidius hac de re sic canit:*

Fornax dea.

Fornacaliorũ autor.

Vsibus admoniti flammis torrenda dederunt,
Multaq; peccato damna tulere suo.
Nam modò verrebant nigras pro farre fauillas,
Nunc ipsas ignes corripuere casas.
Facta Dea est fornax: læti fornace coloni
Orant, vt fruges temperet illa suas.

Fornacalia quis indixerit.

Curiones autem maximi, quorum, ex Romuli instituto, officium erat, sacris præsidere, festa & ludos curiæ suæ indicere, & ordinibus in militia præesse, Fornacalia hæc indicebant: & die quæ præcedebat festum, appendebant in foro tabellas, cum signis vniuscuiusq; curiæ, vt quisq; in suam Curiam Fornaci sacrificatum iret. Qui igitur tunc nõ fuerant feriati, quiq; in sua tribu, vt erat constitutum, sacrum non fecisset, in Quirinalibus & extrema eius diei parte, posteaquam cæteri sacrificium absoluissent, sacrificio expiare cogebatur, quæ iccirco Stultorum ferias *dixere. Refert hoc Ouidius lib. 2. Fastorum sic canens:*

Stultorũ feriæ.

Lux

Lux quoque cur eadem Stultorum festa vocetur,
Accipe: parua quidem causa, sed apta subest.
Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec sacra stata facit.
Inq; foro multa circumpendente tabella,
Signatur certa curia quæq; nota.
Stultaq; pars populi, quæ sit sua curia, nescit:
Sed facit extrema sacra relicta die.

Plutarchus etiam Problem. 89. cùm ageret, qua ratione Quirinalia Stultorum feriæ nominarentur, inquit id fieri, vel quòd hunc diem, vt Iuba referat, his assignauerint, qui cuius essent tribus, ignorarint, vel his, qui non vt alij tribules Fornacalibus rem diuinam fecerint, quòd aut impediti fuissent, aut aliquò peregrè profecti, aut deniq; diem ignorassent, hoc tempore recuperandi illius potestas data sit.

FERALIA.

EOdem etiam die quo celebrantur Quirinalia & Fornacalia, incipiunt quoq; Feralia, *& ad finem vsq; mensis per vndecim dies durant. Testatur hoc poeta noster lib. 2. Fast. inquiens:* Feralia quando celebrata.

Nec tamen hæc vltra, quàm quot de mense supersunt
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc, quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem:
Vltima placandis manibus illa dies.

Quibus vtique significat, hæc sacra non vltrà custodienda, quàm quot dies à 12. Calen. Mar. supersint ad finem mensis, & quot pedes suis carminibus insint. Intelligit autem Hexametrum cum Pentametro, quæ vndecim continent pedes.

Instituta autem fuerunt hæc sacra ad placandos manes mortuorum, & ad iusta soluenda defunctorum vmbris, quibus ad sepulchra epulæ ferebantur his vndecim diebus, quibus errare credebantur & silicernio pasci. Hinc & nomen eis est inditum. Nam, vt Varroni & Festo placet, à ferendis epulis Feralia dicta sunt: quod etiam Ouidius testatur, inquiens: Feralia cur instituta, & eorum ritus. Feralia vnde dicta.

Hanc, quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem.

Quapropter non tantum pro viuis, sed etiam pro mortuis mense Febr. expiationes fiebant.

Allatæ hæ epulæ ad sepulchrum, ponebantur super nudam silicem in sacris istis, quæ inde etiam (Seruio auctore) Silicernium dicebantur. Est enim, vt Donatus inquit, Silicernium cœna, quæ infertur dijs manibus: quòd eam silentes cernant, id est, vmbræ possideant: vel quòd qui eam inferunt, cernant quidem, sed non degustent: nam de his quæ libantur inferis, quisquis ederit, aut biberit, funestabatur. Silicernium.

Erant porro istæ epulæ plerunq; frugales & tenues admodum: constabant enim melle, lacte, vino: quocunq; enim vel leui munere placari manes credebant. Docet hæc omnia Ouidius lib. 2. Fast. sic inquiens: Epulæ in Feralibus frugales.

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Paruaq; in extructas munera ferre pyras.
Parua petunt manes, pietas pro diuite grata est
Munere, non auidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, paruaq; mica salis.
Inq; mero mollita Ceres, violæq; solutæ:
Hæc habeat media testa relicta via.
Nec maiora veto. Sed & his placabilis vmbra est:
Adde preces positis & sua verba focis.

In Feralibus mactatæ victimæ manibus.

Mactabantur tamen interdum quoq; manibus victimæ: vnde illud poetæ nostri: Nec maiora veto. Et Vergilij:

——— cædit quinas de more bidentes,
Totq; sues, totidem nigrantes terga iuuencos.

Earum sanguinis libatione & lactis, veteres Romani non sine ratione in parentationibus vtebantur. Quapropter & à feriendis pecudibus sacro huic nomen quoque inditum videri potest.

In Feralibus quæ vetita.

Dum autem Ferialia hæc pro mortuis fiebant, non licebat matrimonium contrahere, templa deorum aperta habere & ijs sacrificare, quòd errantibus vmbris cuncta prophanari & pollui crederent. Vnde Ouidius:

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ:
Exoptat puros pinea tæda dies.
Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer: habent alias mœsta sepulchra faces.
Di quoq; templorum foribus celentur apertis,
Thure vacent aræ, stentq; sine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulchris
Errant, nunc posito pascitur vmbra cibo.

Feralium origo.

Mos autem hic placandorum & expiandorum manium à Numa Pompilio institutus videtur, si Macrobio credimus, qui hoc mense statuit, vt iusta dijs manibus soluerentur: sin Plutarcho, à Romulo. Ouidius autem ad Æneam refert: sic enim inquit lib. 2. Fast.

Hunc morem Æneas pietatis idoneus author
Attulit in terras iuste Latine tuas.
Ille patris genio solennia dona ferebat:
Hinc populi ritus edidicere pios.

Verùm longè ante illum Pluto docuit morem honorum mortuis exhibendorum. Diodorus enim sic scribit: Plutonem volunt sepulchrorum, funerumq;, atque honorum, qui mortuis impenduntur, vsum introduxisse, quum antea nulla rerum harum apud homines esset consuetudo. Quæ causa extitit, vt vita functis dominari existimaretur, antiquitate illi huius curæ principium tribuente.

MVTAE DEAE festum.

Dea Muta quę.

INter hæc Feralia sacra fiebant sacrificia quoque Deæ Mutæ: Nympha fuit illa, Almonis fluuij filia, quæ à loquacitate Lalaria, deinde vero dempta litera Lar vocabatur. Ea, quum Iupiter Iuturnam nympham deperiret, & ipsam Iuturnam, vt sibi ab eo caueret, monuit, & Iunoni Iouis mariti sui amores detexit. Indignatus igitur Iupiter linguam ei abstulit, iussitq; Mercurio illam pro inferna nympha ad inferos ducere. Is inter eundem amore eius captus, grauidam eam reddidit, peperitq; ex eo Lares duos. Huic Deæ sacrificabant, ad compescendum maleuolorum ac detrahentium linguas. Hæc verò sacra Feralibus iungebantur, quòd deæ huius cum mortuis sit commune silentium: vel quòd Larium mater crederetur, qui animæ seu genij hominum esse putantur, author e Festo: & in lucis piorum manes habitare existimarentur, qui Lares viales dicebantur, vt Seruius scribit.

Mutæ festi & sacri ritus.

Ritus autem planè magicus, qui in hoc sacro obseruabatur, ab Ouidio libro 2. Fast. sic describitur:

Ecce anus in medijs residens annosa puellis,
Sacra facit Tacitæ, nec tamen ipsa tacet.
Et digitis tria thura tribus sub limine ponit,
Qua breuis occultum mus sibi fecit iter.

Tum

Tum tantata tenet cum plumbo licia fusco,
Et septem nigras versat in ora fabas.
Quodq; pice astringit, quod acu traiecit ahena,
Obsutum menta torret in igne caput.
Vina quoque instillat: vini quodcunque relictum est,
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa bibit.
Hostiles linguas, inimicaq; vinximus ora,
Dicit discedens, ebriaq; exit anus.

Similem artem magicam exercuisse monachum quendam contra suos maleuolos & obtrectatores in Chalcide, Paulus Marsus testatur in suis Comment. ad lib. 2. Ouidij Fastorum, &, quod dictu mirum sit, compescuisse illorum maledicentiam, habuisseq; librum, cuius inscriptio fuerit, De arcanis veneficijs cuiusdam Thessali. Idem etiam accidisse se præsente Hispali, & postea Rhodi, pluresq; esse per omnem Græciam qui huiusmodi veneficia exerceant, idem author eodem loco refert. Ita habere quoddam genus incantationis Turcos, quo fugitiua mancipia ex Christianis progenita etiam inuita retrahant, Bartholomæus Georgieuiz peregrinus in Epitome de Turcorum moribus indicat. Nomen serui fugitiui in schedula scriptum suspenditur in tabernaculo seu domicilio serui, dein diris verbis & deuotionibus illius caput impetunt: tum fit vi dæmoniaca, vt fugiens putet sibi in itinere vel leones vel dracones occurrere, vel mare seu flumina contra se exundare, vel omnia tenebris nigrescere: ijsq; terriculamentis perculsus redit ad herum suum pristinum.

CHARISTIA.

VNdecimo Calendas Martias Charistia celebrabantur Romæ, sic dicta, ἀπὸ τῆς χάριτος, hoc est, gratia: quòd eo die fratres, cognati & affines ad conseruandũ mutuum amorem et gratiam conuenirent. De his Valerius Maximus lib. 2. vbi de antiquis institutis agit, sic scribit: Conuiuium etiam solenne maiores instituerunt, idq; Charistiam appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, inter sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. Ouidius aliam etiam causam affert huius solennitatis, vt nimirum superuiuentium numerus ex eadem familia & cognatione quotannis recenseretur: vbi etiam addit, nullum scelere aliquo pollutum admissum fuisse. Sic enim canit lib. 2. Fast. Charistiorum etymologia & ritus.

Proxima cognati dixere Charistia cari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.
Scilicet à tumulis, & qui periere propinquis,
Protinus ad viuos ora referre iuuat.
Postq; tot amissos quicquid de sanguine restat,
Aspicere, & generis dinumerare gradus.
Innocui veniant, procul hinc procul impius esto
Frater, & in partus mater acerba suos, &c. *Et rursus:*
Dis generis datæ thura boni, Concordia fertur
Illa præcipuè mitis adesse die.
Et libate dapes, vt grati pignus amoris:
Nutriat intinctos missa patella cibos.
Iamq; vbi suadebit placidos nox humida somnos,
Larga precaturi sumite vina manu.

TERMINALIA.

Decimo Calend. Mart. hoc est, die 20. Februarij, Terminalia celebrabantur. Fiebant

Terminalia quando & in cuius honorem celebrata.

hæc ſacra in honorem Termino deo, in cuius tutela agrorum fines & termini eſſe putabantur, qui (vt Varroni placet) à terendo dicti ſunt, quòd hæ partes propter limitare iter maximè tererentur. Teſtatur vtrunq; Ouidius lib. 2. Faſt. nam vbi Chariſtiorum feſtum abſoluiſſet, ita canit:

Nox vbi tranſierit, ſolito celebretur honore,
Separat indicio qui deus arua ſuo.

Quidam verò ad 8. Calen. Mart. referunt. Nam inter Terminalia & Regifugium, teſte Cenſorino, dies intercalaris interſerebatur. Liuius 5. Dec. lib. 3. inquit: Tertio die poſt Terminalia Calendæ intercalares fuere. Varro 23. diei huius menſis tribuere videtur. Nam ideò Terminalia appellata fuiſſe exiſtimat, quòd is dies anni extremus fuiſſet conſtitutus. Apud veteres autem Romanos non ſolùm Februarius duodecimus & vltimus menſium fuit conſtitutus: ſed & 23. eiuſdem dies vltimus totius anni habitus. Varroni aſtipulatur etiam Bedas, qui ad 7. Cal. Martias Terminalia ponit.

Terminaliorũ origo & cauſa.

Habuere autem hæc ſacra à Numa originem ſuam, authore Dionyſio Halicarnaſſ. qui lib. 2. Antiquit. Rom. ſic ſcribit: Numa, vt contenti proprijs aliena non concupiſcerent, cauit lege de terminandis prædijs. Cùm enim vnumquenq; iuſſiſſet agrum ſuum circumſcribere, ac in finibus ſtatuere lapides, hos ſacros eſſe Ioui Terminali voluit: iuſſitq; vt quotannis ſtato die res diuina eo loco in paganorum cœtu fieret, ſacrato cum primis nobili feſto in honorem deorũ qui terminis tutelares præſident. Id Romani vocant Terminalia, ſicut lapides ipſos Terminos, quos noſtri, variante vna litera, τερμονας: quos ſi quis transferre auſus fuiſſet aut tollere, lege terminali caput eius his dijs deuouit, interfectori ipſius tanquam ſacrilegi impunitate promiſſa & puritate à ſcelere.

Terminaliorum ritus.

Statuit idem Numas, vt Termino deo ſacra fierent incruenta. Sic enim Dionyſius eodem loco: Deos putant terminos, eisq; ſacra faciunt, non hoſtias cædentes, quòd nefas ſit cruentari hos lapides; ſed liba cerealia, frugumq; offerentes primitias. Quem ritum pluribus deſcribit Ouidius, ita canens:

Termine ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoq; nomen habes.
Te duo diuerſa domini de parte coronant:
Binaq; ſerta tibi, binaq; dona ferunt.
Ara fit hic, ignem curua fert ruſtica teſta,
Sumptum de tepidis ipſa colona focis.
Ligna ſenex minuit, conciſaq; conſtruit altè,
Et ſolida ramos figere pugnat humo.
Tum ſicco primas irritat cortice flammas:
Stat puer, & manibus lata caniſtra tenet.
Inde vbi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parua fauos.
Vina tenent alij, libantur ſingula flammis:
Spectant, & linguis candida turba fauet.

Quærit autem Plutarchus in Problem. cur Termino nihil animatum ſacrificaretur? & reſpondet, Numam publicorum priuatorumq; terminorum conſtitutorẽ exiſtimaſſe Terminum, amicitiæ ac pacis cuſtodem ab omni cæde & ſanguine incontaminatum conſeruari oportere. Refert ſanè Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 22. etiam ante Numam, apud priuſ ſeculum, homines herbas ſolùm aut fructus manu excerptos pro holocauſto dijs conſecraſſe: illarumq; exhalatione & fumo ſuperis litaſſe. Quorum æmulatione Pythagoras quoque poſtea nihil animatum dijs immolandum cenſuit: ſed vſque ad farinam & mel, terræq; fructus & flores offerendum. Quod etiam Lycurgum feciſſe legimus, qui tenuiſſima & nullo paratu Lacedæmonijs ſacrificia inſtituit, ex herbis, & his quæ parabilia in promptu ſunt, ne quando difficultate parandi omitterentur ſacra. Ægyptiorum quoque erat iſte mos, non pecudibus

& ſanguine

& sanguine victimarum, sed precibus & thure placare Deos. Ideò Serapin non cæde animalium, sed verbenis, coronisq; & panificijs placabant, &c.

Hoc tamen Numæ institutum, non semper neq; ab omnibus postea custoditum fuit: nam agnam aut suem, intermisso more prisco, in Terminalibus cædebant quoq;. Vnde illud Horatij: vel agna festis cæsa Terminalibus. Et Ouidius superioribus mox subijcit:

Spargitur & cæso communis Terminus agno:
Nec queritur, lactens cùm sibi porca datur.

Fuit & mos, circum terminos vrbis hostias duci, quæ Amburbiales dicebantur.

Hæc verò sacra in priuatorum agris super terminos à priuatis peragebantur, in confiniibus autem vrbium publicè sacrificium fiebat. Etsi autem Romani imperij orbis extremitates erant, nihilominus ad veterem consuetudinem obseruandam, Romani via Laurentina, quæ est inter viam Hostiensem & Appiam, ad sextum lapidem quotannis sacrificabant, & Termino arietem immolabant, contra priscum morem. Testatur hoc poeta, inquiens:

Est via, quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita Duci.
Illic lanigeri pecoris tibi Termine fibris
Sacra videt fieri sextus ab vrbe lapis.

REGIFVGIVM.

VIgesima tertia die mensis Februarij sacrum Regifugium celebrabatur, sic dictum, Festo authore, quòd ea die Tarquinius rex Roma fugerit: quo & serpentem latrasse Plinius retulit, & Athenienses Harmodio & Aristogitoni tyrannicidis publicè statuas posuisse. Diem sacri huius non obscurè Ouidius expressit lib. 2. Fast. inquiens: Regifugij tempus & causa.

Nunc mihi dicenda est regis fuga: traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies.

Si enim ab extrema mensis Februarij die retro numeres vsque ad sex, erit vigesimus tertius dies: nam Februarius tantum habet viginti octo. Habebatur autem in maximo à Romanis hic dies honore, ob eiectos tyrannos & libertatem partam.

De hoc festo in Fragmento Sex. Pompeij ex vetustissimo exemplari Farnesianæ Bibliothecæ descripto ita legitur: Regifugium dies notatur in Fastis 6. Cal. Martias, vt ait Verrius, ita dictus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit: quod falsum esse arguit Cincius in libro Fastorum, & Tulius (al. Iulius) de Ferijs, qui Saliares virgines, & Salios adesse dicunt Regi sacrorum, quum facit sacrificium in Comitio, quo facto statim fugit. Quod verum cognouerit esse, qui legerit in Fastis dies tales, quales notantur sic: Q. REX C. F. id est, quando rex comitiauit, Fas: id est, ad Comitium itat: his enim tantum ferijs Regi sacrorum in Comitium, nec alijs ire licet. Consentit huic sententiæ Plutarchus quoque, qui in Problem. sic habet: ἔστι γὰρ τις ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς παλαιομήνῳ κομιτίῳ πάρεδρος, ᾧ θύσας ὁ βασιλεὺς κὴν τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς: quæst. 63.

EQVIRIA.

EQuiria Romæ celebrabantur tertio Cal. Mart. in campo Martio, vel si quando alluuione Tiberis inundasset campum, in Cœlio monte. Erant autem ludi curules, à Romulo in honorem Martis instituti per equorum cursum, autore Festo. De ijs Varro ità scripsit: Equiria ab equorum cursu, eo enim die currunt in campo Martio. Id nomen ex vero positum dicitur ab Ouidio, ne à fictis equis ac scenicis deductum existimetur: sic enim canit lib. 2. Fast. in fine: Equiriorum dies & ritus.

Iamq; duæ restant noctes de mense secundo,
Marsq; citos iunctis curribus vrget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo perspicit ipse suo.

Equiria repetita.

Tertio Idus Martias Equiria iterum celebrabantur: de quibus Ouidius libro 3 Fast. sic canit:

Sex vbi sustulerit, totidemq; remiserit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem:
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen ejecta si fortè tenebitur vnda,
Cælius accipiet puluerulentus equos.

CAPVT XI.

Festa quæ MARTIO mense à Græcis sunt celebrata.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ ΜΙΚΡΑ.

Panathenæa duplicia.

PANATHENAEA *duplicia fuisse μεγάλα καὶ μικρὰ omnes norunt: de Magnis mense Hecatombæone dicemus. Parua solita fuisse πενταετηρίδα, hoc est, triennio quoq; author argumenti ad orationem Demosthenis contra Midiam refert: sed potior eorum sententia videtur, qui anniuersaria fuisse volunt.*

Panathen. parua quando celebrata.

Incidisse autem in mensis Martij initium ex Dionysio Halicarnass. intelligitur. Is enim libro 2. non procul à fine, de Martialibus, seu de Ancyliorum vel Saliorum festo & ludis agens, ita scribit: ἑορτὴ δ' αὐτῶν ἐστι περὶ τὰ παναθήναια, τῷ καλουμένῳ Μαρτίῳ μηνί: hoc est, Festum eorum incidit in Panathenæa, & mensem qui dicitur Martius. Agebatur autem hæc Saliorum vel Ancyliorum solennitas initio mensis Martij, vt ex Ouidij libro 3. Fast. non obscurè intelligitur.

De Panathenæis vide plura mense Iunio, vbi de Magnis egimus.

PYTHII Ludi.

De origine Pythiorum variæ sententiæ.

PYthios ludos *ab Apolline institutos, in memoriam Pythonis draconis sagittis ab se confixi & interfecti, quum à Iunone immissus Latonam matrem persequutus fuisset, Ouidius lib. 1 Metamorph. his verbis testatur:*

1. *Neue operis famam posset delere vetustas,*
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.

Eandem originem horum ludorum monstrat Scaliger lib. 1. poetices cap. 23. ex Clearchi Solensis Aristotelis discipuli lib. 1. Prouerb.

2. *Strabo autem lib. 8. & alij dixerunt, hos ludos non ob serpentem ab Apolline cæsum institutos fuisse, sed ob hominem nocentissimum, latronem, & ob id cognomento Draconem, incolam Pythus (sic enim nominabant Delphos antiqui) ab Apolline sagittis interemptum, qui ibi insepultus contabuit. Scriptum reliquit Ephorus Apollinem ad Panopeam vrbem profectum, quo tempore in terras deuenerit, crudelissimum ac truculentissimum tyrannum Tityum interemisse: audisseq; à Parnasijs hominibus alium esse tyrannum nõ minus hominibus infestum, Pythonem nomine, cognomento Draconem, quem & ipsum Apollo sagittis confecerit. Pro hac victoria non solùm omnes Cycladum insulæ, sed etiam quæ fuerunt circa Delum hos ludos instituerunt. Et quia inter pugnandum clamitatum fuisset ἰὲ παῖ, ἰὲ παῖ, inde nomen ei factum aiunt, certis syllabis additis, παιὰν, παιὼν, παιήων. Mansit quoq; hinc consuetudo, vt in omni lætitia alicuius victoriæ Io Pæan conclamaretur, vt illud est Ouidij lib. 2. de Arte:*

Dicite Io Pæan, & Io bis dicite Pæan.
Incidit in casses præda petita meos.

Scripsit

Scripsit tamen Pausanias in Corinthiacis Diomedem à Troia redeuntẽ quum effugisset tempestatem, quæ Græcis ab Ilio redeuntibus immissa fuit, apud Trœcenios templum Apollinis Ἐπιβατηρίου, *id est, ascensum iuuantis dicauisse, et Pythicos ludos in eius honorẽ instituisse. In Phocicis autẽ hunc conuentũ et ludos Pythicos Deucalionis filio Amphyctioni tribuit.* 3.

Alij institutos voluerunt, quia cùm artem vaticinandi Apollo sit à Pane doctus, qui sciẽte Arcadibus leges dedit, mox ad vaticinium venit, vbi Nox, deinde Themis responsa dabat, Pythone præside tunc tripodis prophetici cæso ipse vaticiniorum locum occupauerit. 4.

Institutos autem multis annis ante Isthmia, postẽ Olympia tamen Natalis Comes lib. Mythologiæ 5. cap. 2. refert. Cælius etiã indicat lib. 11. cap. 24. A Græcis obseruatum, Triptolemi temporibus Pythia primùm cœpisse, annis post Orestem propemodũ sexcentis: Fingit tamẽ in Electra Sophocles, Clytemnestræ nuntiari Orestẽ in Pythicis perijsse certaminibus. Pythiorum antiquitas.

Quum verò cœpti essent celebrari ludi Pythici, antiquissimum omnium fuit certamen, vt pulchrior ex omnibus hymnis in honorem Apollinis caneretur. Deinde altera Pythiade instituerunt Amphyctiones cantum ad citharam & tibiam, & aulædorum atq; tibicinum certamina: Hoc modo Dei pugnam cum Pythone referebant Musici rhythmo Pythio, cuius quinq; partes erant, & à Græcis, Timosthene præsertim, dicuntur ἀναπαιστος, *quod præludiũ erat:* ἄμπειρα *cum pugnam tentant:* κατακελευσμὸς *ipsa dimicatio:* ὀλόλυγμος, *aut* ἴαμβος *pæan, qui huiusce modi pedibus adstringitur:* τύριγμος *extrema pars est, & belluæ pereuntis sibila imitatur. Sed tamen has partes aliter recensẽt Pollux: vocat enim ipse* πεῖραν, *in qua pugnæ locũ, modumq; Deus prospicit:* κατακελευσμὸν, *cùm iam prouocat serpentem:* ἴαμβικον, *quo certant, & in Iambico adhibentur tubæ, & ad tibiam* ὀδοντισμὸν *canebant, modum horrendã draconis sibila sagittis ab Apolline confecti referentem. Serpentum nanq; vocem tibias reddere certum est. Quarta pars vocatur à Polluce* παυσικλειον, *in qua victoria Dei significatur, quam ipse celebrat extremo loco, &* κατακορδύσει. *Postea verò indicta fuerunt eadem certamina, quæ etiam athletis in Olympicis, quadrigis exceptis (nam curruli etiam certamine in Olympicis certabatur) atque lege sancitum fuit, vt soli pueri longiore repetitoq; cursu certarent. Paulò postẽ repudiata fuit aulædorum ars, & ex his ludis excluſa, quia iniucundum quiddam & triste præ se ferrent, quum elegi, funebresq; lamentationes his tibijs conuenirent. Septima deinde Pythiade additus est equorum cursus: at vigesima tertia ad cætera ludicra accessit cursus armatorum: mox bigis decertari cœptum, & Pancration inter pueros, & pulli iniuges tum singuli, tum bini varijs temporibus instituti sunt, quorum nonnullorum mentionem fecit Ouidius lib. 1. Metamorph.* Pythiorum ritus.

Hic iuuenum quicunq; manu, pedibusue, rotaue
Vicerat, &c.

Qui vicissent eis Amphyctiones, qui Delphici templi curam habebant, & certaminis iudices erant, primò pecuniam dabant. Hoc verò præmio ab Amphyctionibus sublato, coronarium duntaxat fuit propositum octaua postẽ quadragesimam Olympiade. Antequam autem laurus reperiretur, vel ex palma, vel ex æsculo coronæ dabantur victoribus in his ludis, vt Ouidius lib. 1. Metamorphos. testatur: Victorum in Pythijs præmium.

Hic iuuenum quicunq; manu, pedibusue, rotaue
Vicerat, æsculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat, longoq; decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

Postea verò in omnibus certaminibus corona laurea victoribus donabatur, vt testatur Pindarus multis in locis. Id enim gratum esse Apollini putabatur, quia traditum est in fabulis, quòd Apollo Daphnen in eam arborem mutatam amarit. Pausanias in Phocicis. Voluerunt tamen alij neq; palmam, neq; æsculum, neq; laurum præmium fuisse Pythiorum, sed poma quædam Deo consecrata Victoribus donari solita, vt scripsit in libro de Coronis Ister. Et Lucianus in libello de Gymnasijs apertè testatur, μῆλα τὰ ἱερὰ τοῦ Ἀπόλλωνος *Pythionicæ præmium fuisse. Id verò inde accidit, quia & ludicra, & præmia victorum, & tempora, qui-*

bus agebantur Pythia, sæpius immutata sunt. Nam quum primùm nono quoque anno agerentur, perducta sunt postea ad quinquennium, quia tot Nymphæ dictæ sunt Parnasides dona Apollini, quum feram trucidasset, obtulisse.

Pythia quando celebrata.

Celebratos autem esse hos ludos ab omnibus Cycladum incolis Vere ineunte Dionysius in libro de Situ orbis his carminibus tradidit.

Ῥῦσιαδ' Ἀπόλλωνι χορὸς ἀνάγεσιν ἅπασαι
Ἀρχομένῳ γλυκερῆ νέον ἔαρ, ἔνθ' ἐν ὄρεσσιν
Ἀθρώπων ἀπάνευθε κύει λιγυφώνῳ ἀηδών.
Instituere choros omnes, victoria quando
Grata fuit, cùm iucundum ver incipit: & cùm
Arboribus dulces nidos subtexit Aëdon.

Pythia Athenas translata.

Illud ad finem Pythiorum non prætereundum videtur, quòd Plutarchus in Demetrio scribit, eo tempore quo Thebæ à Demetrio sunt occupatæ, Demetrium Pythia Delphis Athenas transtulisse, atq; ibi etiam celebrasse, quòd Ætoli angustias obsedissent, per quas vnum fuit Delphos iter. Verba Plutarchi hæc sunt: τῶν δὲ Πυθίων καθηκόντων, θρίαμβα καινὸν ἐπέθηκεν αὐτῷ ποιεῖν ὁ Δημήτριος. Ἐπεὶ γὰρ Αἰτωλοὶ τὰ περὶ Δελφοὺς στενὰ κατεῖχον, ἐν Ἀθήναις αὐτὸς ἦγε τὸν ἀγῶνα καὶ τιὼ παναγυρίζειν, ὡς αὐτῷ προσῆκον αὐτόθι μάλιστα τιμᾶσθαι τὸν θεὸν, ὃς δὴ καὶ πατρῷος ἐστι, καὶ λέγεται τοῦ γένους ἀρχηγὸς. *Pythijs aduentantibus, rem inusitatam patrauit Demetrius. Quum enim Ætoli circa Delphos angustias obtinerent, Athenis ipse certamen & Panegyrim celebrauit, vbi maximè patrium Deum & authorem generis eorum honorari decebat. Ex quo simul intelligi etiam potest, Delphis hos ludos semper celebratos fuisse.*

PYTHIA alia.

Megaræ vrbe Achaiæ agebantur alia Pythia, quæ & Alcathoia dicebantur, ab Alcathoo Pelopis filio, vbi victori dabatur ex myrto corona. Alia item Sicyone in Peloponneso à Clisthene instituta, quum in Phocide Crissæos debellasset: præmium erant argenteæ phialæ, vt Sardus libro 3. annotat.

ISTHMII Ludi.

Isthmiorum locus & origo.

Ἴσθμιᾳ *ludi in Isthmo Achaiæ, iuxta Corinthum in Megarensium sinu delubro Neptuni inclyto, inter Ionium & Ægæum à conuentu totius Achaiæ profusis sumptibus fiebant, Vere ineunte, vt ex capite 11. lib. 4. Mythol. Natalis Comitis intelligitur: in honorem Melicertæ, quem, quum sese in mare præcipitasset, Nereides exceptum, Palæmona, Latinè Portumnum appellarunt, & Sisyphum monuerunt, vt in honorem Melicertæ ludi statuerentur: Pausanias in Atticis. Sed verosimiliora tradunt, qui Melicertæ cadauer fluctibus appulsum scribunt ad Isthmi locum quendam. Peste verò ex eo correptam Corinthum, oraculo monitam haud prius cessaturum malum, quàm Melicertæ iusta persoluerentur, ac præterea ludi fierent. Igitur Amphimachi & Donacini opera cadauere translato cum celebritatis initium pestilentiæ fuisset finis, paucis annis festiuitate celebrata ac desita, rursus ab numine cessationis postulati, ac pestilentia oppressi, ex oraculi præceptis morem intermissum redintegrarunt. Plutarchus tamen in Thesei vita alios Melicertæ ab Isthmijs ludis fuisse putat, sic inquiens: Quod ibidem in Melicertæ honorem constitutum est, noctu agebatur, initiandi magis, quàm spectaculi aut celebritatis speciem præ se ferens. Illè igitur à Theseo primùm inuentos & institutos hos ludos dicit, eundemq; gloriari quandoq; solitum, vt ob Herculem Ioui Olympia, sic propter se Neptuno patri Isthmia celebrari à Græcis. Musæus etiam in libro, quem scripsit de Isthmijs, duo certaminum genera celebrari solita in Isthmo tradidit, alterũ in Neptuni, alterum verò in Melicertæ honorem: quod etiam in his testatur Apollon. lib. 3.*

Οἷός δ' Ἴσθμιον εἶσι ποσειδάων ἐς ἀγῶνα
Ἅρμασιν ἐμβεβαώς.
Qualis adit ludos Isthmi Neptunus vt altum
Conscendit currum.

Sunt

Sunt tamen qui existimant, eosdem fuisse ludos, sed ex nocturnis diurnos fecisse Theseum: & in Scyronis honorem inuentos à Theseo, quo se à cæde ob propinquitatem expiaret: alij etiam Sinis Procustis Neptuni filij à Theseo cæsi gratia certamen hoc constitutum esse voluerunt. Statuit autem Theseus, conuenitq; cum Corinthijs, vt Athenienses ad Isthmia accedentes, tantum in spectando sedentes præferrentur cæteris, quantum nauis velum, quæ eò spectandi gratia appulsa erat, extensum locum occuparet: quemadmodum in eius vita ex Hellanico & Androne Halicarnasseo Plutarchus refert.

Isthmiorum religio.

Quinquennales autem erant hi ludi, si Solino lib. 13. credimus, sin Pindari Commentatori, triennales, inquit enim, τὰ Ἴσθμια δὶς ἐπετηρίδι ἄγεται, quòd verius videtur. Tanta religione fuerunt sacri, vt quum eos Cypselus tyrannus Corinthius intermisso more, reliquisset, illorumq; propè intermortua memoria esset, ne tanta celebritas intermitteretur, Corinthij Olympiade 49. enixius ex omni seculorum memoria solennes celebrarunt, Herodoto in primo authore: quos tanto deinceps studio coluere, vt ne deleta quidē Achaia à L. Mummio, & tota Corintho maximo bello conuulsa, ab eorum spectaculis desiuerint. Cumq; deserta Corintho, celebrandis ludis ciues nulli supereſſent, Sicyonijs proximis incolis, ne celebritas intermitteretur, cultum curamq; demandarunt. Instaurata verò ciuitate, honor hic ad incolas redijt. Pausanias in Corinthiacis, & Alex. ab Alexandro lib. 5. cap. 8.

Isthmiorum ritus.

Porro in hoc Isthmiorum ludicro tria præcipuè edebantur, Iaculorum certamen, Cursus pugna, ac Musicorum poetarumq; congressus. Duorum priorum meminit Simonides his verbis:

Ἴσθμια καὶ πυθοῖ Διοφῶν ὁ φίλωνος ἐνίκα:
Ἅλμα, ποδωκείλῳ, δίσκον, ἄκοντα, πάλλῳ.

Quos versus sic Alciatus interpretatus est:

Isthmia Philonis Diophon, & Pythia vicit:
Et cursu, & iaculo, saltibus, orbe, pale.

Huc pertinet illud Pindari interpretis:

Ἅλμα ποδὸς, δίσκου τε βολὴ, καὶ ἀκοντὸς ἐρωή,
Καὶ δρόμος ἠδὲ πάλη, μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελευτή.

Hoc est, eodem Alciato interprete:

Cum disci iactu, saltus pedis, impetus hastæ,
Atque pale, & cursus, studium fuit omnibus vnum.

Victorum in Isthmijs præmia.

Suidas meminit alterius generis cursus in his ludis, quod Diaulō, id est, per duo stadia vocat.

Pinu autem Isthmionicas coronatos narrant, quòd Melicertæ corpus pineis obuolutum surculis inuentum esset. Alij dicunt Neptuno sacram pinum: vnde Phytalmij cognomen attributum autumant: quòd pinus, picea, abies maritimæ rei maximè inseruiant. Strabo lib. 8. Neptuni Isthmij templum luco picearum circundatum scribit. Timæus scripsit, Apio antea coronari solitos in hoc certamine victores, idq; Corinthiorum iudicio. Pindari etiam Scholiastes non è pinu, sed ex apio arido victoribus coronam adscribit, quibus Apollonij Argonauticon assentitur, sic tamen, vt aliquando coronam pineam adeptos quoque concedat. In Isthmo primum victores coronam è pinu meruisse, deinde ex apio, postremò verò in pristinum honoris locum coronam pineam esse restitutam, Plutarchus in Symposiacis testatur.

ΑΣΚΛΗΠΙΑ.

IN Arcadia non procul à Lusio flumine sepulchrum & lucus ostenditur Æsculapij Arsippi & Arsinoæ filij, qui primus alui purgationem, & dentis euulsionem inuenisse dicitur. Hunc lucum scribit Pausanias in Corinthiacis fuisse montibus vndique præcinctum, in quo ambitu quenquam vel mori vel nasci religio fuerit, sicut etiam in Delo insula. In hoc luco celebrabantur ludi quinquennales, die nono post Isthmios, ante Megarenses tamen, incipiente Vere, ijq; apud Epidaurios, apud quos natus fuisse dicebatur, in honorem Æsculapij: vt testatur Natalis Comes lib. 4. Mythol. cap. 11. Sardus lib. 3. de Moribus gentium scribit, hos ludos in Epiro pugillatu & Pancratio factos.

ΕΜΒΑΣΙΣ ΟΣΙΡΙΔΟΣ ΕΙΣ ΤΗΝ ΣΕΛΗΝΗΝ.

PLutarchus in Osiride testatur, Ægyptios initio veris in nouilunio mensis Phamenoth, qui Martio nostro respondet, festum celebrasse, quod ἔμβασιν Ὀσίριδος εἰς τὴν σελήνην, Ingressum Osiridis in lunam appellarint.

ΣΩΤΗΡΙΑ.

Soteriorũ tempus & origo.

ΣΩτήρια Soteria in honorem τοῦ Διὸς τοῦ σωτῆρος, Iouis liberatoris, celebrarunt Sicyonij, quinto die Ἀνθεστηριῶνος, quòd hoc die Aratus Sicyoniam suam patriam à tristi seruitute regum Macedonicorum in libertatem vindicasset. Sic enim Plutarchus in fine vitæ eius scribit: Θύουσιν Ἀράτῳ θυσίαν, ἣν τὴν πόλιν ἀπήλλαξε τῆς τυραννίδος, ἡμέρᾳ πέμπτῃ Δαισίου μηνὸς, ὃν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν Ἀνθεστηριῶνα. Καὶ τὴν θυσίαν ἐκείνην Σωτήρια προσαγορεύουσι. Mirum tamen, vt obiter hoc moneam, quòd Ἀνθεστηριῶνι confert Δαίσιον, hoc est, Iunium, quum alibi longè aliter sentiat, vt supra indicauimus: ideoq; ego hoc loco pro Δαισίου legendum arbitror Δύστρου.

Vocarunt autem Græci in genere Σωτήρια, festa vel sacra quæ agitantur in honorem σωτήρων θεῶν, ob datam nimirum salutem & liberationem. Sic Herodianus lib. 1. παρέπεμπέ τε τὴν θεὸν χαίρουσα, ἡ σωτήρια τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος μετὰ τῆς ἑορτῆς ἐπανηγύριζε: hoc est, vt Politianus reddidit, populus omnis pro salute Imperatoris diem lætabundus celebrabat. Idem lib. 4. ῥιψας ἑαυτὸν ἐς γῆν ὡμολόγει τε χαρίστηρια, ἔθυέ τε σωτήρια. Vbi rursus Politianus, Gratias agebat, votis quasi pro salute susceptis. Sic etiam Plutarchus in Galba, ἔθυσε σωτήρια, καὶ παρεσκεύασε λαμπρὰν ἑστίασιν. Et Lucianus, ἅτε καὶ σωτήρια τιμήσων ἄξιον.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ, quæ & ΔΙΟΝΥΣΙΑ dicta sunt.

QVandoquidem supra abundè firmiterq; probatum arbitror, Ἀνθεστηριῶνα non hybernum, sed vernalem esse mensem, & quidem nostro Martio vt plurimùm respondere, ideò quum Martij mensis festa hoc capite referamus, etiam ea quæ Anthesterione à Græcis apud authores celebrata reperiuntur, recensere statuimus. Vbi primo loco de Ἀνθεστηρίοις Anthesterijs agemus, quæ & mensi huic nomen dederunt, qui totus Baccho sacer fuit, ob festa plurima quæ in eo Baccho fiebant. Apollodorus, Suida teste & Varino, omnes illas celebritates quæ in honorem Bacchi hoc mense peragebantur, Anthesteria appellari vult, ita vt Ἀνθεστηρια sint genus, πιδοίγια autem, χύες & χύτρα species. Theophilus Ἀνθεστήρια etiam ab Athenienſibus Διονύσια nuncupari scribit, à Baccho nimirũ, qui Διόνυσος, & Διονύσιος appellatus fuit: vel à Διὸς & νύσα, id est, Ioue patre, & Nysa vrbe Arabiæ, in qua à nymphis educatus fuit: vel, vt Plato vult & interpres Hesiodi, quasi δεδόινυσος, à διδόναι τὸν οἶνον, quòd dator, hoc est, repertor sit vini: vel, quod Phurnuto placet, ὡς διόνυξ & ὤν, quasi nos adaperiens: siue παρὰ τὸ δύαινειν ἡμᾶς ἡδέως, quòd suauiter nos irriget: vel quasi δύαλυσος, inuersione a. in o. & λ. in ν. quòd curis soluat modicis et nimijs animum, vnde & Alysius dictus, & Lyæus. Illi qui Bacchum voluerunt esse Solem, vt Physici, Dionysium existimarunt esse dictum, vel, quasi Διὸς νῦν mentem Iouis, vt Macrobius sensit: vel, quæ Orphei fuit sententia, ἀπὸ τοῦ δινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι, quòd circumferatur in ambitum: vel denique, vt Cleantes, Arthemidorus lib. 2. Onirocriticôn, & Suidas opinati sunt, ἀπὸ τοῦ δύνασθαι à perficiendo.

Anthesteria omnia illa festa dicuntur quæ Baccho celebrãtur Anthesterione M.

Anthesteria dicuntur etiam Dionysia.

Dionysius cur Bacchus dicatur.

Lenæa.

Videntur & Lenæa Λήναια generaliter hæc Bacchi festa dicta fuisse. Sic enim Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 13. scribit. Celebrabantur, inquit, Lenæa in ciuitate Athenarum ineunte vere, quo tempore vina de fece eximebantur, tributaq; ferebantur ab externis: quod certamen erat bibentium plerunq; Bacchumq; lætitiæ authorem canentium. Cuiusmodi carmina sunt illa Euripidis in Bacchis:

Τῷ παυσίλυπον ἄμπελον δῶναι βροτοῖς.
Οἶνος ὃ μηπέτ' ὄντος, οὐκ ἔστιν κύπρις,
οὐδ' ἄλλο τερπνὸν ἐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.

Nos

Nos igitur, ob maiorem perſpicuitatem, Antheſteriorum & Lenæorum *nominibus pro genere feſtorum Bacchi poſitis, de* Myſteriis Dionyſij paruis, Pithœgijs, Chois, Chytris, *&c. ſeorſim agemus.*

ΔΙΟΝΥΣΙΑ, SEV MYSTHPIA
Μικρὰ Διονύσου.

Dionyſia, *quæ &* Myſteria Bacchi *appellarunt, fuere duplicia: Parua & Magna.* Parua *Thucydides lib.2.* Αρχαιότερα, *id eſt, antiquiora vocat, quòd nimirum ante Magna inſtituta eſſent: & libro 5. Vrbana eadem nominat, quòd in vrbe tantum, non etiam in agro agerentur, vt maiora. Celebrabantur autem menſe Antheſterione. Sic enim Plutarchus in Demetrio ſcribit:* ἀλλὰ τὰ μικρὰ Μυστήρια τῶν Ανθεστηριῶνος ἐτέλουν: τὰ δὲ μεγάλα τῶν Βοηδρομιῶνος. *Thucydides lib.5. ſub finem hyemis & initium veris celebrata fuiſſe teſtatur, Antheſterionem intelligens, vt iam indicabitur.* Myſteria Bacchi duplicia. Myſteria Bacchi parua.

In Limnis verò Athenis intra vrbem in templo Bacchi die duodecima Antheſterionis agebantur. Thucydides enim lib.2. enumerans templa Athenarum arci vicina, inquit: καὶ τὸ ἐν λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ανθεστηριῶνι: *id eſt, aliud quoque eſt (templum) in Limnis Dionyſij, in quo antiquiora Dionyſia duodecima die menſis Antheſterionis celebrantur. Sunt tamen qui ex eodem authore decima huius menſis die facta referant, fortè quòd in nonnullis exemplaribus pro* δωδεκάτῃ *legatur* δεκάτῃ. *Et horum quidem ſententiam ac lectionem veroſimiliorem puto, quum duodecima huius menſis die χόες et χύτροι feſta celebrata ſint: non igitur probabile, etiam Myſteria hac ſimul peracta fuiſſe.* Myſteria parua Bacchi vbi & quo die celebrata.

Antonius Fanenſis in ſuis ad Ouidij Faſtorum librum 3. Comment. refert ex aliorum ſententia, Athenienſes Dionyſia primos inſtituiſſe. Et Alex. ab Alexandro lib.6. cap. 19. de eodem ſic ſcribit: Theatrales ludos in Liberi patris honorem inuentos, ab Athenienſibus originem duxiſſe ferunt, qui primi Nouembri menſe (per Ανθεστηριῶνα *malè Nouembrem intelligens) Bacchanalia & ludos gymnicos ac Liberales celebrarunt.* Athenienſes Myſteriorum Bacchi authores.

Erant autem horum ſacrorum miniſtræ fœminæ, quòd Bacchus illas habuiſſet ſocias in Indica expeditione, quibus tamen viri quoq; iungebantur. Et coronabantur hedera quicunq; Libero patri erant initiaturi, vt ſignificauit Euripides in Bacchis: quia paruus Dionyſius in cunis illa arbore fuit occultatus: vel, quia racemos vuarum imitatur: vel quia ſemper ſit viridis & iuuenis, qualis Deus ipſe fingebatur: vel quia quum frigida ſit arbor natura, ob inſitum frigus adiumento ſit aduerſus ebrietatem. Alij ad imitationem Bacchi id factum crediderunt, quòd ille cùm eſſet puer hedera & lauro coronatus incederet, ſicut Homerus teſtatur in hymnis: Sacrorum Bacchi qui miniſtri.

Δὴ τότε φοιτίζεσκε καθ' ὑλήεντας ἀταύλους,
Κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.
Tum quoque paruus erat, ſyluisq; errabat in altis
Ornatus lauro atq; hedera.

Et quidem legibus ſacrificiorum ſancitum erat, vt coronarentur hedera quicunque Baccho initiarentur, vt ait Dionyſius in Coſmographia:

Ὀρνύμεναι τελέθουσι κατὰ νόμον ἱερὰ Βάκχῳ
Στεφάμεναι κισσοῖο μελανφύλλοιο κορύμβοις
Εὐνύχιαι, παταγῇς δὲ λιγύθροος ὄρνυται ἠχή.
Concitæ agunt, vt lex, Baccho ſacra tempora ramis
Deuinctæ nigris hederæ, ac pallente corymbo
Nocturnæ: clamorq; ingens conſurgit ad auras.

Ipſorum autem ſacrorum qui ritus initiò fuerint, & in quem non diſſimulandum abuſum progreſſu temporis abierint, Plutarchus aliquo modo indicat in libello περὶ φιλοπλουτίας, Sacrorum Bacchi ritus.

ΕΜΒΑΣΙΣ ΟΣΙΡΙΔΟΣ ΕΙΣ ΤΗΝ ΣΕΛΗΝΗΝ.

PLutarchus in Osiride testatur, Ægyptios initio veris in nouilunio mensis Phamenoth, qui Martio nostro respondet, festum celebrasse, quod ἔμβασιν Ὀσίριδος εἰς τὴν σελήνην, Ingressum Osiridis in lunam appellarint.

ΣΩΤΗΡΙΑ.

Soteriorũ tempus & origo.

Σωτήρια Soteria in honorem τοῦ διὸς τοῦ σωτῆρος, Iouis liberatoris, celebrarunt Sicyonij, quinto die Ἀνθεστηριῶνος, quòd hoc die Aratus Sicyoniam suam patriam à tristi seruitute regum Macedonicorum in libertatem vindicasset. Sic enim Plutarchus in fine vitæ eius scribit: Θύουσιν Ἀράτῳ θυσίαν, ἣ τὴν πόλιν ἀπήλλαξε τῆς τυραννίδος, ἡμέρᾳ πέμπτῃ Δαισίου μηνὸς, ὃν Ἀθηναῖοι καλοῦσιν Ἀνθεστηριῶνα. Καὶ τὴν θυσίαν ἐκείνην Σωτήρια προσαγορεύουσι. Mirum tamen, vt obiter hoc moneam, quòd Ἀνθεστηριῶνι confert Δαίσιον, hoc est, Iunium, quum alibi longè aliter sentiat, vt supra indicauimus: ideoq; ego hoc loco pro Δαισίου legendum arbitror Δύστρου.

Vocarunt autem Græci in genere Σωτήρια, festa vel sacra quæ agitantur in honorem σωτήρων θεῶν, ob datam nimirum salutem & liberationem. Sic Herodianus lib. 1. παρέπεμπέ τε τὸν θεὸν χαίρων, ἡ σωτήρια τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος μετὰ τῆς ἑορτῆς ἐπανηγύριζε: hoc est, vt Politianus reddidit, populus omnis pro salute Imperatoris diem lætabundus celebrabat. Idem lib. 4. ῥίψας ἑαυτὸν ἐς γῆν ὡμολόγει τε χαριστήρια, ἔθυέ τε σωτήρια. Vbi rursus Politianus, Gratias agebat, votis quasi pro salute susceptis. Sic etiam Plutarchus in Galba, ἔθυσε σωτήρια, καὶ παρεσκεύασε λαμπρὰν ἑστίασιν. Et Lucianus, ἄτε καὶ σωτήρια τιμήσων ἄξων.

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ, quæ & ΔΙΟΝΥΣΙΑ dicta sunt.

QVandoquidem supra abundè firmiterq; probatum arbitror, Ἀνθεστηριῶνα non hybernum, sed vernalem esse mensem, & quidem nostro Martio vt plurimùm respondere, ideò quum Martij mensis festa hoc capite referamus, etiam ea quæ Anthesterione à Græcis apud authores celebrata reperiuntur, recensere statuimus. Vbi primo loco de Ἀνθεστηρίοις Anthesteriis agemus, quæ & mensi huic nomen dederunt, qui totus Baccho sacer fuit, ob festa plurima quæ in eo Baccho fiebant. Apollodorus, Suida teste & Varino, omnes illas celebritates quæ in honorem Bacchi hoc mense peragebantur, Anthesteria appellari vult, ita vt Ἀνθεστήρια sint genus, πιθοίγια autem, χύες & χύτρα species. Theophilus Ἀνθεστήρια etiam ab Athenienſibus Διονύσια nuncupari scribit, à Baccho nimirũ, qui Διόνυσος, & Διονύσιος appellatus fuit: vel à διὸς & νυσα, id est, Ioue patre, & Nysa vrbe Arabiæ, in qua à nymphis educatus fuit: vel, vt Plato vult & interpres Hesiodi, quasi δεδόινυσος, à διδόναι τὸν οἶνον, quòd dator, hoc est, repertor sit vini: vel, quod Phurnuto placet, ὡς διόνυξος ὤν, quasi nos adaperiens: siue παρὰ τὸ δύαινειν ἡμᾶς ἡδέως, quòd suauiter nos irriget: vel quasi δύαλυσος, inuersione a. in o. & λ. in ν. quòd curis soluat modicis et nimijs animum, vnde & Alysius dictus, & Lyæus. Illi qui Bacchum voluerunt esse Solem, vt Physici, Dionysium existimarunt esse dictum, vel, quasi διὸς νῶν mentem Iouis, vt Macrobius sensit: vel, quæ Orphei fuit sententia, ἀπὸ τοῦ διανεῖσθαι καὶ διαφέρεσθαι, quòd circumferatur in ambitum: vel denique, vt Cleantes, Arthemidorus lib. 2. Onirocriticôn, & Suidas opinati sunt, ἀπὸ τοῦ δύαινειν à perficiendo.

Anthesteria omnia illa festa dicuntur quæ Baccho celebrãtur Anthesterione M.

Anthesteria dicuntur etiam Dionysia.

Dionysius cur Bacchus dicatur.

Lenæa.

Videntur & Lenæa Λήναια generaliter hæc Bacchi festa dicta fuisse. Sic enim Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 13. scribit. Celebrabantur, inquit, Lenæa in ciuitate Athenarum ineunte vere, quo tempore vina de fece eximebantur, tributaq; ferebantur ab externis: quod certamen erat bibentium plerunq; Bacchumq; lætitiæ authorem canentium. Cuiusmodi carmina sunt illa Euripidis in Bacchis:

Τὸν παυσίλυπον ἄμπελον δεῦτε βρότοι.
Οἶνος ὅ μηκέτ' ὄντος, ἐκ ἔστιν κύπρις,
Οὐδ' ἄλλο τερπνὸν ὅδε ἀνθρώποις ἔτι.

Nos

Nos igitur, ob maiorem perſpicuitatem, Antheſteriorum & Lenæorum *nominibus pro genere feſtorum Bacchi poſitis, de* Myſterijs Dionyſij paruis, Pithœgijs, Chois, Chytris, *&c. ſeorſim agemus.*

ΔΙΟΝΥΣΙΑ, SEV MYSTHPIA
Μικρὰ Διονύσου.

Dionyſia, *quæ &* Myſteria Bacchi *appellarunt, fuere duplicia: Parua & Magna.* Parua *Thucydides lib.2.* Αρχαιότερα, *id eſt, antiquiora vocat, quòd nimirum ante Magna inſtituta eſſent: & libro 5. Vrbana eadem nominat, quòd in vrbe tantum, non etiam in agro agerentur, vt maiora. Celebrabantur autem menſe Antheſterione. Sic enim Plutarchus in Demetrio ſcribit:* ἀλλὰ τὰ μικρὰ Μυστήρια τὰ Ανθεστηριῶνος ἐπιλεῖνε: τὰ δὲ μεγάλα τὰ βοηδρομιῶνος. *Thucydides lib.5. ſub finem hyemis & initium veris celebrata fuiſſe teſtatur, Antheſterionem intelligens, vt iam indicabitur.*

Myſteria Bacchi duplicia. Myſteria Bacchi parua.

In Limnis verò Athenis intra vrbem in templo Bacchi die duodecima Antheſterionis agebantur. Thucydides enim lib.2. enumerans templa Athenarum arci vicina, inquit: καὶ τὸ ἐν λίμναις Διονύσε, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ Ανθεστηριῶνι: *id eſt, aliud quoque eſt (templum) in Limnis Dionyſij, in quo antiquiora Dionyſia duodecima die menſis Antheſterionis celebrantur. Sunt tamen qui ex eodem authore decima huius menſis die facta referant, fortè quòd in nonnullis exemplaribus pro* δωδεκάτῃ *legatur* δεκάτῃ. *Et horum quidem ſententiam ac lectionem veroſimiliorem puto, quum duodecima huius menſis die χόες et χύτροι feſta celebrata ſint: non igitur probabile, etiam Myſteria hac ſimul peracta fuiſſe.*

Myſteria parua Bacchi vbi & quo die celebrata.

Antonius Faenſis in ſuis ad Ouidij Faſtorum librum 3. Comment. refert ex aliorum ſententia, Athenienſes Dionyſia primos inſtituiſſe. Et Alex. ab Alexandro lib.6. cap. 19. de eodem ſic ſcribit: Theatrales ludos in Liberi patris honorem inuentos, ab Athenienſibus originem duxiſſe ferunt, qui primi Nouembri menſe (per Ανθεστηριῶνα *malè Nouembrem intelligens) Bacchanalia & ludos gymnicos ac Liberales celebrarunt.*

Athenienſes Myſteriorum Bacchi authores.

Erant autem horum ſacrorum miniſtræ fœminæ, quòd Bacchus illas habuiſſet ſocias in Indica expeditione, quibus tamen viri quoq; iungebantur. Et coronabantur hedera quicunq; Libero patri erant initiaturi, vt ſignificauit Euripides in Bacchis: quia paruus Dionyſius in cunis illa arbore fuit occultatus: vel, quia racemos vuarum imitatur: vel quia ſemper ſit viridis & iuuenis, qualis Deus ipſe fingebatur: vel quia quum frigida ſit arbor natura, ob inſitum frigus adiumento ſit aduerſus ebrietatem. Alij ad imitationem Bacchi id factum crediderunt, quòd ille cùm eſſet puer hedera & lauro coronatus incederet, ſicut Homerus teſtatur in hymnis:

Sacrorum Bacchi qui miniſtri.

Δὴ τότε φοιτίζεσκε καθ' ὑλήεντας ἐναύλους,
Κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.
Tum quoque paruus erat, ſyluisq; errabat in altis
Ornatus lauro atq; hedera.

Et quidem legibus ſacrificiorum ſancitum erat, vt coronarentur hedera quicunque Bacche initiarentur, vt ait Dionyſius in Coſmographia:

Ὀρνύμεναι τελέθουσι κατὰ νόμον ἱερὰ Βάκχῳ
Στεφάμεναι κισσοῖο μελανφύλλοιο κορύμβοις
Εὐνύχιαι, παταγῇς δὲ λιγύθεος ὄρνυται ἠχώ.
Concitæ agunt, vt lex, Baccho ſacra tempora ramis
Deuinctæ nigris hederæ, ac pallente corymbo
Nocturnæ: clamorq; ingens conſurgit ad auras.

Ipſorum autem ſacrorum qui ritus initiò fuerint, & in quem non diſſimulandum abuſum progreſſu temporis abierint, Plutarchus aliquo modo indicat in libello περὶ φιλοπλουτίας,

Sacrorum Bacchi ritus.

seu De cupiditate diuitiarum, his verbis sub finem: Ἡ πάξις τῶν Διονυσίων ἑορτὴ τὸ παλαιὸν ἐπεμπέτο δημοτικῶς καὶ ἱλαρῶς. Ἀμφορεὺς οἴνου καὶ κλημάτις: Εἶτα ἔφερον τις εἶλκε, ἄλλος ἰχάδων ἄρριχον ἠκολούθει κομίζων. ὅτι πᾶσι ἦν ὁ φαλλὸς. Ἀλλὰ νυὶ ταῦτα παροράται καὶ ἠφάνισται, χρυσωμάτων ἀναθημάτων καὶ ἱματίων πολυτελῶν, καὶ ζεύγων ἐλαυνομένων καὶ περσωπείων: hoc est, Accepta à maioribus Bacchanalium festiuitas antiquitùs plebeio more & hilari agebatur. Amphora vini, & palmitis sarmentum, tum aliquis caprum trahebat, sequebatur alius calathũ ficis plenum gestans: vltimo loco Phallus. Nunc ea negliguntur & obsoleta sunt, dum interim gestantur aurea pocula, vestes pretiosæ, bigæ agitantur, personatiq; incedunt. De eodẽ Alex. ab Alexandro lib. 6. cap. 19. sic scribit: Atheniẽses Bacchanalia, et ludos gymnicos ac Liberales tanta licentia celebrarũt, vt Nymphaꝝ & heroum habitu bacchantes prodirent in forum, & ad sonum tibiæ cum lasciua gesticulatione compositis modis psallerent. Vinumq; cum bellarijs, libaq; ex melle, magna bibendi licentia circumferrent, quos plerunq; populus coronatus spectauit. Quæ sacra præter quam quòd per anum deliram & temulentã indicerentur, eò insolentiæ processere, vt mulieres viriq; ornati hedera, crine fluxo, lymphatis animis debacchatæ, cum thyrsis velut insanientes, & furore afflatæ obuios ferirent. Ministri quoq; fanatici non minore vesania ferulas gestarent, tanta temulentia & verborum licentia, vt M. Varro, nisi ab amentibus fieri potuisse negaret: quare ministræ Mænades dictæ, inter quas Sileni, Satyri, Bacchæ, Lenæchiæ, Mimallones, Naiades, Nymphæ et Tityri sacris operabantur. In his quoq; comessationes, thyrsi, tibiæ, et cantus frequentes erant. Et quoniã ad animæ purgationẽ pertinere dicerent, etiam Vannum, quo triticum purgatur, adhibebant: & ouum consecrabant, vt exemplum omnia gignentis, & in se continentis, sicut Plutarchus scribit lib. 2. Sympos. quæst. 3. Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 13. refert, ministras sacrorum Bacchi discurrisse cum tædis & funalibus accensis per noctem, quibus vsæ sint in illis sacrificijs, atque crinibus passis ita clamasse currentes, Eu, hæ: quæ voces sunt benè ac feliciter precantium.

Bacchanaliorũ ritus apud varias gentes.

Idem autor eodem loco aliarum quoq; gentium Bacchanalia describens, ita refert: Apud Thraces Orgia Bacchi ab Orpheo instituta, nisi à menstruosis fiebant. Euianes Bacchi festa celebrant, in quibus ludiones primò, mox spectatores multo vino epoto, ad arma concurrunt. A Babylonijs quoq; festus dies Baccho plurimo mero exhausto colebatur, in quo noctem perennẽ lasciuis gesticulationibus et largiori potu indulgebant. Apud Heleos Bacchæ Dionysio psallentes modulata voce, precantur vt bouino pede ad se accedat. Refert Athenæus lib. 1. in fine, locum esse ab Helea distantẽ octo stadijs, in quo incolæ in Bacchanalibus tres lebetes vacuos præsentibus externis recludant, ac iterũ aperientes vino plenos inueniant. Lauinii integer mensis Libero dicabatur, quibus diebus obscœnis verbis et spurcissimis abuti permissũ: quod Heliogabalus instituisse fertur. Ab Ægyptijs tanto abusu Bacchanalia fiebant, vt temeto ingurgitati statuas cubitales per pagos circumferant, protenta mentula, magnitudine visenda, præeunte tibia & choro, cum Mercurij statua, pheretro porrecto, quas fœminæ & maiores natu matres, velut pompam triumphalẽ, præ se agebant, tam fœdo spectaculo, vt nihil improbius aut nequius foret. Eadẽ quoq; licentia Athenis vulgò vsurpabatur Anthesterione mense, quo Bacchanalia celebrabant, vt fanatica multitudo Baccharum habitu per vrbem procederet, quemadmodum diximus. Facta quoq; sunt Bacchanalia alternis annis in Parnasso monte cymbalorum crepitu. Consueuerunt etiam Camaritæ, quæ natio est Indiæ finitima, quum Bacchũ ab Indica expeditione redeuntẽ humaniter accepissent, illũ egregiè colere, cingulaq; & hinnulorum pelles in sacris eius circa pectus habere, vt docet Dionysius in Cosmographia:

Καὶ Καμαριτάων φῦλον μέγα, τοὶ πόλε βάκχον
Ἰνδῶν ἐκ πολέμοιο διδεγμένοι ἐξείνισαν.
Καὶ μετὰ λιῳάων ἱερὸν χόρον ἐσήναντο,
Ζώματα καὶ νεβρίδας ὅτι σήθεσι βαλόντες.
Εὐοῖ βάκχε λέγοντες.
Et Camaritarum genus ingens, Bacchus ab Indis
Hospitio rediens quibus est acceptus, & illi

Lena-

Lenarum ſtatuere chorum, quæ cingula, & vnà
Damarum pelles poſuerunt pectora circum.
Euoe Bacche frementes.

Huc pertinet etiam quòd Athen. li. 4. ſcribit: Πᾶσαν τὴν πόλιν ἐθεασάμην ἐν τοῖς Διονύσια μεθύουσαν, *totam vrbem vidi circa Bacchanalia ebriam. Excuſat aũt Plato li. 6. de Legibus hunc morem turpiſſimum, inquiens, Ad temulentiam vſque bibere nuſquam conuenire, præterquam in illius Dei feſtiuitatibus, qui vinum hominibus dedit.*

ΠΕΡΙΦΑΛΛΙΑ ſeu ΦΑΛΛΑΓΩΓΙΑ.

QVod autem ſupra ex Plutarcho retuli, in Bacchanalium pompa Phallum vltimo loco portatum, ſciendum eſt, Phallum eſſe priapum ſeu penem ex ligno fabricatum. Phallus quid.
Sic enim Arnobius lib. 5. contra gentes, Ficorum ex arbore ramum validiſſimum præſecans, dolat, runcinat, leuigat, & humani ſpeciem fabricatur in penis. Sunt tamen qui ex corio factum arbitrentur: quamuis enim dicatur eſſe, σύκινον αἰδοῖον, *ſuſpectum tamen eſſe poteſt* σύκινον, *ne pro* σκύτινον *irrepſerit. Hos Phallos ſeu priapos & membrorum virilium effigies de collo pendentes, in Bacchanalium turba circumgeſtarunt homines vaniſſimi leuiſſimiq;.* Origo circumgeſtationis Phalli.
Eum verò ritum Melampum Græcis ex Ægypto attuliſſe, & monſtraſſe, Herodotus lib. 2. indicat his verbis: Quin & alium diem feſtum Baccho Ægyptij agunt ſine porcis, ferè per omnia Græco feſto ſimilem. Sed loco Phallorum, id eſt, ſiculneorum veretrorum à collo pendentium, ſunt ab eis excogitatæ ſtatuæ cubitales è neruis compactæ, quas fœminæ circumferunt per pagos, mentula, quæ propemodum inſtar eſt reliqui corporis in ventre, & tibia præeunte, quam fœminæ Bacchum canentes ſequuntur. Cur autem mentulam habeat in ſto maiorem ſtatura, & vnum corporis membrum agitet, redditur ab eis ratio: vt iam Melampus Amytheonis filius non imperitus huius ſacri, ſed peritus fuiſſe videatur. Siquidem Melampus fuit, qui Græcis Dionyſij, id eſt, Liberi patris vel Bacchi nomen, & ſacrificium, & pompam Phalli enarrauit, non tamen omnem planè rationem complexus. Verùm hi qui poſt hunc extiterunt Sophiſtæ, rem in maius explicauerunt. Itaque Phallum Dionyſio miſſum, narrandi Melampus autor extitit: à quo edocti Græci faciunt ea quæ faciunt. Equidem Melampum ego virum fuiſſe ſapientem iudico, diuinationemq; ſibijpſi comparaſſe: eundemq; cùm alia multa ab Ægypto accepta Græcis enarraſſe, tùm verò nonnulla de Dionyſio, tamen commutata, &c. Hæc Herodotus. Vbi obiter monendus Lector, Cælio lib. 7. cap. 16. videri, Græcam dictionem quæ apud Herodotum extat νευρόσπαστα. *perperam ab interpretibus redditam, è neruis compactas: nam* νευρόσπαστον *neruis tractum ſignificat. Vult igitur Herodotus non dicere, Phallos ſeu priapos, & ſtatuas illas cubitales à collo pendentes, & membri virilis ſpeciem referentes, è neruis compactas fuiſſe, ſed certis neruis aut fiduculis in hanc vel illam partem cum quadam conuenientia tractas. Artis autem hoc fuit, ad quam alludit Apuleius, dicens: Etiam illi qui in ligneolis hominum figuris geſtus mouent, quando filum membri quod agitare ſolent, traxerint, mouebitur ceruix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad miniſterium præſtò erunt, nec inuenuſtè totus videbitur viuere. Proindeq; Græca Herodoti verba,* αὐτὰ δὲ φαλλὰ ἄλλα σφίσι ἐξευρημένα ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες, *ſic reddenda ſunt: Pro Phallis autem alia ſunt eis inuenta cubitalia ſimulachra neruis tractis ſua ſponte mobilia, quæ circumferunt per vicos mulieres.* Herodotus explicatur.

Qui verò in pompa Dionyſiaca hos Phallos ferebant Φαλλόφοροι *dicebantur: ij* ἰθὺ ἐβάδιζον κατὰπλησθέντες αὐθάλω, *id eſt, rectà incedebant ex aduerſo fuligine repleti.* Φαλλόφοροι qui.
Ἰθύφαλλοι *autem dicuntur Heſychio* οἱ ὀρθόρκοι, καὶ ἀκολουθοῦντες τοῖς φαλλοῖς γυναικείαν ἔχοντες στολήν. *De eorum pompa, habitu & carmine quo in Dionyſijs vſi ſunt, Athenæus lib. 14. ex Semo Delio ſic ſcribit:* Ἰθύφαλλοι καλούμενοι, προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσι, καὶ ἐστεφάνωται χειρίδας αἱ δι' ἀνὰς ἔχοντες. Χιτῶσι δὲ χρῶνται μεσολεύκοις, καὶ περιέζωνται Ἰθύφαλλοι qui: pompa & habitus eorum

παραπίνιον καλύπτον αὐτὰς μέχρι τῶν σφυρῶν: σιγῇ δὲ διὰ τῆ πυλαίνος εἰσελθόντες ὅταν κατὰ μέσον τὸν ὀρχήστραν γένωνται, ὅπισθεν στρέφουσιν εἰς τὸ θέατρον λέγοντες, ἀνάγετε ἰθυτενῆ ἐν πιθείτε τῷ θεῷ: ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος διὰ μέσου βαδίζειν. Οἱ δὲ φαλλοφόροι περισωπεῖον μὲν οὐ λαμβάνουσι, περιπόλιον δὲ ἐξ ἐπύλλιων δεῖ πεπλεγμένοι, καὶ παιδέρωτας ἐπάνω τούτου ὑπεστεφανωμένοι στεφανόν τε δασὺν ἴων καὶ κιττῆ, ἄνωθεν τε δεδιβλημένοι, παρέρχονται οἱ μὲν ἐκ παρόδου, οἱ δὲ κατὰ μέσας τὰς χεῖρας βαίνοντες ἐν ῥυθμῷ καὶ λέγοντες,

Σοὶ βάκχε τάνδε μῦσαν, ἀγλαϊζόμεν
Απλῆν ῥυθμὸν χέοντες αἰόλῳ μέλει
Καὶ μὰν ἀπαρθένευτον ἔπι ταῖς πάροις
Κεχρήμεθα κανώδασιν ἀλλ' ἀκήρατον
Κατάρχομεν τὸν ὕμνον.

εἶτα περιστρέχοντες ἐτοίμαζον ὅς ἂν περίλοιντο. σάγλιον δὲ ἔπεστιν. *Id est: Ithyphalli vocati, personam habent ebriorum, floreasq; manicas habentes coronantur. Sagulis semialbis vtuntur, atque Tarentino tegmine seipsos ad talos vsque cooperiunt: ac cum silentio ve stibulum ingredientes, vbi in media scena constiterint, se in theatrum conuertunt dicentes: Agitè, assurgite, latum locum Deo concedite. Vult enim Deus rectus per medium conspersus incedere. Phalliferi verò personam non assumunt, at canos ex serpillo circumponentes, paderotesq; supra hos imponunt, ac coronam densam ex violis, & hedera, tum pellibus caprinis circumiectis accedunt: alij quidem ex ingressu, alij ex obliquo venientes, ac dicentes in rhythmo:*

Hanc Bacche musam splendidam damus tibi.
Effundimusq; simplicem rhythmum tibi
Non simplici cantu: haud decorus virgini
Qui sit profectò: nec prius hoc vsi sumus.
Hymnum sed integrum tibi sacrificamus.

Postea accurrentes eos irridebant, quos constituerant, erectiq; faciebant.

Aegyptij & Græci cur Priapum coluerint

Ratio autem quæ mouit Ægyptios, vt Phallum seu membrum virile colerent fuit, quòd
1. *cùm Osiris Ægypti rex à Sityphone Ægyptio, vel (vt Seruius tradit) à Typhone fratre*
clam occisus, membraq; eius disiecta ab Isi de vxore eius tandē reperta essent, præter virile
membrum, in Nilum abiectum, Isis Phallum ad eius similitudinem fecit, & consecrauit, quo
2. *postea semper in sacris vsi sunt Ægyptij, Plutarcho autore in Oiride. Obscœnam fabulam recitat Arnobius contra gentes lib. 5. qua aliam originem & causam Phalli eiusq; circumgestationis in sacris Bacchi apud Græcos indicat, quam me puderet referre, nisi eam vir sanctus & Christianæ religionis vindex acerrimus recitaret. Cùm, inquit, inter homines esset adhuc Nysius & Semeleius Liber nosse inferos expetiuit, & sub Tartari sedibus quidnam rerum ageretur inquirere. Sed cupiditas hæc eius nonnullis difficultatibus impediebatur, quòd quà iret ac pergeret, inscitia itineris nesciebat. Prosumnus quidam exoritur, ignominiosus amator Dei, atque in nefarias libidines satis pronus, qui se ianuam Ditis atque Acherusios aditus pollicetur indicaturum, si sibi gereret morem deus, atque vxorias voluptates pateretur ex se capi Deus facilis, iurat potestatis futurum ac voluntatis se eius, sed cùm primùm ab inferis compos voti atque expeditionis redijsset. Viam comiter Prosumnus edisserit, atque in limine ipso prostituit inferorum. Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias atque alias res omni curiosa inquisitione collustrat, ex viuentium numero index inde decidit, atque ex more sepelitur humano. Emergit ab inferis Euhyius, & recognoscit extinctum duce: qui vt fidē compleret pacti, & iurandi solueret religione se iuris, locū pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum validissimum præsecans, dolat, runcinat, leuigat, & humani speciem fabricatur in penis. Figit super aggerem tumuli, & postica ex parte nudatus accedit: subdit, insidit: lasciuia deinde luxuriantis assumpta, huc atq; illuc clunes torquet, & meditatur ab ligno pati, quod iamdudum in veritate promiserat: hæc Arnobius: qui & ideò*

Ithyphallos

Ithyphallos erigi institutum asserit, & in hoc non Heraclitum solùm, sed totam contestatur Græciam. Fabula hæc eadem reperitur in Græco libello, qui inscribitur ἱστορίαι τῶν ἀστέρων: & apud Hyginũ, dum coronam Ariadnæ describit, ex his qui Argolica scripserunt: sed hominis viam ostendentis, nomen non Prosumnus vocatur, sed Hypolinnius, vel, vt alia exemplaria habent, Hypolipnus.

Natalis denique Comes lib. 5. Mythol. cap. 3. & ipse originem aliam obscœni & turpis huius ritus recitat. Fuerunt, ait, Phallica in honorem Dionysij instituta, quæ apud Athenienses agebantur, apud quos primus Pegasus ille Eleutherienſis Bacchi cultum instituit: in quibus cantabant, quemadmodum Deus hic morbo Athenienses liberarit, & quemadmodum multorum bonorum author mortalibus extiterit. Fama est enim quòd Pegaso imagines Dionysij ex Eleutheris ciuitate Boeotiæ in Atticam regionem portante Athenienses Deum neglexerunt: neq;, vt mos erat, cum pompa acceperunt: quare Deus indignatus pudenda hominum morbo infestauit, qui erat illis grauissimus. Tunc eis ab oraculo, quo pacto liberari possent, petentibus, responsum datum est, solum esse remedium malorum omnium, si cum honore & pompa Deum recepissent: quod factum fuit. Ex ea re tum priuatim, tum publicè lignea virilia thyrsis alligantes per eam solennitatem gestabant. 3.

Ab hoc denique Phallo περιφαλλία, celebritas & pompa quæ Dionysio agebatur ex Phallis, dicta est, Hesychio teste: quæ & Φαλλαγωγία, vt Theodoretus & Phurnutus aiunt, dicebatur, id est, dies & feriæ priapo dicatæ.

Hæc & similia in his Græcorum Mysterijs sanctis, si Dijs placet, sunt perpetrata. Vt mirum non sit Scythas, authore Herodoto in Melpomene, Græcis vitio vertisse Bacchanalia celebrandi consuetudinem. A ratione siquidem omninò alienum esse existimarunt, illum Deum cogitare, ac diuinis honoribus afficere, qui homines ad tantam insaniam adigat. Pentheus quoque Agaues & Echionis filius, Rex Thebanorum, ob hæc impura Orgiorum Bacchi facinora conatus est pro viribus tantum turpitudinis euertere, quamuis malè rem illi ceßisse fabulis sit proditum. Diagondas etiam Thebanus, omnia nocturna sacrificia, propter eorum turpitudines, perpetua lege sustulit, vt Cicero in secundo de Legibus testatur. Author etiam historiæ Machabæorum testatur lib. 2. cap. 6. Iudæos, cùm alias superstitiones, tum Bacchanalia quoque sacra celebrare, & hedera coronatos Baccho pompam ducere coactos, mortem potius, quamuis acerbißimam, oppetere maluisse, quàm immanibus atque sacrilegis huiusmodi sacris sese polluere. Vt miranda sit & vehementer deploranda insana ac furiosa Christianorum impietas, qui tam immania, tam tetra, omnisq; sceleris & flagitij plena festa, ab ipsis quoque Scythis damnata, non dubitarunt quasi postliminiò in Ecclesiam Christi introducere. O scelus, ô crimen horrendum & ingens, quo proculdubio grauem iram Dei nobis conciliamus.

Bacchanaliorũ Ethnicorum turpitudo damnatur.

Christianorũ impietas.

ΠΙΘΟΙΓΙΑ.

Πιθόιγια vel Πιθοιγία, nam vtrunq; legitur, Pithœgia, ἡ τοῦ πίθου ἀνοιγή, inquit Suidas, festum erat Bacchi, in quo dolia primùm relinebant, & vina noua gustabant: celebrabaturq; vndecimo die Anthesterionis. Sic enim Plutarchus lib. 3. Sympos. quæstione 7. scribit: τοῦ νέου οἴνου Ἀθήνησι μὲν ἐνδεκάτῃ μηνὸς καταρχόντων πιθοιγίαν (malè enim in aliquibus exemplaribus πιθοινίαν legitur) τῷ ἡμέραν καλοῦντες: id est, Athenis vndecima die mensis Anthesterionis primitias noui vini delibant, diemq; illum à dolijs reserandis Pithoegiam vocant. Rursus eodem loco: vtq; apparet, antiquitùs de vino antequam gustarent libantes, vota faciebant, vt sibi vsus eius medicamẽti salutaris innoxiusq; foret. Apud nos mensis Prostaterius dicitur, quasi Patronalis: sextaq; eius die statutum est sacris Bono genio factis gustare vinum post flatum Fauonij: is enim ventus omnium maximè vinum mouet ac mutat: & quod vinum hunc subterfugit, iam videtur perduraturum. Idem Sympos. 8. quæst. vltima, καὶ μὴν, ait οἶνόν τε τὸν νέον οἱ πρωϊαίτατα πίνοντες, Ἀνθεστηριῶνι πίνουσι

Pithoegia quo die & ritu celebrata.

μλωὶ μετὰ χειμῶνα, καὶ τλῶ ἡμέραν ἐκείνλω ἣμεῖς μὲν ἀγαθῆ δαίμονι, Αθλωαῖοι ὃ Πιδοιγίαν θεσσαγορεύσι. *Hoc est, Vinum qui bibunt citissimè, Anthesterione hoc faciunt mense, qui hyemem subsequitur: diemque illum quo gustatur nouum vinum, nos Boni dæmonis, Athenienses Pithoegiam appellant. Respondent igitur his Græcorum Pithoegis, Romanorum Vinalia, & nostra Martinalia, quibus similiter vinum nouum primo degustamus.*

In his porrò Pithoegijs, ad conuiuia & vini potum, non seruos modò, sed mercenarios, clientes, & rusticam turbam aduocabant. Huc respexisse Hesiodum in fine lib. 1. ἔργων, Cælius lib. 15. cap. 25. ex Grammaticorum assertione testatur, vbi sic canit:

Αρχομένῳ ὃ πίθῳ, καὶ λήγοντος κορέσασθαι.
Μεσσόθι φείδεσθαι, δεινὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

Siquidem hoc planè poetam dicere, vbi dolium relinis, nouumq; vinum gustas primùm, ad satietatem vnà cum mancipijs potui inseruiendum: dolio nanque non penitus pleno, vinum ferè vappa fit, in fine quoque inutile est, in meditullio autem optimum censetur: proinde parcendum. Proclus autem in hos versus Hesiodi hæc annotat: ἐν τοῖς παιδείοις, *inquit,* ἔστιν ἑορτὴ Πιθοιγία: καθ' ἣν, ὅτε οἰκέτλω, ὅτε μισθωτὸν εἴργειν τῆς ἀπολαύσεως τοῦ οἴνου δημοτὸν λῶ: ἀλλὰ θύσαντας, πᾶσι μεταδιδόναι τοῦ δώρου τοῦ Διονύσου. *Tzetzes etiã in eundẽ locũ sic scribit:* ἡ Πιθοιγία, *inquit,* κοινὸν λῶ συμπόσιον, ἀνοίξαντές τε τοὺς πίθους, πᾶσι μεταδιδόναι τοῦ Διονύσου δωρήματος. *Meminit etiã Alex. de Alexãdro li. 6. in fine c. 8. Ex quibus intelligitur,* ἀνθεστήρια & πιθόιγια *eandẽ solennitatem fuisse. Quod etiam Prouerbium indicat,* θύραζε Κᾶρες, ἐκ ἔτι Ανθεστήρια, *Foras Cares, non amplius sunt Anthesteria. Cùm enim domini seruos & rusticos vnà secum accumbere permisissent in Pithoegijs, ijs finitis, si eodem iure deinceps etiam vti voluissent, aut quos è Caribus seu rusticis & mercenarijs in vrbe otiosos offendissent, per iocum dicebãt eis, Foras Cares, non amplius sunt Anthesteria: pro quo nos dicimus.* Es ist nit alle tag feyrtag/oder Sonntag/ *si nimirum aliquis idem semper licitum sibi credit, quod aliquando pro temporis ratione ei fuerit permissum. Quo pertinet quoque illud Prouerbium,* κισσὸς μετ' Ανθεστήρια, *Hedera post Anthesteria, quod tunc vsurpabatur, si serius & post tempus aliquid fieret. Nam hedera Baccho fuit sacra, in cuius festis* κιττοφορεῖ, *id est, hederigeri erant.*

XOΩN FESTVM.

Χόες quid.

Χοεὺς & χοῦς seu incontractè χόος, mensura erat liquidorum apud Atticos, capiens ἓξ ἕξ σας, *id est sextarios sex. Esse autem hunc Græcorum χόα, Latinorum Congium, Plinius testatur, & Fannius sic canens:*

At Cotylas recipit geminas sextarius vnus.
Qui quater assumptus fit Græco nomine χοῦς.
Adde duos, χοῦς fit, vulgo qui est congius idem.
A quo sextarij nomen feciſſe priores
Crediderim, quòd eos capiat sex congius idem.

Choon festum quo die & ritu celebratur.

Ab hoc mensuræ genere festum Χόες *apud Athenienses dicebatur, quod & δωδεκάτλω Athenienses vocarunt, vt Gyraldus Syntag. 17. de Dijs ex Hesychio indicat: institutum in honorẽ Bacchi, vnde & ipse Coopotes cognominatus fuit: celebrabaturq; duodecimo die mensis Anthesterionis, Suida authore. Rationem & originem eius hanc tradit Suidas, & Scholiastes in primũ Aristophanis in hunc Acharn. locum,* Εἰς τοὺς χόας αὐτὸς μεταδῦναι τῶν κιχλῶν. *Orestes post cædem matris quum Athenas veniſſet, dum* Διονύσου Λιμναίου *festum agitabatur, ne Athenienſibus foret ὁμόσπονδος, vt qui matris sanguine manus polluiſſet, à festi tamen celebritate non arceretur, dicitur Pandion, tale aliquid machinatus:* Χοᾶ οἴνου τῶν δαιτυμόνων ἑκάστῳ παρασήσας, ἐξ ἀυτοῦ πιεῖν ἐκέλευσε, καὶ ἐν ὑπομνήμασι τας ἀλλήλοις, ὡς μήτε ἀπὸ τοῦ κρατῆρος αὐτοῦ πίοι Ορέστης, μήτε ἐκεῖνος ὃ ὄχθοιτο καθ' αὐτῶν πίνων

τὸν πίνων μόνῳ. καὶ ἀπ' ἐκείνου Ἀθηναίοις ἑορτὴ ἐνομίσθη οἱ Χόες. *De eodē Athenæus li.10. cap.12.sic scripsit: Choum festum Demophon rex Athenienſium ſtatuit, Oreſtem Athenas profectum excipere volens: quum nollet tamen eum ad ſacra accedere, aut eiuſdem ſacri eſſe ſocium, quia nondum fuerat expiatus, ſacra concludi iuſſit, ac vini choam ſingulis apponi, ei inquiens, qui primus bibiſſet, ſe placentam eſſe daturum. Edixit præterea, ne quis coronas poſt potum deponeret, quibus coronabantur in ſacris, quoniam contubernales fuiſſent cum Oreſte. At vt omnes circa choam deponerent, iuſſit, coronasq; ipſas ſacerdoti aufferre in lucum, qui eſt in paludibus, reliqua in templo ſacrificare. Magneſijs autem Themiſtocles, inito ibi magiſtratu, quem Stephanophorū dicunt, peracto Dionyſio* Χοοπότῃ *ſacrificio,* Χόων *celebritatem primus exhibuit, vt Cœlius teſtatur lib.12.in fine capitis vltimi, & Athenæus lib.12.cap.16.ex Poſidis lib.3.* Μαγνητικῶν.

Conuiuiorum in Chois apparatus.

Celebrabantur igitur in hoc feſto conuiuia, quorum apparatum Ariſtophanes in Ἀχαρνῆς *his verbis egregiè admodum deſcribit:*

ἐπὶ δεῖπνον ταχὺ
Βάδιζε, τλῶ κίστιον λαβὼν καὶ τὸν χοᾶ.
Ὁ τὸν Διονύσου γὰρ σ' ἱερεὺς μεταπέμπεται. *Et mox:*
Τἀλλ' ἄλλα πάντ' ἔστιν παρεσκευασμένα,
Κλῖναι, τάπητες, προσκεφάλαια, στρώματα,
Στέφανοι, μύρον, τραγήματ', αἱ πόρναι πάρα,
Ἀμυλοῖ: πλακοῦντες, σησαμοῦντες, ἰτρία,
Ὀρχησταὶ δὲ, τὰ φίλτατ' ἁρμοδίου, καλαί. *Id eſt,*

Ad cœnam citò
Te confer, ciſtam accipiens atq; choa.
Nam Dionyſij te ſacerdos accerſit.
Reliqua verò omnia ſunt parata,
Lecti, menſæ, puluini, ſtrata,
Coronæ, vnguentum, bellaria, ſcorta adſunt.
Amyli, placentæ, ſeſami, itria,
Saltatrices, Harmodij carmina, pulchræ.

His verbis vno quaſi faſciculo comprehenſa habes omnia, quæ ad cōuiuia in hiſce Chois celebrata, eorumq; apparatum pertinent. Horum autem quædam ab inuitatis afferebantur ad illa cōuiuia, alia ab inuitantibus ſubminiſtrari ſolebant, vt Scholiaſtes in hunc poetæ locum annotat. Inuitati enim ſecum afferebant ἐψήματα, *cibos coctos, nimirum* ἀμύλους, *quod eſt* βρῶμα τὸ μὴ πεπωκὸς ὑπὸ μύλων, *teſte Euſtath. Il.* Π, *id eſt, placentæ genus* ἐυθρύπτου, *in quo comminuendo dentes molares non laborant. Afferebant & πλακοῦντας, placentas:* σησαμοῦντας, *ſpecies placentarum:* ἰτρία, *quæ erant* τὰ πυρώδη πλάσματα. *Afferebant præterea ſecum* κίστιον, *id eſt,* ὀλοθήκιον, *nec non* χοᾶ, *poculum, ne alio poculo communicarent, idq; ob eam cauſam quam ſupra de Oreſte retulimus. Illi verò qui vocabant, ſolebant ſuppeditare & apponere coronas, vnguenta, bellaria, & huius generis alia, nimirum lectos, menſas, puluinaria, ſtragulas, veſtes. His adhibebantur ſcorta & meretrices, ſaltatrices pulchræ, & cantilenæ iucundæ. Refert idem auctor eodem libro ex Timæo, quòd Dionyſius tyrannus primò Choam bibenti in hoc feſto auream coronam præmium poſuerit, quodq; primus Xenocrates Philoſophus biberit, qui auream coronam accipiens ac ſoluens Mercurio impoſuerit, cuius ſtatua erecta fuit in aula regis, & cui coronas floreas frequenter imponere conſueuerat, quum veſperi ad eum accederet. Hinc Athenæus lib.10.cap.12.teſtatur ex Antigoni libro de Dionyſio cognomento Heracleote,* τὸν Διονύσιον τοῖς οἰκέταις συνεορτάζοντα, ἐν τῇ τῶν χόων ἑορτῇ, καὶ μὴ δυναμένου διὰ γῆρας χρῆσθαι ᾗ παρειλήφεσαν ἑταίρᾳ ὑποῤῥέψαντα εἰπεῖν πρὸς τὰς συνδειπνούσας, Οὐ δύναμαι ταύτῃ, λαβέτω ἤ καὶ ἄλλος: *id eſt, Dionyſium cum familiaribus feſtum agere ſolitum Choum, quumque amica, quam ei elegerant, frui nō poſſet ob ſenectutem, ad conuiuas conuerſus dicebat: Non poſſum extendere, capiat alter.*

Sicuti verò Romæ Minerualia Quinquatribus, aut paulò antè, præceptoribus persoluebantur, ita Athenis in χόων festo munera, mercedemq; Sophistis mittebant: qui & ipsi eodem tempore familiares hospitaliter accipiebant, vt Athenæus eodem loco ex Eubulide dialectico refert. meminit etiam Cælius lib. 14. in fine capitis vltimi.

ΧΥΤΡΟΙ.

Chytri quando celebrati.

Χύτροι nomen festi Athenienſium eſt. *Suidas ſcribit, vno eodemq; die & τὰς χόας & τὰς χύτρας celebratos fuiſſe. Harpocration autem ex Philochoro tradit, agitatum fuiſſe feſtum χύτρων decima tertia die Antheſterionis menſis. Celebrarunt autem in honorem Bacchi, vt ex Ariſtophane liquet, qui in Ranis ait:*

Ἦν (ἀοιδὰν) ἀμφὶ νησίον Διὸς
Διόνυσον ἐν λίμναισιν ἰαχήσαμεν.
Ηνίχ' ὁ κεφαλαιπαλόκωμος
Τοῖς ἱερεῦσι Χύτροισιν,
Χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος.

Chytri nomen vnde, & ritus.

Nomen habet ab olla: quòd in eo omne genus ſeminum in olla coquere ſolerent Dionyſio & Mercurio ſacrificantes, vt Suidas docet, & Ariſtophanis Scholiaſtes in Ἀχαρνῆς: vbi etiam ex Theopompo refert, principium huius ſacri à Deucalione vſque per manus traditum fuiſſe. Ferunt enim illum, & qui cum eo ex diluuio illo ſuperſtites euaſerant, ſemina ita coxiſſe, atque inde feſtum ortum & appellatum: nec ex coctis quicquam guſtabant, ſed Dionyſio & Mercurio Chtonijs offerebant pro mortuis. Refert etiam ex Philochoro Natalis Comes lib. 5. Mythолog. cap. 5.

ΑΣΚΩΛΙΑ.

Aſcoliorum ritus.

Ascolia *pars videntur fuiſſe Myſteriorum paruorum Bacchi. Eorum ritum Zezes in Commentarijs in Heſiodum ſic deſcribit.* Ασκὸς πεφυσημένους καὶ πνεύματος πεπλησμένους πιθέντες κατὰ γῆς, ἐνὶ ποδὶ ἐφαλλόμενοι, ἄνωθεν τέτων ἐφέροντο. καὶ πολλάκι καταλισθαίνοντες εἰς γλῶ ὀπίσω. τοῦτο δ' ἐποίεν τιμῶντες τὸν Διόνυσον. ὁ γὰρ ἀσκὸς δέρμα ἔστι τράγου. ὁ δὲ τράγος τὰς θαλλὰς τῆς ἀμπέλου τρώγων λυμαίνεται ταύτας. *Vtres inflatos ventoq; plenos humi deponentes altero pede inſiliebant, atque ſuper ijs ferebantur. Tum ſæpius labentes in terram decidebant. Faciebant autem id in honorem Dionyſij, quoniam vtris pellis eſt hirci, qui pampinos vitium comedens illis obeſt plurimùm. Mentionem quoque huius celebritatis faciunt Ariſtophanes eiusq; Scholiaſtes, & Suidas.*

Aſcolia etiam à Romanis celebrata.

Agebantur hæc ſacrificia apud Latinos etiam, quæ Aſcolia *dicebantur, plurimumque conferre credebantur ad vinearum fertilitatem: quorum ritum ita præclarè expreſsit Vergilius lib. 2. Georgicorum:*

Frigora nec tantum cana concreta pruina
Aut grauis incumbens ſcopulis arentibus æſtas:
Quantum illi nocuere greges, duriq; venenum
Dentis, & ad morſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi:
Præmiaq; ingentes pagos & compita circum
Theſeidæ poſuere, atq; inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos ſaliere per vtres.
Nec non Auſonij Troia gens miſſa coloni
Verſibus incomptis ludunt, riſuq; ſoluto,
Oraq; corticibus ſumunt horrenda cauatis.

Erro

Et te Bacche vocant per carmina læta, tibiq;
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu.
Complentur vallesq; cauæ, saltusq; profundi.
Et quocunq; Deus circum caput egit honestum.
Ergò ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patrijs, lancesq; & liba feremus.

Proponebantur autem præmia illis, qui sapientius super vtres saltarent: deinde Bacchi statua cum carminibus inconcinnè ebriorum more compositis in eius laudes patrio idiomate singularum nationum circumferebatur circa vineas, quæ res plurimùm ad fertilitatem conferre putabatur: atque ij qui ista faciebant, personas sumebant è corticibus arborum, & vini fece aliquando perungebantur ne cognosci possent: quia multa ridicula, multa parùm decora, multa turpia & pudore plena dicebant, quæ sine personis dicere omninò puduisset. Deinde vineis lustratis ad altare Bacchi, vnde discesserant, redeuntes, sacras victimas in lancibus offerebant & comburebant. Deinde altissimis arboribus imagines quasdam, modo fictiles, modo ligneas Baccho sacras & illi similes appendebant, quas à paruitate oris dicebant oscilla, vt longissimè possent prospicere, quia vineis conferre putabantur. His ita actis in conuiuium, & è conuiuio domum discedebant: quæ omnia propè in superioribus Vergilij carminibus continentur.

Ineptissimum hoc sacrum ab Ethnicis mutuati sunt Christiani quidam hæretici, qui ab eo cursu ἀσκοδρομίται nominati fuerunt: vel, vt Philastrius scribit, ἀσκοδρηγίται. In Galatia verò hi fuere, qui vtrem inflatum contegentes, bacchantes circuibant. Solent & nostra ætate pueri vno sic pede per lusum iocumq; saltare interdum.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ.

PLutarchus in libello de Gloria Atheniensium indicat, Athenienses decimam sextam Munichionis Dianæ consecrasse festam. Verba eius sunt: Τῷ ἕκτῳ ὅτι δέκατῃ τοῦ Μουνυχιῶνος Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος: *id est, decima sexta Munichionis mensis Dianæ sacrificant, quòd ea Græcis circa Salaminem vincentibus Luna pleno orbe apparuit. Hæc autem fuisse illa* Μουνύχια, *quæ hoc mense in Dianæ honorem celebrata sunt, non pro certo affirmare ausim.*

IOVIS Solennitas.

VNdeuigesimo die Μουνιχιῶνος μηνὸς, *quem Martio nostro respondere supra diximus, equester ordo Athenis Ioui festum cum ingenti pompa celebrauit. Plutarchus in fine vitæ Phocionis Atheniensis, viri & rerum gestarum magnitudine clarissimi, & propter merita in patriam perpetua gratitudine dignissimi, sed iniusto iudicio populi Atheniensis, Cassandro Macedonum regi gratificantis, condemnati, & hoc ipso die veneno necati, festi huius meminit his verbis:* ἦν δὲ ἡμέρα μηνὸς Μουνιχιῶνος ἐνάτη ὅτι δέκα, καθ' ἣν τοῦ δὶς τῷ πομπῷ πέμποντες οἱ ἱππεῖς παρεξήεσαν, ὧν οἱ μὲν ἀφείλοντο τὰς στεφάνους, οἱ δὲ πρὸς τὰς θύρας δεδακρυμμένοι τῆς εἱρκτῆς ἀπέβλεψαν. ἐφάνη δὲ τοῖς μὲν πανταπασιν ὠμοῖς καὶ διεφθαρμένοις ὑπ' ὀργῆς καὶ φθόνου τῷ ψυχῷ, αἰσχιστον γεγονέναι, τὸ μὴ δ' ὅπλα ἔχειν τῷ ἡμέραν ἐκείνην, μηδὲ καθαρεῦσαι δημοσίᾳ φόνου τὴν πόλιν ἑορτάζουσαν. *Id est: Erat tunc, quum scilicet Phocio necabatur, Munichionis mensis vndeuigesimus dies: quo ordo equester Ioui pompam solennem celebrauit. Horum pars in speciem luctus coronas aufferentes, pars flendo ad fores, carcerem intuebantur. Nec quisquam fuit, in quo aut feritate naturæ, aut ira, & odio extincta humanitas fuerit, qui non impium & nefarium*

duxerit diem illum sanctissimum semper, & populo Athenienſi ſacrum atque ſolennem hoc publico piaculo fuiſſe pollutum, & caſtas per id ſaltem tempus manus à tam impio ſcelere non ſeruaſſe. Meminit huius ſolennitatis etiam Alex. ab Alexandro lib. 3. cap. 18.

XΘONIA.

Chthoniorum origo & ritus.

CHthonia Argiua puella, quam Ceres ex Argolide ſecum Hermionem duxit, conflagrata domo, & Colonte patre puellæ, quòd Deæ nec hoſpitium, nec aliud honoris officium exhibuiſſet, in Hermione vrbe Cereris Deæ templum condidit. Ea verò mortua, & ab Hermionenſibus in numerum Diuarum relata, Chthonia *feſtum Veris tempore (Cælius tamen Æſtiuo tempore dicit lib. 27. cap. 26. L. A.) in eius honorem inſtitutum, & quotannis eximio cultu, prorſumq; μεγαλοπρεπῶς καὶ σεβαρῶς celebratum fuit hunc in modum. In pompa præceſſerunt Deorum ſacerdotes, quique annuos magiſtratus geſſerunt. Sequuti ſunt cum mulieribus viri. Sed & pueri adhuc ſoliti ſunt hac pompa Deam honorare, & veſtimentis induti candidis, ſerta geſſerunt capitibus impoſita. Serta verò ex flore compoſuerunt, quem Comoſandalon ibi appellarunt: hyacinthum eſſe putauit Pauſanias, & magnitudine & colore adductus, & quòd eidem quoque literæ ob luctum ſint inſcriptæ. Eos qui pompam celebrarunt ſequuti ſunt alij, iuuencam ex armento ducentes, & vinculis conſtrictam, & ferocia adhuc indomitam. Hanc, ad templum actam, vinculis nonnulli vt intromittatur, ſoluunt. Alij fores retinent tantiſper apertas, dum bouem vident ingreſſam, poſtea rurſus claudunt. Intra templi parietes occidendæ vaccæ cauſa quatuor aniculæ præſtolantur. Quæcunque ex his poteſt, guttur bouis falce incîdit. Poſtea apertis iterum foribus, ij quibus imperatum eſt, propellunt inuicem ſecundam, & tertiam, quartam deniq; : quas omnes eodem modo aniculæ conficiunt. Aliud item in hoc ſacrificio editum fuit miraculum. Iuuenca enim prima quum cecidit, in quod latus procubuerit, neceſſe fuit reliquas quoque procumbere. Hoc igitur modo Hermionenſes ſacrificium iſtud feſto hoc die peregerunt: Pauſanias in Corinthiacis. De hoc feſto & ſacro hæc carmina circumferuntur Ariſtoclis Græci poetæ:*

Δαμάτερ πολύκαρπε, σύ ἦ ἐν σικελοῖσιν ἐναρχὴς,
Καὶ παρ' ἐρεχθείδαις, ἔν τι μέγα κείνεται
Ερμιωνεῦσι, τὸν ἐξ ἀγέλης, χδ' ἀφειδῆ ταῦρον
Οντ' ἄχ κέρασιν ἀνέρες ὐδὲ δέκα,
Τᾶτον γαῦς σείχυσα μόνη μόνον ἄατος ἕλκει,
Τὸν δ' ὅπῃ βωμὸν, ὁδ' ὡς ματέρι παῖς ἕπεται.
Σὸν τόδε δαμάτερ, σὸν τὸ σθένος, ἴλαος εἶης,
Καὶ πᾶν τῶν θάλλοι κλᾶρος ἐν ἑρμιόνῃ.

CAPVT XII.

De Feſtis quæ menſe MARTIO ab Romanis ſunt celebrata.

CALENDAE MARTIAE.

Calendarum Mart. ritus.

CALENDIS Martijs *(vt inquit Macrobius) & in regia, & curijs, & in flaminum domibus, nec non in æde Veſtæ laureæ veteres nouis mutabantur. Ignis quoque in penetralibus Veſtæ nouus accendebatur. Docet id Ouidius lib. 3. Faſt. & ſimul eo probare conatur, Calendas Martias ante Numam initium totius anni fuiſſe: ſic enim canit:*

Neu dubites primæ fuerint quin ante Calendæ
Martis: ad hæc animum ſigna referre potes.

Laureæ

Laurea flaminibus, quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore nouæ.
Ianua tunc regis posita viret arbore Phœbi.
Ante tuas itidem curia prisca fores.
Vesta quoq; vt folio niteat velata recenti
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde quòd arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Eodem etiam die Comitia auspicabantur: qui quidem mos vsque ad bella Punica seruatus fuit: tunc enim primùm Comitia cœperunt auspicari Calendis Ianuarijs: quod Ouidius his verbis testatur,

Hinc etiam veteres initi memorantur honores,
Ad spacium belli perfide Poene tui.

MATRONALIA.

MAtronalia *festa à Romulo dicuntur instituta, quæ celebrabantur Calendis Martijs à Matronis Romanis. Instituti autem festi huius variæ afferuntur causæ. Quidam enim referunt ad diremptum bellũ à matronis Rom. inter Sabinos ac Romanos. Cùm enim ob raptas à Romanis Sabinorum virgines bellum inter vtrosq; ortum, & tandẽ acies ad confligendum instructæ essent, mulieres, quarum causa bellum susceptum erat, conuenientes sine viris solæ, & consilia conferentes, vt Dionysius refert, in eam ierunt sententiam, vt verba ipsa de reconciliatione apud vtrosq; inciperent. Re ad senatum delata, placuit eas legationis munere fungi. Harum princeps Hersilia fuit, quæ longa & lamentabili oratione petijt, vt viris suis pacem darent. Vnde commoti Sabinorum sunt animi & fœdera inita. Plutarchus non meminit legationis huius, inquit autem: Cùm ambæ acies firmato impetu constitissent, mira res quædam, & spectatione digna stuporem omnibus attulit. Nam raptæ Sabinorum virgines, quum id vidissent, raptis in vlnis infantibus, passis q; crinibus, diuino quodam instigante spiritu, cum lachrymis ac gemitu per medias acies peruolant, exhortantes modò patres, modò viros, vt fœdatas iam acies dirimerent, & parcerent sanguini. Cuius rei admiratione moti, sistunt aciem, tela comprimunt, iras mittunt, animos colligunt. Quam ob causam dicatas matronis Calendas Martias putant, & Matronalia sacra (vt idem Plutarchus inquit) eis tributa, compositi belli monumentum. Alij putant hoc sacrum institutum, vt matres fauore Martis, eam felicitatem consequerentur in filijs, quam videbatur is Deus Iliæ concessisse, quæ à Marte compressa Romulum summæ felicitatis filium peperit. Sunt etiam qui dicant, hoc factum, quòd mense Martio terra fœcunda sit, quales matronæ fieri cupiunt. Nonnulli, quòd hoc die Iunonis Lucinæ ædes coli cœpta sit, quæ in Exquilino monte posita fuit: in qua sententia Sex. Pompeius esse videtur. Addunt & hanc rationem aliqui: quòd nimirum Mars Iunonis dicatur filius, quæ coniugijs præest.* Matronaliorũ origo & causa.

Ouidius lib. 3. Fast. has rationes his verbis attigit:

1. *Tela viris animiq; cadunt: gladijsq; remotis,*
Dant soceri generis, accipiuntq; manus.
Laudatasq; tenent natas, scutoq; nepotem
Fert auus, hic scuti dulcior vsus erat.
Inde diem, primasq; meas celebrare Calendas,
Oebalides matres non leue munus habent.
Aut quia committi strictis mucronibus ausæ,
Finierant lachrymis Martia bella suis.
2. *Vel quòd erat de me feliciter Ilia mater,*
Rite colunt matres sacra diemq; meum.

3. *Quid? quòd hyems adoperta gelu tum deniq; cedit*
Et pereunt lapsæ sole tepente niues.
Arboribus redeunt detonsæ frigore frondes,
Viduaq; in grauido palmite gemma tumet, &c.

Et mox: *Tempora iure colunt Latiæ fœcunda parentes,*
Quarum militiam votaq; partus habet.

4. *Adde quòd excubias vbi Rex Romanus agebat,*
Qui nunc Exquilias nomina collis habet:
Illic à nuribus Iunoni templa Latinis
Hac sunt (si memini) publica facta die.

5. *Quid moror? & varijs onero tua pectora causis?*
Eminet ante oculos quod petis ecce tuos.
Mater amat nuptas, matrum me turba frequentat:
Hæc nos præcipuè tam pia causa decet, &c.

Matronaliorũ ritus.

Ritus in hac solennitate obseruatus hic ferè fuit. Mittebantur in ea à viris munera fœminis, sicut è contra in Saturnalibus à fœminis mißitabantur viris. Hinc Suetonius de Vespasiano, Sicut, inquit, Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Calendis Martij fœminis, & Tibullus ad Neream sic scribit,

Martis Romani festæ venere Calendæ,
Perq; vias vrbis munera, perq; domos.

In hoc etiam festo matronæ seruis cœnas apponebant, vt eo honore ad promptius obsequium prouocarent, Solino teste. Eam ob causam hæ Calendæ Saturnalia fœminarum *dicebantur: quemadmodum ostendit Martialis ad fœminam,*

Scis puto vestra iam venire
Saturnalia, Martias Calendas.

Et Iuuenalis Fœmineas *vocat, perinde ac fœminis peculiàriter dicatas. Ait enim: Munera fœmineis tractas secreta Calendis. Vnde Horatius lib. 3. Carminum Ode 8. Mecœnati scribit, ne miretur, quòd ipse cœlebs Calendis Martijs sacrificet, se enim hoc non facere, vt Matronalia cum fœminis celebret, sed vt gratias priuato sacrificio agat Dijs, qui eum ab arboris ictu, quo hoc die ferè interierat, incolumem conseruarint: Sic enim canit:*

Martijs cœlebs quid agam Calendis:
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, positusq; carbo in
Cespite viuo,
Docte sermonis vtriusq; linguæ?
Voueram dulceis epulas, & album
Libero caprum propè funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, festus
Corticem adstrictum pice dimouebit
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

ANCYLIORVM vel SALIORVM festum.

Ancyliorũ tempus, origo, & ceremonia.

Calendis Martijs & sequentibus aliquot diebus ex Numæ Pompilij institutione, Ancyliorum festum *celebratum fuit. Id etiam* Saliorum festum, & Saliares, *itemque* Martiales ludos, & Mamuralia *vocarunt. Huius sacri causam & originem multis describit versibus. Ouidius li. 3. Fastorum. Nos, omißis ijs ob prolixitatem, Alexandri ab*

dri ab Alexandro verba adscribemus ex lib.1.cap.26.quòd pleraque ex Dionysio Halicarnassæo habeat. Is igitur, Regnante Numa, inquit, cùm morbo & afflatu noxio ciuitas affecta esset, eaq; lues nullis sacrificijs aut piaculis sedari videretur posse, peltam æneam è cælo, in qua Romanorum fata sita erant, in manus Numæ decidisse ferunt. In qua cùm vrbis salutem sitam crederent, ne inuentu facilis, & ob id furto exposita esset, alias vndecim elaboratæ artis eadem facie mensuraq; à Mamurio fabro, ne dinosci posset, constructas dicunt fuisse: illasq; in Martis sacrario asseruasse, illorumq; custodes Salios vocasse: quorum Princeps Præsul, alter Vates, tertius Magister, qui præsidebant, dicti. Illorumq; insigne tunica erat punicea, & æneum in pectore tegmen, quod super tunicam versicolorem induebant: tum balthei, & æneæ galeæ: quibus ornati Martio mense, cum tripudijs ad tibiam, solenniq; saltatu cœlestia Ancylia eiusmodi ferentes, culti ornatiq; prodibant: ipsiq; gladiolis illa percutientes, cum gressu & gradu composito, pulsu pedum ad sonum vocis modulato, per Capitolium & forum, perq; vrbem incedebant. Inq; eo trepudio Mamurium fabrum, qui tam exactè illa molitus esset, in nominis memoriam sempiternam, ac pennatas, impennatasq; agnas prospicis & aristis, & Lucetium Iouem, Ianumq; deorum Deum, aliosq; Deos, excepta Venere, quã in Carminibus Saliaribus nominare nefas erat, verbis subobscuris, Marti consecratis, quæ nec mutare licebat, ritu priscæ religionis, in fine carminũ referebãt. Post aliquot verò ætates, Imperatorum nomina suis Carminibus Salios adnotare constitutum fuit, vt illorum quoq; memoriam sempiternæ gloriæ mandarent. Hiq; dies religiosi ac sacri mansere in posterum. Hæc ille. Nam, vt Dionysius refert, festum hoc agebatur publicè ad dies aliquot. Paulus Marsus in Comment. suis ad lib.3. Fast. indicat, triduo integro hæc festa durasse.

Ancyliorum ministri.

Idem autor eodem loco, Fuere, inquit, Salij, huius sacri ministri, Martis sacerdotes, numero duodecim, ex Patricijs liberi, & ciues, & qui neutro parente orbati essent, à Numa seu Tullo Hostilio bello contra Fidenates (vt Liuius author est) voti causa nuncupati: qui postea numerum Saliorum duplicasse fertur, ita vt 24. belli pacisque temporibus Collegio cooptarentur.

Ancyliorum festa opiparè celebrata.

Sacra autem & dies festos hos cœnis sumptuosissimis, & commessationibus cum cantu & symphonia adeò opiparè celebrare sunt soliti, vt opiparum quoduis magnificumq; conuiuium Saliare postea dictum sit. Horatius in Odis:

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare puluinar Deorum,
Tempus erat dapibus sodales.

Apuleius lib.4. inquit: Vt equus quidem meus tanta copia, & quidem solus potitus, saliares cœnas cœnasse crederet: hoc est, vt Beroaldus interpretatur, lautas & opulentas.

Anciliorũ tempore nuptiæ prohibitæ.

His autem tribus diebus, antequam ancylia essent recondita in templo Martis, religio fuit nubere, ne, dum arma mouebantur, quæ pugnæ adhiberi solent, nubentibus omen discordiæ fierent. Hanc ob causam etiam flaminis Dialis vxor impexis crinibus his tribus diebus esse debuit. Vnde Ouidius sic cecinit:

Nubere si qua voles, quamuis properabitis ambo,
Differ: habent paruæ commoda magna moræ.
Arma mouent pugnam, pugna est aliena maritis.
Condita cum fuerint, aptius omen erit.
His etiam coniunx capitis discincta Dialis
Lucibus, impexas debet habere comas.

Neq; verò solùm nuptiæ prohibitæ fuerũt, sed nihil prorsus occipere tanquã infaustò quisquam in hac solennitate audebat. Alludit ad hoc Suetonius in vita Claudij, in epist. Augusti ad Liuiã: Colloquutus sum cum Tiberio, vt mandasti, mea Liuia, quid nepoti tuo faciendũ esset ludis Martialibus. Et iterum: In præsentia tamen, quibus de rebus consulis, curare eum

ludis Martialibus triclinium sacerdotum non displicet nobis, si est passurus se à Syllani filio, homine sibi affine admoneri, ne quid faciat, quod conspici & derideri possit. Idem in Ottone: Nulla nec religionum quidem cura, sed & motis necdum conditis ancilibus, quod antiquitùs infaustum haberetur, &c. Sic Tacitus, qui eandem historiam scribit: Fuere qui proficiscenti Ottoni moras religionesq; nondum conditorum ancyliorum, vel scutum, vel arma cœlestia adferrent.

VEIOVIS festum.

Veiouis festi origo.

NOnis Martijs festum Veiouis *fuit, id est, parui Iouis, sine fulmine. Ei hoc die sacrata fuerunt templa ante lucos Asyli in Intermontio. Cuius rei mysterium illud fuit: Vt Iupiter paruus, postquam adultus esset, cœlo regnauit: sic vrbs Roma parua ab initio, vbi Romulus aperuit Asylum, paulatim coaluit, & ad summum imperij culmen ascendit: ideò consecrauere templum Parui Iouis eo in loco, vnde sumpsit initium augmenti. De hoc Deo, eiusq; festo Ouidius lib. 3. Fast. ita cecinit:*

Vna nota est Martis Nonis sacrata, quòd illis
Templa putant lucos Veiouis ante duos.
Romulus vt saxo lucum circumdedit alto,
Cuilibet, Huc, dixit, confuge, tutus eris.
O quàm de tenui Romanus origine creuit,
Turba vetus quàm non inuidiosa fuit.
Ne tamen ignaro nouitas tibi nominis obstet,
Disce quis iste Deus, curúe vocetur ita.
Iupiter est iuuenis, iuueniles aspice vultus:
Aspice deinde manus, fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos cœlum affectare gigantes
Sumpta Ioui, primo tempore inermis erat. Et mox:
Nunc vocor ad nomen: Vegrandia farra coloni,
Quæ malè creuerunt, Vescaq; parua vocant.
Vis ea si verbi est, cur non ego Veiouis ædem,
Ædem non magni suspicor esse Iouis?

IVNONALIA.

Iunonaliorum ritus.

ADrianus Iunius in suis Fastis ad Nonas Martias refert Iunonalia. *Eorum autem sacrorum mentionem in vnico T. Liuio se obseruasse scribit Vuolfgangus Lazius lib. 10. de Repub. Rom. cap. 10. qui lib. 7. Dec. 3. sic scriptum reliquit: Ab æde* Apollinis *boues fœminæ albæ duæ porta Carmentali in vrbem ductæ, post eas duo signa cupressea Iunonis reginæ portabantur: tum septem & viginti virgines longam indutæ vestem, carmen in Iunonem reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingenijs, nunc abhorrens & inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur Decemuiri coronati laurea, prætextatiq;, à porta Iugario vico in forum venere: in foro pompa constitit, & per manus reste data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. Inde vico Thusco Velabroq; per boarium forum in cliuum publicum, atque ædem Iunonis reginæ perrectum: ibi duæ hostiæ ab Decemuiris immolatæ, & simulachra cupressea in ædem illata. Hinc forsan choreæ illæ defluxerunt, quibus in Sueuia, & ad lacum Acronium virgines vesperi diebus feriatis saltantes, pedum quoque sonitu cantilenas moderantur. Id quod etiam in Austria in festo Ioannis Baptistæ solenne admodum est. Confestim & aliud sacrificium eidem diuæ destinatum. Tacta de cælo ædes in Auentino Iunonis, prodigiumque id ad matronas pertinere aruspices quũ respondissent, donoq; diuam placandam esse, ædilium Curulium*

Curulium edicto in Capitolium conuocatæ, quibus in vrbe Roma, intraq; decimum lapidem ab vrbe domicilia essent, ipsæ inter se 25. delegerunt, ad quos ex dotibus stipem conferrent, inde donum peluis aurea facta, lataq; in Auentinum, pureq; et castè à matronis sacrificatum.

ANNAE PERENNAE CELEBRITAS.

IDibus Martijs priuatim & publicè Annæ Perennæ *sacrificabatur Romæ: quod Ouidius his verbis testatur:* Festi huius dies & origo.

Idibus est Annæ festum geniale perenne,
Non procul à ripis aduena Tibri tuis.

Crediderunt aliqui hanc esse Beli filiam, sororem Didonis, quæ postquam mortuam sororem vidit, & Carthaginem ab Iarba Getulorum rege occupatam, relicta sede patria, ad Battum regem, qui Melitæ insulæ imperabat, cursum arripuit. A quo veteris hospitij iure benignè susceptæ, duos & vltrà annos ibi mansit. Sed quum Pygmaleonem fratrem iam cum armis aduentare cognouisset, Battus illius potentiam veritus, Annam vt inde migraret hortatus est. Mare igitur ingressa, dum Cameram nauigare contendit, vi tempestatis acta, in Laurentanam oram Italiæ peruenit, vbi iam Æneas pacatis rebus, & ducta vxore Lauinia, imperabat. Hic tum fortè solo Achate comitatus, in littore nudis pedibus ambulabat. Qui quum errantem Annam conspexisset, & vix sibi persuadere posset eam esse, tandem agnitam compellat. Timuit illa principio, sororis casum ante oculos ponens, postea verò ab illo benignè inuitata, in regiam cum illo profecta est. Cui mox Lauinia, amorem coniugis suspectum habens, tendere insidias cœpit. Sed Anna in somnis à Didone monita, vt infaustam domum relinqueret, statim per fenestram exilijt. Quumq; citato cursu ad Numicium amnem peruenisset, in eum se præcipitem dedit. Orta deinde luce, magno clamore eam quæritantes per Laurentem agrum proficiscuntur. Apparent vestigia pedum vsque ad Numicium amnem, vltrà nihil videtur. Quod dum admirantes secum animis volutant, Anna Perenna quæ.

Ipsa loqui visa est, Placidi sum Nympha Numici,
Amne perenne latens, Anna perenna vocor.
Protinus erratis læti vescuntur in agris,
Et celebrant largo sæq; diemq; mero:

vt Ouidius indicat lib. 3. Fastorum: vbi aliorum quoque de hac Anna Perenna opiniones referens, sic canit:

Sunt quibus hæc Luna est, quia mensibus impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat esse bouem.
Inuenies qui te nymphen Atlantida dicant,
Teq; Ioui primos Anna dedisse cibos.
Hæc quoque quam referam, nostras peruenit ad aures
Fama, nec à veri dissidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiam tunc tuta tribunis,
Fugit, & in sacri vertice montis erat.
Iam quoque quem secum tulerant, defecerat illis
Victus, & humanis vsibus apta Ceres.
Orta suburbanis quædam fuit Anna Bouillis,
Pauper, sed multæ sedulitatis anus.
Illa leui mitra canos incincta capillos
Fingebat tremula rustica liba manu.
Atq; ita per populum fumantia manè solebat
Diuidere: hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta, signum posuere perenne,
Quòd sibi defectis illa ferebat opem.

Infesto hoc plebeij apud Tiberim genio & voluptati operam dederunt, & cantu potuq; Annæ Perennæ ritus.

Perennare quid.

largiore perennem vitam sibi auspicati sunt. Vnde & Macrobius scribit, sacrificatum fuisse hoc die Annæ Perennæ, vt annare perennareq; commodè liceret: hoc est, vt non solùm per præsentem, sed per multos futuros annos viuere possent: est enim perennare per multum tempus durare. Sic enim Columella lib. 1. cap. 9. Temperet, inquit, vires clementia, quoniam & terribilior debet esse quàm sæuior, vt & obsequantur eius imperijs, & diutius perennent boues, non confecti vexatione simul verberum, operumq;. Idem lib. 3. Rosa hoc modo culta multis annis perennat. Cæterùm ritum, id est, conuiuia & comessationes, quibus hoc die vsi sunt, Ouidius sic describit:

Plebs venit, ac virides passim disiecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisq; sua.
Sub Ioue pars durat, pauci tentoria ponunt:
Sunt quibus è ramis frondea facta casa est.
Pars ibi pro rigidis calamos statuere columnis,
Desuper extentas imposuere togas.
Sole tamen, vinoq; calent, annosq; precantur,
Quot sumant cyathos, ad numerumq; bibunt.
Inuenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos:
Illic & cantant quicquid didicere theatris,
Et iactant faciles ad sua verba manus.
Et ducunt posito duras cratere choreas,
Cultaq; diffusis saltat amica comis.
Cùm redeunt, tibubant, & sunt spectacula vulgi,
Et fortunatos obuia turba vocat.
Occurrit nuper, visa est mihi digna relatu
Pompa, senem potum pota trahebat anus.

Ioci autem & lusus, qui in hoc festo referebantur, non solùm erant obscœni & turpes, sed & cantilenæ impudicæ admodũ. Summa erat hæc: vbi Anna relata esset inter Deos, Martem eius operam petijsse ad comprimendam Palladã: illam retulisse se Palladis animum inflexisse, paratamq; esse ad coniugium: deductam autem tempore constituto ad eum pro Pallade Annam luteo flameo velatam, cumq; esset eam osculaturus, cognouisse Annam, ab eaq; se delusum esse. Quam fabulam poeta noster his verbis recitat:

Nunc mihi cur cantent, superest, obscœna puellæ,
Dicere: nam coëunt, certaq; probra canunt.
Nuper erat dea facta, venit Gradiuus ad Annam,
Et cum seducta talia verba facit:
Mense meo coleris, iunxi mea tempora tecum:
Pendet ab officio spes mihi magna tuo.
Armifer armiferæ correptus amore Mineruæ
Vror, & in longo tempore vulnus alo.
Effice Di studio similes coëamus in vnum,
Conueniunt partes hæ tibi comis anus.
Dixerat: illa deum promisso ludit inani,
Et stultam dubia spem trahit vsq; mora.
Sæpius instanti, Mandata peregimus, inquit,
Euicta est precibus, vix dedit illa manus.
Credit amans, thalamosq; parat: deducitur istuc
Anna tegens vultus, vt noua nupta suos.
Oscula sumpturus, subitò Mars aspicit Annam:
Nunc pudor elusum, nunc subit ira Deum.

Ludis

Ludis amatorem charæ noua diua Mineruæ,
Nec res hæc Veneri gratior vlla fuit.
Inde ioci veteres, obscœnaq; dicta canuntur,
Et iuuat hanc magno verba dedisse Deo.

Quod verò hoc ipso die postea C. Cæsar viginti tribus vulneribus in Curia à coniuratis esset confossus, propterea placuit Senatui eum diem, hoc est Idus Martias Parricidium nominari, neue vnquam in posterum eo senatus cogeretur, Suetonio authore. Idus Mart. cur parricidium dicantur.

LIBERALIA SEV BACCHANALIA.

Decimo quinto Calend. April. Baccho sacra fiebant Romæ: quod Ouidius etiam testatur lib. 3. Fast. inquiens, Bacchanal. dies.

Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho.

Dicuntur autem Bacchanalia à Baccho, Iouis ex Semele filio, in cuius honorem celebrabantur. Est verò Βάκχος, vnde Bacchus, Græca dictio, à βάζω deducta, quod verbum significat φλυαρεῖν: vt sit Βάκχος qui furore agitatus multas nugas deblatterat. Nisi quis ad immanem bacchantium vlulatum seu boatum referre malit: & tum optimè conueniet verbi βάζω etymologia tanquam à βοάζω. Eadem ratione dicuntur etiam Liberalia, à Libero, hoc est, Baccho: qui vini inuentor, propterea Liber dicitur, vt Festus refert, quòd vino vsi liberè omnia loquantur. Vnde Næuius: Libera lingua loquemur ludis Liberalibus. Alij tamen à libatione Liberum dictum volunt, quòd ipse libationem præbuerit. Alij à libertate, quòd pro Bœotiæ libertate pugnauerit. Nonnulli à liberando dictum putant, quòd eius sacra, vt Seruius docet, ad purgationem animæ pertinerent: aut quòd vinum curas soluat, & mentem ab illis liberet. Hinc Seneca lib. de Tranquil. vitæ, Liberum appellatum dicit, non ob licentiam linguæ, sed quia liberat seruitio curarũ animum, & tristitiæ medetur. Varro à labendo deducit, quòd lubrica mens ebrij, quò iubet, prolabatur. Idem Varro Liberalia inde dicta putat, quòd per totum oppidum eo die sederent sacerdotes liberi, & anus hedera coronatæ, cum libis & foculo pro emptore sacrificarent. Bacchanal. etymon. Liberalia vnde dicta.

Ac distinguit Gyraldus Syntag. 17. inter Liberalia & Bacchanalia. Nam Liberalibus, inquit, togæ pueris dabantur, 15. Calend. April. Bacchanalia verò singulis mensibus dabantur. Bacchanalia & Liberalia differunt.

Originem horum sacrorum in Italia, Seruius ad Iulium Cæsarem refert, in suis Comment. ad Æglogæ 5. hos versus Vergilij: Bacchanaliorum in Italia origo.

Daphnis & Armenias curru subiungere tigres
Instituit: Daphnis thyasos inducere Baccho,
Et folijs lentas intexere mollibus hastas.

Ludouicus Viues autem in suis ad eosdem versus allegoricis interpretationibus, Non memini, inquit, legere me hoc apud alium quenquam: nec est verisimile. Nam ante Cæsarem Bacchi sacra Romæ erant: quæ, vt Liuius indicat lib. 39. Græcus quidam homo ignobilis, sed eiusmodi sacrorum antistes, primo in Hetruriam attulit, ibiq; ritus eorum docuit. Ex Hetruria ea mali labes mox Romam penetrauit.

Eorum ritum turpissimum primò sic describit Liuius eodem loco: Initia, inquit, erant, quæ primò paucis tradita sunt, dein vulgari cœpta per viros & mulieres, additæ voluptates religioni vini & epularum, quo plurium animi illicerentur. Quum vinum animos, & nox, & mixti fœminis mares ætatis teneræ maioribus discrimen omne pudoris extinxissent, corruptelæ primùm omnis generis fieri cœptæ, quum ad id quisq;, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet, nec vnum genus noxæ stupra promiscua ingenuorum, fœminarumq; erant, sed falsi testes, falsa signa, testimoniaq; ex eadem officina exibant, venena identidem, intestinæq; cædes, ita vt ne corpora quidem interdum ad sepulturam extarent, multa dolo, pleraq; per vim audebant. Sed his mox longè atrociora subijcit, ex Hispala Fe-

ceniæ libertinæ iudicio, quæ ancilla dominæ comes his sacris aliquando interfuerat. Ea coram Sp. Posthumio Albino Consule confessa est, Primo sacrarium id fœminarum fuisse, nec quenquam virum eò admitti solitum: tres in anno statutos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur: sacerdotes inuicem matronas creari solitas. Pacullam verò Miniam Esoponam sacerdotem omnia, tanquam Deorum monitu immutasse, nam & viros eam primam suos filios initiasse, & nocturnum sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse sacros. Ex quo inde promiscua sacra sint, & permisti viri fœminis, et noctis licentia accesserit, nihil ibi facinoris, nihil ibi flagitij prætermissum: plura virorum inter se, quàm fœminarum esse stupra: si qui minus patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari nihil nefas ducere: nec id multis cognitum, quum nulla vox vociferantium aut quæritantium præ vlulatu, tympanorum cymbalorumq; strepitu exaudiri possit, & mortui ex conspectu illico in specus abdantur. Hanc summam inter eos religionem esse: viros velut mente capta, cum iactatione fanatica corporis vaticinari, matronas baccharum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, demissasq; in aquam faces, quia viuum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre. Raptos à dijs homines dici, quos machinæ alligatos ex conspectu in abditos specus abripiant, eos esse, qui aut coniurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem, alterum iam propè populũ esse, in his nobiles quosdam viros fœminasq;. Biennio proximo institutum esse, ne quis maior XX. annis initiaretur: captari ætates & erroris & stupri patientes. Hæc omnia Liuius: refert etiam Val. Max. lib. 6. Quæ pleraq; priuatim in sacrario circa initiationes eorum, qui his sacris interesse cupiebant, facta arbitror: publicè autem non minus horrenda ab ijs perpetrata sunt. Nam, vt Varro apud Cælium Rhodiginum lib. 4. cap. 6. ait, tanta turpitudinis licentia Liberi patris sacra in omnibus compitis peragebantur, vt in eius honorem virilia colerentur pudenda, palàm exultante nequitia. Nam Liberi membrum per hunc diem festum magna celebritate plostellis per agros prius, mox & in vrbem vectabatur, quo toto tempore vnusquisq; spurcissimis abutebatur verbis, donec per forum transueheretur membrum id, cui, inspectantibus omnibus, matremfamiliâs honestissimam necesse erat imponere coronam. Sic Deus ille propitiabatur ad seminum euentus, sic ab agris fascinatio auerruncabatur. Noctu etiam tota vrbe strepitus & vlulatus personuere, omnesq; Deorum cultum esse crediderunt.

Bacchanalia Germanorum.

Serpsit hæc tabes ex Italia in ipsam quoque Germaniam. Bonifacius enim Germanorum Apostolus Zachariæ Pontifici Rom. inter alia sic scripsit: Animales, inquit, homines tempora quædam anni habent, quibus insaniunt, crapula se degrauantes & inebriantes, commessationibus totos dies & noctes vacantes, clamantes ferino more, saltantes & canentes cantiones obscœnas, quæ facilè mores corrumpunt bonorũ: extat epistola apud Nauclerum, refert quoque Mutius ab initio lib. 7. Chron. Germaniæ.

Bacchanalia damnata Romæ.

Damnarunt igitur hæc sacra multi probi & honesti viri apud Romanos Ethnicos adhuc ceu pestem quandam nocentissimam. M. Cato enim apud Liuium Decadis 4. lib. 9. sic ait: Nunquam tantum, tamq; latè patens malum in Repub. Romana cognitum est. Quicquid libidine, quicquid fraude, quicquid scelere peccatum est, ex illo vno sacrario ortum est. Varro quoque confessus est, à bacchantibus talia fieri non posse, nisi mente commota, vt Augustinus refert lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 9. Tandem à Senatu Romano abrogata fuerunt. Cùm enim eius mali indicium ad Senatum peruenisset, quæstionem extra ordinem ea de re Coss. Sp. Posthumio Albino, & Q. Martio Philippo mandauit. Multorum itaque delatis nominibus, quidam ex ijs viri ac fœminæ mortem sibi consciuerunt: multi comprehensi & in vincula coniecti, plures etiam necati sunt: quum supra 7000. virorum ac mulierum coniurasse dicerentur. Postremò datum Consulibus negotium est, vt omnia Bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam, diruerent. Facta sunt hæc anno ab vrbe condita 568. Liuio authore lib. 39. refert etiam Polydorus Vergilius de Inuent. rerum lib. 3. cap. 17. Facilè scilicet Ethnici illi solo naturæ sensu & iudicio edocti norant, religionẽ eam veram esse non

esse non posse, quæ capitales fraudes admitteret. Ac si cæteros quoque suæ superstitionis errores & vitia nouissent, perinde vt istud sublaturos fuisse non dubito. Quo magis dolendum est hæc sacra inter Christianos homines, imò inter Euangelicæ veritatis professores tolli & abrogari non posse. Quum igitur hæc & similia per verbum Dei corrigi nequeant, iustus Dominus aliquando scopas suas expediet, quibus has & similes superstitiones horrendas ex ecclesia sua expurgabit.

Bacchanalia restituta Romæ.

Progressu verò temporis turpes & otiosas illas superstitiones, vt Tertullianus loquitur, restituerunt Romani, abrogatis tamen illis quæ nimiam & profligatam haberent turpitudinem. Vilis enim anus hedera coronata, liba calentia, quibus mel infusum, Baccho offerebat: inde illa secum ducens fœminarum choros & greges, populum inuitabat ad liba gustanda. Ritum hunc sacrorum Bacchi describit Ouidius lib. 3. Fastorum, vbi etiam singulorum causas & rationem reddit, sic canens:

Carminis huius opus causas exponere, quare
Vilis anus populos ad sua liba vocet.
Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange, totoq; oriente subacto,
Primitias magno supposuisse Ioui.
Cinnama tu primus, captiuaq; thura dedisti,
Deq; triumphato viscera tosta boue.
Nomine ab authoris ducunt libamina nomen,
Libaq; quod sanctis pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt: succis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.
Melle pater fruitur, liboq; infusa calenti
Iure repertori splendida mella damus.
Fœmina cur præstet, non est rationis operta,
Fœmineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris? vinosior ætas
Hæc erat, & grauidæ munera vitis amat.
Cur hedera hæc cincta est? Hedera est gratissima Baccho.
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est:
Nysiadas nymphas, puerum quærente nouerca,
Hanc frondem cunis opposuisse ferunt.

In Liberalibus nobilium filij togam sumebant.

Hoc ipso etiam Bacchi festo, adolescentes nobilium filij, relicta prætexta, virilem togam sumebant. Tullius Hostilius Romanorum Rex 3. debellatis Hetruscis, sellam curulem, lictoresq;, & togam pictam, atq; prætextam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus vt Romæ haberentur, instituit. Sed prætextam illo seculo pueilis non vsurpabat ætas. Erat enim, vt cætera quæ enumeraui, honoris habitus. Sed postea Tarquinius Demarati exulis Corinthij filius Priscus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt rex tertius ab Hostilio, quintus à Romulo, de Sabinis egit triumphum. Eo bello filium suum, annos quatuordecim natum, quòd hostem manu percusserat, & pro concione laudauit, & bulla aurea, prætextaq; donauit, insigniens puerum vltra annos fortem, præmijs virilitatis & honoris. Nam sicut prætexta magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium: quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remedijs, quæ crederent aduersus inuidiam valentissima. Hinc deductus mos, vt prætexta & bulla in vsum puerorum nobilium vsurparentur: ad omen & vota conciliandæ virtutis, ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt. Alij putant eundem Priscum, cum is statum ciuium, solertia prouidi principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxisse, instituisseq;, vt Patritij bulla aurea, cum toga, cui purpura prætexitur, vterentur duntaxat illi, quorũ Patres curu-

Prætextu quando à pueris vsurpari cœpta Romæ.

lem gesserant magistratum: cæteris autem vt prætexta tantum vterentur, indultum, sed vsq; ad eos quorum parentes equis stipendia iusta meruissent. Libertinis verò nullo iure vti prætextis licebat, ac multò minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo. Sed postea Libertinorum quoque filijs prætexta concessa est, ex tali causa, quam M. Lælius augur refert, qui bello Punico secundo Duumuiros dicit ex Senatus consulto, propter multa prodigia libros Sibyllinos adisse, & inspectis his nunciasse in Capitolio supplicandum, lectisterniumq; ex collata stipe faciendum, ita vt libertinæ quoque quæ longa veste vterentur, in eam rem pecuniam subministrarent. Acta igitur obsecratio est, pueris ingenuis, libertinis & virginibus patrimis matrimisq; pronunciantibus carmen. Ex quo concessum, vt libertinorum quoque filij, qui ex iusta duntaxat matre familiâs nati essent, & togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent. Verrius Flaccus ait, cum populus Rom. pestilentia laboraret, essetq; responsum, id accidere, quòd Dij despicerentur, anxiam vrbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum, euenisseq; vt Circensium die puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisse: qui cum rem gestam senatui nunciasset, placuisse velari loca ea qua pompa veheretur: atque peste sedata, puerum, qui ambiguitatem sortis absoluerat, togæ ac prætextæ vsum, munus impetrauisse. Vetustatis peritissimi referunt, in raptu Sabinarum, vnam mulierum nomine Hersiliam, dum adhæreret filiæ, simul raptam. Quam quum Romulus Hosto cuidam ex agro Latino, qui in asylum eius confugerat, virtute conspicuo vxorem dedisset, natum ex ea puerum, antequam vlla alia Sabinarum partum ederet: eumq; quòd primus esset in hostico procreatus, Hostium à matre vocitatum: & eundem à Romanis bulla aurea, ac prætextæ insignibus honoratum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla, ante pectus annecterent: quam inspicientes, ita demùm se homines cogitarent, si corde præstarent. Togamq; prætextam his additam, vt ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur. Hanc igitur prætextam deponebant qui ex ephœbis excessissent, & togam virilem induebant eo die quo Bacchi festiuitas celebrabatur. Causas recitat Ouidius lib. 3. Fast. inquiens:

Restat, vt inueniam, quare toga libera detur,
Luciferis pueris candide Bacche tuis:
Siue quòd ipse puer semper iuuenisq; videris,
Et media est ætas inter vtrunq; tibi.
Seu quia tu pater es, patres sua pignora natos
Commendant curæ, numinibusq; tuis.
Siue quòd es Liber, vestis quoq; libera per te,
Sumitur, & vitæ liberioris iter.
An quia cùm colerent prisci studiosius agros,
Et faceret patrio rure senator opus.
Et caperet fasces à curuo Consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus.
Rusticus ad ludos populus veniebat in vrbem,
Sed dijs, non studijs ille dabatur honor.
Ergo vt tyronum celebrare frequentia posset,
Visa dies dandæ non aliena togæ est.

In Bacchanal. facta processio.

Hoc ipso præterea die quo Bacchi solennia fiebant, & antecedente etiam, cum processione pergebant ad templum Castoris & Pollucis, quod consecratum fuit apud aquam Iuturnam, ijs in locis, quæ appellata fuerunt Argea, sicut Ouidius libro 3. Fast. docet his versibus:

Itur ad Argeos (qui sunt, sua pagina dicet)
Hac, sicut memini, præteritaq; die.

QVINQVATRIA.

QVinquatria 13. *Calendas Apriles celebrabantur Romæ, quod non obscurè colligi* Quinquatria quando celebrata.
potest ex lib. 3. Fastorum Ouidij. Eius enim testimonio supra indicauimus Liberalia celebrata tertia post Idus Mart. hoc est 15. Cal. April. quibus hæc subijcit:

Stella Lycaoniam vergit decliuis ad Arcton
Miluius: hæc illa nocte videnda venit. *Et mox*

de Quinquatribus: Vna dies media est, post fiunt sacra Mineruæ.
Vnam inquit diem mediam esse inter ortum Miluij, & primũ diem Quinquatriorum, & sic significat 13. Cal. Apriles.

Erant autem Mineruæ seu Palladi sacra, Ouidio teste. Festus in Fragmento de No- Quinquatr. Mineruæ sacra, eorumq; origo.
minum signific. nuper reperto, hanc rationem affert, quòd hoc die ædis Mineruæ in Auentino consecrata esset. Lazius lib. 10. de Rep. Rom. cap. 10. non intelligens Ouidium, Quinquatriorum originem ad Sabinarum mulierum raptum refert. Non dissimilia fuerunt his quæ ab Athenienſibus vocabantur Παναθηναια.

Dicta Quinquatria, à numero quinq; dierum quibus celebrabantur: quod Ouidius indicat superiori versiculo hunc subijciens:

Nomina quæ à iunctis quinq; diebus habent.

Primo die fiebant sacrificia: secundo, tertio, & quarto gladiatorum spectacula edeban- Quinquatr. ritus.
tur: quod Ouidius his versibus atteſtatur:

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:
Causa, quòd est illo nata Minerua die.
Altera, tresq; super strata celebrantur arena,
Ensibus exertis, bellica læta dea est.

Ex Tranquillo etiã in vita Domitiani intelligitur, in Quinquatribus, præter venationes ac scenicos ludos, oratorum quoque & poetarum fuisse certamina. Eodem etiam tempore, vt testatur Hieron. munus Minerual appellatũ, pueri quando vacabant magistro offerebant.

Varro lib. 5. de Latina lingua refert, antiquitus vnum tantummodo festi huius diem Quinquatr. etymon.
fuisse post quintum scilicet Idus Martias: eumq; quinquatrum vocatum fuisse, tracto vocabuli exemplo à consuetudine vicinorum populorum, qui dies post sextum, & septimum Iduum, sexatrum & septimatrum appellauere: paulatim tamen nominis errore consuetudinem irrepsisse vt quinq; dies crederentur. Varronis sententiæ Festus quoq; & Aulus Gellius subscribunt. Vnde error deprehenditur recentiorum Grammaticorum de huius vocabuli etymo: qui Quinquatria inde dicta tradiderunt, quòd celebrarentur quinque diebus continuis post diem atrum, qui erat postridie Iduum, quum probatissimorum (quos modò adduximus) autorum testimonijs satis constet, atrus siue atria particulas, in hisce vocibus nihil significare, sed solas esse nominum productiones.

Meminit Quinquatriorum Suetonius in Domitiani Imp. vita: Clebrata, inquit, & in Albano quotannis Quinquatria Mineruæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentq; eximias venationes, & scenicos ludos, superq; poetarum & oratorum certamina. Et sic intelliguntur loca poetarum: vt illud Iuuenalis,

——— Quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos.

Et illud Papinij Statij lib. 4. Syluarum, quo ostendit, se in hoc certamine reliquos poetas vicisse, & propterea à Domitiano coronatum fuisse.

Lux mihi Romanæ qualis sub collibus Albæ,
Cùm modò Germanas acies, modò Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

TVBAELVSTRIVM.

Vltimo die Quinquatriorum Tubæluſtrium *celebrabatur, quod Ouidius his verbis*

indicat: *Summa dies è quinque tubam lustrare canoram*
Admonet, & forti sacrificare Deæ.

Tubæ lustrij origo & ritus.

Nam in atrio Sutorio, pro quo nonnulli legunt Saturio, tubæ lustrabantur agna: fiebat id propter mortuos, qui (vt Seruius indicat) ad tubam deduci consueuerant: quum iuberet religio (Lactantio Grammatico teste) vt maioribus tuba, minoribus tibia caneretur. Vnde tubarum lustratio necessaria videbatur, ideoq; repetita fuit.

Sunt tamen qui arbitrantur, in hoc festo non tubas lustratas, sed vrbem tubis lustratam, ideoq; modò citatum versum Ouidij sic legendum putant:

Summa dies è quinq; tuba lustrare canora
Admonet, &c.

Sed quum in fine Februarij vrbs lustrata fuerit, non existimarim mox sequenti mense repetitam fuisse lustrationem eius, & propterea priorem sententiam verisimiliorem puto.

HILARIA.

Hilaria quo die celebrata Romæ. Hilariorum origo.

Macrobius libro 1. Saturnal. indicat octauo Calend. April. Romæ Hilaria *celebrata fuisse, quòd ab eo die, in quem Iulij Cæsaris tempore Æquinoctium vernum incidebat, Sol diem longiorem nocte efficeret. Turnebus autem Aduersar. lib. 24. cap. 45. Hilaria existimat fuisse matris Deûm ferias, quæ, vt in Aprili pluribus indicabitur, principio Veris celebrabantur maxima populi lætitia, & nobilissima pompa, quouis è populo insignia cuiusq; dignitatis mentiente atq; simulante liberè, & impunè, vt internosci magistratus à simulatore non posset, vt ab Herodiano in Commodo describitur, vbi tamen Hilariorum nomen desideratur. Habet hæc ex Maximo D. Dionysij interprete, qui sic scribit:* ἦν ἡ ἱλάεια ἑορτὴ ἰδιωτικὴ ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς μητρὸς αὐτῶν, μᾶλλον δ' αἰμονων, ὡς φησὶ Δημόφιλος ἐν τῷ περὶ τῶν παρ' ἀρχαίοις θυσιῶν. *Idem Maximus Hilaria dicit fuisse appellata, tùm alias festiuitates priuatas, tùm publicas celebrari solitas ob regis alicuius creationem. Verba eius hæc sunt:* ἦσάν τινες ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλαεια ἐκάλουν, καὶ αἱ μὲν ἦσαν ἴδιαι καὶ ἱλάειοι, ὡς ὅταν τις ἔγημε, ἢ γόν ἐτέκετο· αἱ δὲ κοιναὶ καὶ δημόσιαι ἱλάεια ἐκαλοῦντο, ὅταν βασιλεὺς ἀναγορεύθη καὶ τὰς δημοσίας ἱλαείας παρεῖχε, καὶ ὅτε πένθιμα ἐν ταύταις φέρειν ἐξῆν, ἀλλὰ καὶ θέαι καὶ θύσιαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν διετελοῦντο δημόσιαι, καὶ οἱ πενθοῦντες ἐπαύοντο, καὶ ἐθεώρουν. Ἐν δὲ ῥωμαίοις ἁπασῶν δῆλον τὰς ὠφελιμωτάτας ἡμέρας ταῖς τοιαύταις ἱλαείαις: *Id est, Erant quidem dies idololatris quas Hilarias seu festiuitates vocabant. Horum alij erant priuati & festiui, vt quum quis vxorem duxerat, aut alicui filius natus erat. Communes autem & publicæ festiuitates Hilaria dicebantur, vt quum quis rex creatus erat, is publicas festiuitates populo exhibebat. In his nulla erat licitum luctus insignia gestare, luctus omnis cessabat, spectacula, ludi, sacrificia, epulæ per totos illos dies agitabantur.*

MATRIS DEVM LAVATIO.

Lauatio matris Deûm quo die celebrata.

Sexto Calend. April. celebrabatur Lauationis Matris Deûm *festum. Sic enim Vibius Sequester ad Vergilianum filium scribit: Mater, inquit, Deûm sexto Cal. April. lauatur. Et Ammianus lib. 23. Diem, inquit, sextum Cal. April. quo Romæ matri Deorum pompæ celebrantur annales, &c.*

Lauationis matris Deûm origo.

Abluitur autem in Almone fluuio, qui non procul ab vrbe Tiberino miscetur. Testatur hoc Ammianus eodem loco, inquiens: simulachrum eius, quod carpento vehitur, Almonis vndis ablui perhibetur. Mos hic inde originem traxit, quòd cùm Romam primùm hæc dea aduecta esset, sacerdos eam, antequam in vrbem intulissent, hoc fluuio lauisset: id deinde per singulos annos seruatum. Quod Ouidius lib. 4. Fast. his versibus testatur:

Est locus, in Tiberim quà lubricus influit Almo,
Et magno nomen perdit in amne minor.

Illic

Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis, dominam, sacraq; lauit aquis.

Obscœna verò ac turpia ante deam in eius lauatione cantata, D. Augustinus testatur lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 4. inquiens: Ante eius lecticam die solenni lauationis eius talia per publicum cantitabantur à nequissimis scenicis, qualia non dico matrem deorum, sed matrem qualemcumque senatorum, vel quorumlibet honestorum virorum, imò verò qualia nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire. Habet enim quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferre. Illam enim turpitudinem obscœnorum dictorum atq; factorum, scenicos ipsos domi suæ proludendi causa coram matribus suis agere puderet, quam per publicum agebant, coram deorum omnium matre, spectante & audiente vtriusq; sexus frequentissima multitudine. Quæ si illecta curiositate adesse potuit circumfusa, saltem offensa castitate debuit abire confusa. Quæ sunt sacrilegia, si illa erant sacra? aut quæ inquinatio, si illa lauatio? Arnobius quoque ipsam lauationem matris Deûm, vt quæ non conueniat dijs, his verbis irridet: Lauatio, inquit, Deûm matris est hodie. Sordescunt enim diui, & ad sordes eluendas lauentibus aquis opus, atque adiuncta antiqua cineris frictione. Festi huius ritus turpis.

Quibus autem ritibus simulachrum matris Deûm ad flumen Almonem sit deductum hoc die, Prudentius his versibus in martyrio Romani indicat: Ritus deducendi matrē Deûm ad Almonem.

Nudare plantas ante carpentum scio
Lapis nigellus euehendus essedo
Quem ad lauacrum præeundo ducitis,
Almonis vsque peruenitis riuulum.
Proceres togatos matris Idææ sacris,
Muliebris oris clausus argento sedet,
Pedes remotis atterentes calceis.

IANI, CONCORDIAE, SALVTIS, ET Pacis festum.

TErtio Calendas Apriles, id est, die 30. Martij erat festum Iani, Concordiæ, Salutis & Pacis, *quibus eo die rem diuinam faciebant. Vnde Ouidius lib. 3. Fast. in fine:*

Tres vbi luciferos veniens præmiserit eos,
Tempora nocturnis æqua diurna feres.
Inde quater pastor saturos vbi clauserit hædos,
Canuerint herbæ rore recente quater:
Ianus adorandus, cum quo Concordia mitis,
Et Romana Salus, araq; Pacis erit.

Coniunxerunt autem non sine causa tria hæc numina. Prudentia enim, quam Iano tribuunt, Concordiam facit: Concordia, Salutem & Pacem.

DIANAE FESTVM.

PRidie Cal. April. hoc est, die vltimo Martij festum est Dianæ *in Auentino monte. Vnde Ouidius,* Festi huius dies.

Luna regit menses, huius quoq; tempora mensis
Finit Auentino luna colenda iugo.

Seruius Tullius enim Rex 6. Romanorũ persuasit Latinis populis, vt ad eorum exemplum qui Dianæ Ephesiæ ædem condidissent, & ipsi templum eidem deæ in Auentino ædificarent, vt Liuius indicat lib. 1. ab vrbe condita, in eo quotannis hoc die sacrificabatur ei. Cumque reliquis Dianæ templis soliti fuerint ceruorum cornua affigere, huic soli quod in Auentino est boum cornua affixerunt, in veteris gestæ rei memoriam. Fuit enim quidam in Sabinis Antro Coratius, qui vaccam habebat magnitudine & forma reliquis præstantiorem: mo- Festi huius origo. Dianæ templo Romæ cur boum cornua affixa.

nitusq; à vate quodam, qui in Auentino bouem hanc immolasset Dianæ, ei fata summam potestatem deferre, vrbemq; ipsius Italiæ totius regno potituram, Romam se contulit bouis ibi mactandæ gratia. Seruus autem Regi Seruio clam vaticinium illud, & rex Cornelio Pontifici indicauit. Tum Cornelius Antroni mandauit, vt ante sacrificium aqua Tiberis profluente sese ablueret: sic enim legibus præscriptum esse litaturo. Lotum igitur hic abijt: interim Seruius vt vacca in honorem Dianæ immolaretur præcepit, mactatæque cornua templo affixit: vt Plutarchus refert in Quæstionibus Romanis, quæst. 4. Hoc & Iuba narrat, & Varro: nisi quòd hic Antronis nomen non habet, deceptumq; non à Cornelio sacerdote Sabinum, sed ab ædituo refert.

CAPVT XIII.

De festis quæ APRILI mense à Græcis celebrata fuerunt.

ΥΒΡΙΣΤΙΚΑ.

Festi huius ritus.

ΥΒΡΙΣΤΙΚΑ, Latinè Contumeliosa seu Iniuriosa, festum quoddam fuit Argiuorum, in quo mulieres insolentius ac petulantius in maritos agebãt, virilibus indutæ vestimentis, in memoriam patriæ ab hostibus sua fortitudine vindicatæ. Origo. Historiam integram Plutarchus in lib. de Virtutibus mulierũ ita ferè narrat. Cùm Cleomenes Spartæ Rex multis Argiuorum occisis, ad ipsam vrbem duceret exercitum, impetus & diuinitus iniecta quædam audacia mulieres quæ ætate integra essent excitauit ad propulsandos à patria hostes. Erat inter cæteras Telesilla nobili orta familia, quæ quum esset multis ac varijs morbis obnoxia, Deos de recuperanda bona valetudine consuluit: oraculoq; monita vt Musas coleret, Deæ obtemperauit, studiumq; in carmina & harmoniam collocauit: nec solùm à morbo liberata, sed etiam ob poeticam in admiratione apud mulieres fuit. Hac duce arma capiunt, propugnacula occupant, muros corona cingunt non sine hostium magna admiratione. Ac Cleomenem quidem repulerunt, multos suorum desiderantem: alterum regem Demaratum (vt Socrates ait) qui in vrbem peruenerat & Pamphyliacum occupauerat, vi exturbarunt. Refert etiam Pausanias in Corinthiacis. Hoc modo vrbe seruata mulieres quæ in pugna ceciderant, in via Argiua sepultæ sunt à ciuibus: superstitibus autem præmium virtutis dedicatio Martis concessa est. Pugnatum alij in ipso nouilunio, alij septima die tradunt mensis, qui nunc quartus, olim ἕρμαιος, id est, Mercurialis, apud Argiuos dicitur. Ea die etiam hodie ΥΒΡΙΣΤΙΚΑ ἱερὰ (Hybristica sacra) agunt, γυναῖκας μὲν ἀνδρείοις χιτῶσι καὶ χλαμύσιν, ἄνδρας δὲ πέπλοις γυναικῶν καὶ καλύπτραις ἀμφιεννύντες, id est, mulieres virilibus tunicis & læna, viros autem muliebribus vittis ac velis vestientes. Virorum penuriam vt exsarcirent, mulieres non (vt Herodotus tradit) seruis, sed vicinorum optimis in ciuitatem receptis coniunxerunt: quos illæ videbantur contemnere & ignominia afficere in concubitu. Itaq; decreuerunt, vt nuptæ barbam haberent, quando cum viris concumberent. Quo loco Plutarchus, quum dicat mensem qui olim ab Argiuis Hermæus dictus sit, nunc verò quartus existat, ad Romanorum consuetudinem, vt etiam alijs in locis, respicere, & proinde Aprilem intelligere videtur.

ΘΑΡΓΥΛΙΑ.

Thargelia in cuius honorem & quo die celebrata.

MEnse Θαργηλιῶνι, quem Aprili Latinorum respondere suprà abundè probauimus, Θαργήλια festum & sacra in honorem Apollinis Delij, vt Athenæus testatur lib. 10 cap. 7. & Dianæ celebrabantur: inde fortasse, quòd hic mensis vtriusq; Dei Natalis esset: sextus videlicet dies Dianæ, & septimus Apollinis, vnde & ἑβδομαγέτης ab Æschylo dictus est: eademq; de causa ἑβδόμῃ ἱσταμένου Θαργηλιῶνος, id est, septima die Thargelionis hoc festum agitabatur.

Solebant

Solebant autem in hisce Θαργηλίοις, τὰς ἀπαρχὰς τῶν φαινομένων πυρίδων καὶ ὠμοκομίζειν: & in olla quadam coquere semina, quam τὸ ἱερὸν ἔψημα & ἀνάπλεων χύτραν nominabant θάργηλον: quo nomine etiam appellabant τὴν ἱκετηρίαν quæ tunc fiebat, Hesychio authore. Suidas quoque Θαργήλια festum fuisse dicit Apollinis & Dianæ: in eoq; solitum fuisse coqui χύτρον ἱερὸν ἔψήματος μεστὸν ἀπαρμάτων: seu fuisse solitas coqui in eo ἀπαρχὰς τῆς θεοῦ τῶν πεφηνότων καρπῶν. Crates Ἀθηναῖος ἐν τῇ ἑβδόμῃ lib. 2. θάργηλον ἄρτον vocari scribit τὸν ἐκ τῆς συγκομιδῆς πρῶτον γινόμενον: quem θάργηλον à nonnullis vocari θαλύσιον quidam referunt. Verùm & Etymologicus Θαργήλια siue Θαργηλίαν esse dicit festum quoddam Athenis denominatum ἀπὸ τῶν θαργηλίων, quæ esse dicit πάντας τοὺς ἀπὸ γῆς καρπούς: agitari autem mense Θαργηλιῶνι in honorem Apollinis & Dianæ ipse quoque testatur. Thargeliorum ritus.

Hunc diem etiam πολύφθογγον à Græcis appellatũ Plutarchus annotat, ob multitudinem oraculorũ quæ eo dabantur ab Apolline. Serò nanq; cœpit singulis mensibus oracula requirentibus respondere: antiquitùs enim semel duntaxat in anno vaticinabatur, idque hoc ipso die, vt Plutarchus in Quæstionibus Græcis ex Callisthene & Anaxandrida refert, quæstione 9.

ΚΑΡΝΕΙΑ ΙΕΡΑ.

Κάρνεια ἱερά, hoc est, Carnea sacra & festum, non solùm apud Lacedæmonios & Cyrenæos, sed tota ferè Græcia, & alibi quoque gentium, septimo die mensis Thargelionis, peragebatur, vt Pindarus in Pyth. ostendit, & elegantissimè in hymno ad Apollinem Callimachus. Celebrabatur in honorem Apollinis hoc festum & sacrum, à quo & nomen habet. Nam Καρνεῖος Ἀπόλλων crebra fit mentio apud auctores. Dicebatur autem sic à Carno genere ex Acarnania: alij à Carno Iouis & Europæ filio ita vocatum existimant, quod Praxilla poetria scripsit, & Hesychius recitat, qui ab Apolline & Latona fuerit educatus: quidam à Carno vate denominatum existimant, quem vnum ex Heraclidis fuisse aiunt. Sunt qui ideò Carneum Apollinem vocitatum autument, quòd quum in Ida Græci Cornum arborem succidissent, quam Καρνεῖαν illi vocant, ex luco Apollinis, ad equum fabricandum, Deum ea in re iratum, & nominatum Carneum, literæ vnius inuersione. Lege Pausaniam in Laconicis, & quem dixi Callimachi hymnum, ac in eum Scholia. Carnea quando & vbi celebrata. Apollo cur Carneus dictus.

Varias & discrepantes sententias, de Origine Carneorum, Zacharias Calliergus Theocriti Scholiastes his verbis in εἰδυλλ. Ε. recitat: Κάρνεα ἑορτὴ ὅτι Ἀπόλλωνι καρνείῳ ἀπὸ τινος κάρνου. Οὗτος ἦν ὁ κάρνος μάντις ὤν, εἶπέ τοις Ἡρακλείδαις, ἄσημα τεύχοις μαντευόμενος ὅν τινα ἀνέλωσι εἰς τὴν Ἡρακλειδῶν ἐπωότητα τ' ὄνομα, λόγχη βαλὼν ἀπέκτεινε. διὸ ὃν λοιμὸς ἐγένετο ἐν τῇ Πελοποννήσῳ, καὶ ἀπελθόντες, ἔλαβον χρησμὸν ἐξ Ἀπόλλωνος, κάρνειον τιμῆσαι Ἀπόλλωνα. καὶ τοῦτο ποιήσαντες, ἐπαύσαντο τοῦ λοιμοῦ. Ταυτῃ ἓν τινὶ ἑορτῇ καὶ δοῦλοι οἱ μετοικήσαντες ἐκ Πελοποννήσου εἰς ἑτέρας πόλεις, διὰ τὸν λοιμὸν ἐπετέλουν. Sensus est, Fame oborta in Peloponneso ob Carni necem, sedatam eam fuisse Carneorum institutione, vt Oraculo Apollinis edocti fuerant: & inde hæc sacra in alias Græciæ vrbes postea translata. Ἄλλως: Κάρνεα ἑορτὴ δωρικὴ, τελουμένη Καρνείῳ Ἀπόλλωνι, κατὰ τὴν Πελοπόννησον, ἀπὸ κάρνου μάντεως ὃς ἔλεγε τοῖς Ἡρακλείδαις: ἀπ' αὐτοῦ ἡ κάρνειον Ἀπόλλωνα προσαγορεύουσιν. Ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Θεοπόμπῳ: ὅτι τὸν αὐτὸν, καὶ διὰ, καὶ ἡγήτορα καλοῦσιν Ἀργεῖοι, διὰ τὸ κάρνον ἡγήσασθαι τοῦ στρατοῦ. ὃν οἱ Ἡρακλεῖδαι ἀπέκτειναν ἀπερχόμενον εἰς Πελοπόννησον, ὑπολαβόντες κατάσκοπον εἶναι τοῦ στρατεύματος: ὃν ὕστερον ἐπέμψαν ὑπὸ λοιμοῦ φθειρόμενοι. Ἄλλως. Περάξιλας μέν, ἀπὸ Καρνείου φησὶν ὀνομασθῆναι τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης υἱοῦ, ὃς ἐν ἐρῶμενος τοῦ Ἀπόλλωνι. ἀλλαχοῦ δέ, ἀπὸ Καρνέου τινὸς Τρωϊκοῦ. Δημήτριος δέ, ἀπὸ τοῦ κεραΐναι ὅ ἐστι τελέσαι. Φησὶ γάρ, ὡς ὁ Μενέλαος στρατεύσας εἰς Ἴλιον, ἠύξατο τιμῆσαι αὐτὸν ἐὰν κεραΐνῃ. Ἄλλως: Κάρνεα ἑορτὴ ἐστι διὸς καρνείου ὀνομαζομένη. Παρ' Ἕλλησι δὲ τελεῖται, διὰ τὸ τὸ δόρειον ἵππον, ἐκ Καρνείης εἶναι ξύλου. Carneorum origo.

Porrò de Carneorum seu Carniorum festo & sacro Athenæus quoque libro 4. ex De- Carneorũ ritus

metrio Sceptio plura scripsit, moremq; in eo seruatum retulit. Nouem dies us celebrabatur, καὶ μίμημα ἦν στρατιωτικῆς ἀγωγῆς, hoc est, speciem præ se ferebat militaris cuiusdam conuictus, seu vitæ atque instituti. Τόποι enim, id est, loci nouem numero erant (sic enim σκιάδες, hoc est, vmbraculæ ab illis vocabantur) scenis simillimi: in quibus singulis viri nouem cœnabant, delecti ex trinis φρατρίαις seu tribubus: ibiq; facilis ac sine lautitia, militarem in modum, conuictus fuit, & sub quodam imperio, vt in castris mos est fieri. Quæ omnia per præconem ex mandato pronuntiabantur.

Huic festo igitur simillima fuit Iudæorum solennitas Tabernaculorum, de qua libro superiore plura diximus. Et ab eo Saturnaliorum illa festiuitas apud Romanos originem traxisse videtur.

In Ludis verò Carneis primum omnium palmam reportasse Terpandrum, Athenæus lib. 14. ex Hellanici τοῖς καρνεονίκαις ἐμμέτροις indicat. Tales dicebantur Καρνεονίκαι: sicut Καρνεάται, Hesychio teste, οἱ ἄγαμοι, πεκλημμένοι ὃ ὅτι τῷ τῶ Καρνείᾳ λειτουργίαν. Quinque autem ex vnaquaque tribu hanc liturgiam obibant quatuor annorum spatio.

Carnea quando instituta.

Instituta hæc festa Athenæus eodem libro cap. 14. ex libro de Tempore Sosimi refert, Olympiade 26. Hieronymum autem asserere, ait ibidem, in libro de Citharœdis, qui de poetis sit quintus, qui Lycurgi legislatoris temporibus floruerunt, Terpandrum, qui primus omnium in his ludis vicerit, eum fuisse, ὃς ὑπὸ πάντων συμφώνως ἰσορρήτως μετὰ τῶ Ἰφίτου τῶ Ἠλείου τῷ πρώτῳ ἀριθμηθεῖσαν τῇ ὀλυμπίων θέσιν ἀγαθεῖται, hoc est, qui ab omnibus vna voce prædicetur cum Iphito Eleo primam Olympiorum positionem connumeratam constituisse.

LVSTRATIO ATHENARVM.

LAertius lib. 2. in Socratis vita circa finem testis est, sexta die mensis Θαργηλιῶνος Athenienses suam vrbem lustrasse. Et quia Gyraldus Syntagmate 17. de Dijs refert, Athenienses mense Thargelione duos homines immolasse, vnum pro maribus, alterum pro fœminis, hosq; Pharmacos, id est, medicos vocasse, & saginatos in custodia publica asseruasse, adducor vt hac ipsa die lustrica eos hoc sacrificium peregisse credam. Fuit enim hic mos apud plurimas olim gentes, vt quotannis deligerentur aliqui, quorum capite omnia ciuitatis aut gentis alicuius scelera luerentur, quiq; ad auertendam Deorum iram mactarentur, quos non solùm φαρμακούς, sed & καθάρματα vocarunt. Vnde Suidas, ὑπὲρ καθαρισμοῦ πόλεως ἀνήρουν ἐξολισμῷόν τινά, ὃν ἐκάλουν κάθαρμα. Meminit huiusce consuetudinis & Herodotus lib. 7. Ad hunc morem respexisse Paulus videtur 1. Cor. 4. inquiens: ὥσπερ καθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν: his enim verbis sic Apostolum dicere voluisse Budæus rectè existimat, Nos tanquam piacula mundi facti sumus, & succidaneæ pro populo victimæ. Vel, Non minus apud gentium vulgus detestabiles sumus, quàm illi, qui diris execrationibus onerati atq; obruti, pro salute publica abijci olim solebant.

Pauli locus explicatur.

Dies hic Græcis auspicatissimus.

Fuit præterea hic dies, ob prosperiorem euentum rerum, veteribus non Athenensibus modò, sed & alijs auspicatissimus, vt scribit Cœlius Rhodig. lib. 17. cap. 30. Illud enim felicitatis argumentum sanè primum, & magnum quoque, quòd hominum sapientissimus Delphico quoque oraculo iudicatus, eo in vitalem prodijsse lucem Socrates narratur. Sic nanque Plutarchus lib. 8. Sympos. ἕκτῃ Θαργηλιῶνος ἱσταμένου τῶ Σωκράτους ἀγάγοντες γενέθλιον. Sic etiam Laertius lib. 2. in Socratis vita circa finem scribit, Socratem natum anno 4. Olympiadis 77. Thargelionis die sexto. Deinde eodem die Persæ ad Artemisium superati, eorumque afflicta potentia est, Æliano lib. 2. cap. 25. variæ historiæ autore: qui etiam testatur, eo nomine Athenienses receptum fuisse Dianæ τῇ ἀγροτέρᾳ capras trecentas immolare, voti Miltiade damnato. Rursum apud Plataas prælio nobili superata gens eadem hoc ipso die. Quin & Persis esse fatalis quodammodo dies hæc visa, quando ea quoque ab Alexandro Darij traduntur concisæ opes.

BEN ΔI=

ΒΕΝΔΙΔΙΑ.

Βενδίδια *festum quoddam erat celebratum ab Athenienſibus in Piræo portu, vt Proclus annotauit, in honorem Dianæ ſeu Lunæ, quam Thraces* Βένδιν *ſua lingua vocabant, teſte Palephato, Heſychio, Suida & Phauorino. Lucianus inter barbarorũ deas hanc refert, apud quem ſcribitur paroxytonως* Βενδίς, *in Ioue tragœdo. Adrianus Iunius in ſuis Faſtis ponit eius feſtum ad diem 19. menſis Aprilis: Reuſnerus autẽ in aucto Calendario Attico & Romano Gyraldi ad 14. Cal. Iunij. Meminit eius Plato Politic. 1. ſub finem his verbis:* Τάυτα δ' ἤδη σοι εἰσιάδων ἐν τοῖς Βενδίδ εἴοις; *Nam feſtum hoc &* Βενδίδεια *appellant plurali numero.*

ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΔΗΜΗΤΡΟΣ hoc eſt, Myſteria Cereris quæ & Eleuſinia ſacra dicuntur.

Myſteria Cereris & Theſmophoria differũt

Μυστήρια *Cereris, quæ &* Sacra Eleuſinia, *diuerſa ſunt à* Theſmophoriis, *licet hæc quoque* Μυστήρια Δήμητρος *& ab Heſychio & Suida dicantur, ac vtraq; vnam & eandem originem habeant. Nam illa Eleuſine, hæc autem Athenis facta ſunt, etiam poſt bellum inter Eleuſinios & Athenienſes, quod inter alias conditiones hac quoque confectum eſt, vt Eleuſinij alijs in rebus obtemperarent Athenienſibus, Myſteria verò Cereris, ſoli & ſeorſim adminiſtrarent: deæ autem vtrique Eumolpus & Celei filiæ ſacra peragerent, Pauſania authore. Deinde Eleuſinia ſacra à viris & mulieribus ſimul celebrata eſſe animaduertimus. Hercules alioquin his ſacris initiari non petiiſſet. Quamuis autem morem ei non geſſerint, non tamen hoc ideò factum legimus, quòd viris intereſſe his ſacris non liceret, ſed quia lege caueretur, ne peregrinis ea impartirentur. Theſmophoria verò à ſolis mulieribus obſeruata, ſuo loco indicabitur. Ad hæc Theſmophoria cum luctu & ieiunijs ſeruabantur, propter filiæ deperditæ memoriam, luctum item in quo tum fuit Dea, & abſtinentiam eius ab omni cibo & potu. Eleuſinia verò myſteria cum luſu & lætitia quadam fiebant, ob monſtratam frumenti ſationem, vt Gyraldus indicat de Dijs Syntag. 13.*

Myſteria Cereris duplicia.

Fuerunt autem duorum generum, Magna, *&* Parua. *Cereri ſacra erant Magna, Proſerpinæ Parua, Cælio teſte lib. 16. cap. 9. L. A.*

ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΔΗΜΗΤΡΟΣ μεγάλα.

Myſteriorum Cereris magnorum origo

Magna Cereris Myſteria *ſeu* Eleuſinia ſacra *inſtituit, vt Lactantius Grammaticus refert, Triptolemus Celeus Eleuſinis regis filius. Et Seruius in Vergilij lib. 1. Georgic. inquit, Eleuſin ciuitas eſt Atticæ prouinciæ, non longè Athenis: in qua quum regnaret Celeus, & Cererem, quærentem filiam Proſerpinam, à Plutone raptam dum flores legeret, liberaliſſimè hoſpitio ſuſcepiſſet, illa pro munere oſtendit ei omne genus agriculturæ, filium etiam eius Triptolemum, recens natum, per noctem igne fouit, per diem lacte diuino nutriuit: & alatis eum draconibus ſuperpoſitum, per totum orbem miſit, ad vſum frumentorum hominibus indicandum. Ille contrà, vt gratum ſe ac memorem tanti beneficij accepti præberet, templum ei Eleuſine extruxit, & hæc ſacra inſtituit. Vnde etiam Iuſtinus lib. 2. ſcribit, frumenti ſationem à Triptolemo repertam eſſe, & in eius muneris honorem noctes initiorum ſacratas. Hinc & Arnobius lib. 5. contra Gentes, Eleuſinia, inquit, illa myſteria, & ſacrorum reconditi ritus, cuius memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquiſitione Ceres feſſa, oras vt venit ad Atticas, triticeas attulit fruges? Confirmat horum ſententiã Homerus: is enim enumerans, quos Dea myſteriorum ſuorum rationem edoceuerit, ſic inquit:*

Triptolemo oſtendit, bellatoriq; Diocli,

Eumolpo, & Celeo, populos qui flectere nouit,
Sacra ministerijs, hisq; omnibus Orgia dixit.

2. *Herodotus in Euterpe non à Triptolemo, vel alio aliquo Græcorum, initium habuisse scribit hæc mysteria, sed ex Ægypto primùm à Danai filiabus delata fuisse, ijsq; Pelasgicas mulieres imbuisse. Sed deinde omni Peloponneso à Doribus ejecta sedibus suis, hæc mysteria, huncq; initiandi ritum abolitum, & à solis Arcadibus, qui è Peloponneso non ejecti fuerant, conseruatum.*

3. *Diodorus Siculus lib. 1. tradit, Erichtheum Ægyptium, quum maxima siccitas omnem ferè orbem, præter Ægyptum, peruasisset, vnde ingens frugum hominumq; pernities sequuta, attulisse ex Ægypto propter cognationem Athenienſibus frumentum, ob idq; beneficium eis regem constitutum, docuisse Athenienses ceremonias ac mysteria Cereris Eleusiniæ ab Ægyptijs translata.*

4. *Alij ad Eumolpum Ægyptium horum sacrorum originem referunt: & iccirco Eumolpidas etiam, horum sacrificiorum sacerdotes, ex Ægypto traductos Diodorus indicat: quarum etiam Æschines meminit contra Ctesiphontem, & Sophocles in Oedipode:*

ὧν καὶ Χρυσέα	*quorum & aurea*
Κλῆις ὅπῃ γλώσσα βέβακεν	*Clauis in lingua*
Πεσσπόλων ἐυμολπιδᾶν	*Sacerdotum Eumolpidarum.*

Vtebantur autem Sacerdotes isti in his sacris vestibus albis.

Mysteriorum M. Cereris ritus.

Facibus verò & tædis hæc mysteria agebant accensis, Cererem repræsentantes, quæ facibus ex Ætna Siciliæ monte accensis, Proserpinam per vniuersum terrarum orbem quæsiuit: impositio calatho cum sacris abditis in curru, cistophoris vnà prodeuntibus. De quibus & alijs ita Claudianus in raptu Proserpinæ:

Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus, & claram dispergere lumine lucem,
Aduentum testata Dei: iam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumq; remugit
Cecropidum, sanctasq; faces extollit Eleusis.
Angues Triptolemi stridենt, & squammea curuis
Colla leua attrita iugis, lapsuq; sereno
Erecti roseas tendunt ad carmina cristas.

Virgines autem cistas opertas ferentes Canepheræ, & Cistipheræ dicebantur: in quarum altera flores erant, in altera spicæ: per illos ver, per has æstatem significantes. Theodoritus verò in his muliebrium naturam delatam scripsit: alij alia tradiderunt.

Coronas etiam, vel serta spicea ex frugum primitijs Deæ offerebant in hoc sacro.

Certamen quoq; celebre in eo agebatur, cuius & Pindarus in Isthmijs, nec semel Commentatores eius meminere: in quo victores corona hordeacea ornabantur: hinc & Actæa Ceres interdum nuncupata est: Vnde Papinius:

Tuq; Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votiuam taciti lassamus lampada mystæ.

Mysteria Cereris non euulgata.

Hæc pauca ferè de horum mysteriorum ceremonijs & ritibus apud authores Ethnicos extant, quũ plura alia in ijs pertractata sint. Sed ea tam fuerunt arcana & secreta, vt vulgò prouerbiũ iactaretur in secretos & tacitos Αἰνικοὶ τὰ μυστήρια. Et Aristophanes in Nebulis ἄῤῥητα ἱερά, hoc est, non euulganda sacra nominat. Pausanias quoque retulit, somno se monitum, ne ea explicaret. Et Iustinus dixit Mysteria Cereris nulla alia re magis quàm silentio sacra fuisse. Putarunt aliqui, Orpheum fulmine ictum concidisse, quòd arcana initiorum profanis & rudibus hominibus diuulgasset. Numenius Philosophus offensam pertulisse numinum dicitur, quòd sacra Eleusinia interpretando vulgauerit. Visum enim fuit ei in somnis videre Deas ipsas habitu meretricio in fornice prostantes. Id quum mirabundus quid esset, percunctatus fuisset, ei responsum fuit, Deas per scripta eius, ab ipso pudicitiæ aditu vi

abstractas,

abstractas, ante apertum lupanar omnibus passim adeuntibus prostitui; quia sacra sua, quæ secreta esse voluerint, altius rimari, & intrinsecus perscrutari conatus, publicauerit atque vulgauerit. Vnde Horatius in Carminibus dixit, se vitaturum ne sub eodem tecto sit, qui Cereris sacrum vulgauerit. Et Apuleius de his sacris scribens, inquit: Dicerem, si dicere liceret: cognoscerem, si liceret audire: sed parem noxam contraherent aures & linguæ illæ temerariæ curiositatis. Quocirca capitale fuisse legimus hæc arcana proferre. Hinc Aristoteles Ethic. 3. narrat, Æschilum poetam ad Areopagum in iudicium vocatum fuisse, quòd in sua poesi arcana Cereris ædidisset. Alcibiadem etiam simili de causa ab Athenienſibus condemnatum & morti addictum historici prodiderunt.

Ritus Mysteriorum Cereris vestigia.

Extant verò apud primitiuæ Ecclesiæ Doctores horum arcanorum non obscura vestigia. Gregorius Nazianz. in Serm. Epiphaniorum, Neque nobis, inquit, virgo aliqua rapitur, nec Ceres vagatur, nec Celeos aliquos inducit, & Triptolemos, & dracones: & hæc quidem facit, & hæc patitur: pudet enim me per diem dare noctis sacrificium, & pudorem facere mysteriorum. Augustinus in Quæstionibus vtriusq; Testamenti ait: Nihil apud nos in tenebris vel occultè geritur. Omne enim quod honestum scitur, publicari non timetur. Illud autem quod turpe est & inhonestum, prohibente pudore non potest publicari. Quamobrem Pagani mysteria sua in tenebris celebrant, vel in eo prudentes. Erubescunt enim palàm illudi: piacula enim, quæ illic vice legis aguntur, nolunt manifestare, ne qui prudentes se dicunt, hebetes his videantur quos stultos iudicant. Sed ne fortè hinc illis stulti videamur, quia lex nostra castitatem, misericordiam, pietatem, continentiam prædicat: apud illos enim hæc stulta sunt, quia omnis bonus malo malus est, & prudens stulto insensatus est. Nam in tantum castitatem execrantur, vt etiam cinædis delectentur, magisterio eorum subiecti, qui nisi tales fuerint, idonei non erunt ipsi, si dicendum est, religioni. Propterea enim abscinduntur & habitum immutant, vt de viris quasi fœminæ fiant, & circa naturam subiecti muliebria patiantur, & tunc demum apti & digni sint ministri superstitionis illorum. Nunquid accusari potest huiusmodi quem lex facit talem? Ideò enim amisso viri & actu & habitu in mulierem transformantur, vt muliebria libenter patiantur. Quæ ergo putantur esse mysteria, vbi de honesto inhonestum fit, & de incorrupto corruptum, cùm hic sit verè cultus religionis, qui de turpibus honestos facit, de indisciplinatis modestos? Quomodo cultores eius æmuli possunt esse bonæ vitæ, quando mysteria legis eorum sine cinædis celebrari non possunt? Hæc omnia Augustinus.

Mysteria Cereris in magna authoritate fuerunt.

Et tamen in tanta authoritate primis illis temporibus Eleusinia hæc sacra fuerunt, vt profanum & scelere aliquo pollutum admiserint, suo quidem arbitratu, neminem. Inde Catullus:

Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.

Tanti eadem existimabantur, vt illis initiari Hercules præoptauerit, quam rem tamen minimè est assequutus. Sophocles etiam his versibus

——— ὡς τρισόλβιοι
Κεῖνοι βροτῶν, ὅσι τάδ' ὄρχ' ἐλθόντες τέλη
Μολῶσ' ἐς ἅιδου. Τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ
Ζῆν ἔστι. Τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

Plurimos ea superstitione implere conatus est, tanquam initijs horum sacrorum, quamuis sceleratissimi essent, sanctiores dijsq; gratiores effici possent. Rectius Diogenes, quum simile quid audiuisset: Meliore ergo, ait, conditione erit Patæcion fur, quia initiatus est, quàm Epaminundas, vir cætera optimus, nisi quòd non est mysterijs istis imbutus: vt refert Plutarchus in libro De audiendis poetis.

Mysteria Cereris pluribus diebus celebrata.

Celebrabantur autem quotannis Eleusine non vno, sed pluribus diebus: ex quibus vnus, & fortasse primus Μεῖζον dicebatur, vt mihi quidem ex hac coniectura videtur. Propè Cereris Eleusiniæ templum Πτέρωμα fuit factum. Vocarunt ita duos insigni magnitudine lapides inuicem coaptatos. Quotannis autem festum cùm celebrarunt, quòd Μεῖζον appella-

Μεῖζον quid.

runt, lapides hos aperuerunt, libellosq; depromserunt quibus celebrandorum Mysteriorum modus fuit præscriptus. Hos, audientibus sacerdotibus, vt perlegerunt, noctu in locum priorem reposuerunt. Huius Πτερώματος operculum rotundum fuit, & inclusam habuit imaginem seu faciem: eam ὐν τῇ μείζονι καλαθίσκῃ τελευτῇ, postquam accommodauit sibi sacerdos, indigenas ex quadam religione virgis cecîdit, vt Pausanias in Arcadicis indicat. Sed Lectori liberum hac de re iudicium relinquo.

Πλημοχόη quid.

Postremum certè diem horum Mysteriorũ Πλημοχόας appellarunt, à πλημοχόη, quod fuit vas fictile ad turbinis figuram accedens, leuiter in fundo compressum, vt Eustathius indicat. Eo vtebantur in his mysterijs nouissimo die. Sic enim Athenæus lib. 11. cap. 15. ex Pamphilo de eo loquens, ait: Χρῶνται τούτῳ τῷ σκεύει ἐν Ἐλευσῖνι τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ, ἣν καὶ ἀπ' αὐτοῦ προσαγορεύουσι πλημοχόας: ἐν ᾗ δύο πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολὰς, τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνισταμένους, ἀνατρέπουσί τε ὑπολέγοντες ῥῆσιν μυστικήν: id est: Vtuntur hoc vase vltimo die sacrorum in Eleusine, quod inde Plemochoam vocant: in quo duas Plemochoas implentes, alteram ad orientem, alteram ad occidentem constituentes, conuertunt se, sacramq; orationem dicunt. Sic etiam Hesychius, τῇ ὑστεραίᾳ, ait, ἡμέρᾳ τῶν μυστηρίων κοτυλίσκας πληροῦσιν, ἃς καλοῦσι πλημοχόας.

Pheneatæ & Celei etiam Cereris mysteria celebrarunt.

Pheneatæ quoq; ijsdem ritibus, quibus Eleusinij, hæc mysteria celebrarunt. Naum enim dixerunt ex oraculo Delphico eò venisse: eum autem tertium ex posteris Eumolpi fuisse, vt Pausanias in Arcadicis indicat.

Celeis verò, quæ vrbs est Peloponnesi, non singulis, sed quarto quoq; anno hæc mysteria obseruarunt, & Dysaulem Celei fratrem in Phliasiorum agrum profectum hos mysteriorum ritus instituisse, idem in Corinthiacis author est.

Mysteria Cereris M. Veris tempore celebrata.

Agi autem hæc mysteria fuisse solita Veris tempore, & quidem Thargelione mense, qui partem Aprilis, partem etiam Maij nostri sibi vendicat, ex multis coniecturis colligitur. Nam primò, Verno tempore raptam Proserpinã dum flores legeret, & quæsitam à Cerere omnes dicunt. Deinde supra ostendimus, in certaminibus horum sacrorũ victores corona hordeacea ornatos. Hordeum autem mense Maio, & aliquibus in regionibus Aprili quoq; maturescit. Tertiò, Ouidius lib. 10. indicat, in ijs coronas, vel serta spicea ex frugum primitijs Deæ oblatas. Quartò, quum Gyraldus Syntag. 13. ostendisset, ieiunia in Thesmophorijs ob perditam Proserpinam in Cereris honorem instituta, mox addit, ideò verno tempore cum lusu & lætitia virides herbas eidem obtulisse, quasi quòd filiam mater reperisset, vbi de his tantum mysterijs loquitur. Quintò, Fulgentius in Mythologico, Hanc, inquit, Proserpinam mater Ceres cum lampadibus raptam quærere dicitur: vnde & lampadum dies Cereri dedicatus est, illa videlicet ratione, quòd hoc tempore cum lampadibus, id est, cum Solis feruore seges ad metendum cum gaudio requiratur.

Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 18. dicit, Iunio mense hæc mysteria Cereris celebrata. Sed difficile est dicere, qua mensium Atticorum applicatione ad Iulianos hic author vsus fuerit. Nam libro eodem cap. 24. extant quædam mensium diuersorum nomina adeò ineptè cum nostris collata, adeoq; corruptè & confusè, vt eum ne nomina quidem Atticorum mensium, nedum seriem & applicationem tenuisse appareat: nisi forsan ab alijs corruptus sit ille locus.

ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΔΗΜΗΤΡΟΣ
μικρά.

Mysteriorum Cereris paruorum origo.

PArua Cereris Mysteria hac occasione instituta sunt. Ab Athenienfibus petebat Hercules, vt Magnis sibi initiari liceret. Id verò Eumolpi prohibebatur lege, vt Pausanias ait, qua cauebatur, ne peregrinis, sed indigenis tantum impartirentur hæc mysteria. Atilli & viri insignem admirati virtutem, & omnium capacem animum, simul etiam amicitia permoti, quæ vetus ferè ciuitati cum eo intercedebat, simul quòd Iouis filius esset, diceretur q;,

ne quid

ne quid abnuerent, cui nihil negatum vellent, rationem inierunt, qua nec legi derogaretur quicquam, & nihilominus compotem voti Herculem facerent. Protinus nanq; Parua instituere Mysteria in honorem Proserpinæ, quibus & illum initiarunt.

Obseruatum in his Mysterijs, vt quam quis, dum initiaretur, vestem fortè gestasset, Mysteriorum horum ritus. *eam ne vnquam exueret, donec victa tempore fieret omninò ingestabilis. Hinc datus adagio locus, Vestimenta initiatorum, de ijs quæ attrita prorsus sunt, nullaq; temporum vicissitudine variantur: vide Cælium lib. 16. cap. 9. L. A. In alijs Mysterijs obseruatus mos, vt vestem, in qua aliquis initiatus esset, templis & numinibus dicaret, vt testatur Melanthius in libro De Mysterijs, πάτριον ὄζι ταῖς θεαῖς ἀνιτρὸν καὶ τὰς στολὰς τοῖς μύσταις, ἐν αἷς τύχειν μυηθέντες: ex quibus stolis nonnulli puerulorum fascias magna religionis opinione confecerunt: authore Cælio eodem loco, & Alexandro ab Alexand. lib. tertio, capite decimo octauo.*

Fuerunt autem hæc Parua magnorum Mysteriorum velut προκάθαρσις καὶ προάγνευσις, id est, prælustratio quædam ac præuia depuratio, vt Cælius modò citato loco indicat. Vnde simul intelligitur, ante Magna, sed non diu hæc Parua celebrata esse. Mysteria parua Cereris fuerunt quædam præparatio ad Magna.

ΠΛΥΝΘΗΡΙΑ.

Athenis die 25. Θαργηλιῶνος, vt P. Eberus in suo Calendario historico refert, festum Πλυνθήρια Plyntheria *nuncupatum, celebrabatur teste Hesychio in honorem Aglauræ filiæ Cecropis primi Athenienſium regis: de qua Ouidius lib. 2. Metamorph. fabulatur, quòd quum Mercurio Herſen ſororem ſuam adamanti accepta pecunia operam ſuam pollicita eſſet, poſtea verò inuidia correpta, limen ingredienti pertinaciter reſtitiſſet, in ſaxum conuerſa ſit. Meminit huius feſti Xenophon Hellenicôn lib. 1. vbi etiam dicit, in eo Mineruæ templum claudi fuiſſe ſolitum, propterea fortaſſe quòd ob iram eius triſtis hic caſus Aglauræ euenisſet. Verba Xenophontis de reduce Alcibiade hæc ſunt:* Κατέπλευσεν εἰς τὸν Πειραιᾶ ἡμέρᾳ ἡ Πλυνθήρια ἦγεν ἡ πόλις, τὸ ἔθος κατακεκαλυμμένῳ τῆς Ἀθηνᾶς: *quæ Plutarchus in eiuſdem Alcibiadis vita ſic retulit,* ἡ γὰρ ἡμέρα κατέπλευσεν, ἐν ᾗ τὰ Πλυνθήρια τῇ Θεῷ. Plyntheria in cuius honorē celebrata.

Gyraldus de Dijs gentium Syntagmate 17. de hoc feſto ſic ſcribit: Plyntheria feſta erant Cereris, qui dies inter nefaſtos repoſiti fuerunt. Scribit Pollux lib. 8. in Plyntherijs à Solone permiſſum tria iurare numina, Iceſion, Catharſion, & Hecaeſterion, quæ ſunt Iouis cognomina: hoc eſt, ſupplicem, expiatorem & depulſorem. Refert idem author ex Xenophonte, in hoc feſto aliquid omninò facere piaculum fuiſſe, in ſumma etiam neceſsitate. Cælius lib. 14. cap. 9. Antiq. Lect. de Plyntherijs loquens, dicit, Athenienſes Orgia Praxiergidæ Februario menſe (nam ipſe, vt ſupra diximus, Thargeliona non pro Aprili agnoſcit) ritu arcano, deiecto prorſum templi vniuerſo ornatu, & obtecto ſimulachro, obire. Plyntheriorū ritus.

ΚΑΝΗΦΟΡΙΑ.

Agebant Athenienſes Κανηφόρια Canephoria *in honorē Bacchi: eorū ritū his verbis Demarchus in carminibus Dionyſiacis deſcribit,* κατὰ τὸν τῶν Διονυσίων ἑορτὸν παρὰ τοῖς παλαιοῖς Ἀθηναίοις, αἱ εὐδινεῖς παρθένοι τότε πρῶτον ἠβῆσαι ἐκανηφόρουν. ὧν ὁ ἐκ χρυσοῦ καθαροῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων τῶν καρπῶν ἐτίθεσαν. *Per feſtum Dionyſij diem, qui apud antiquos Athenienſes agebatur, Virgines agiles, quæ ad pubertatem accederent, tum primùm caniſtros ferebant, qui erant ex puro auro: in quibus erant fructuum omnium primitiæ impoſitæ. Non defuerunt tamen, qui non in honorem Dionyſij, ſed Dianæ, Canephoria inſtitutæ crediderint, cùm dicerent, virgines nubiles per ea ſacra caniſtros earum rerum, quas pulchriores acu laboraſſent, plenos Dianæ conſecrare ſolitas: atque ita ſignificaſſe, ſe prioris vitæ, virginitatis q; pertæſas, ex-* Canephoria in cuius honorē celebrata, eorumq; ritus.

autorari cupere, vt asseruit Dorotheus Sydonius: quæ sacra celebrabantur sub finem mensis Aprilis, vt habet Natalis Comes lib. 5. cap. 13. Mythol.

CAPVT XIIII.

Festa quæ mense APRILI à Romanis sunt celebrata.

CALENDAE APRILES.

Ritus Calend. Aprilium. 1.

CALENDIS April. matronæ abluebant Romæ simulachrum Veneris, cui & sacrificabant simul cum floribus & myrto. Id Ouidius lib. 4. Fastorum his verbis indicat:

Ritè deam colitis Latiæ matresq́, nurusq́,
Et vos quîs vittæ, longaq́, vestis ades&c.
Aurea marmoreo redimicula demite collo,
Demite diuitias: tota lauanda Dea es&c,
Aurea siccato redimicula reddite collo:
Nunc alij flores, nunc noua danda rosa es&c.

2. Mulieres etiam apud templum Fortunæ virilis, quod erat in ripa Tiberina, myrto coronatæ hoc ipso die sacrificare & lauari consueuerunt: quod Ouidius indicat, sic canens lib. 4. Fastorum.

Vos quoque sub viridi myrto iubet ipsa lauari:

Refert etiam Plutarchus in vita Numæ. Causam huius ritus idem poeta eodem loco his verbis commemorat:

Causaq́, cur iubeat, discite, certa subes&c.
Littore siccabat sudantes rore capillos,
Viderunt Satyri, turba proterua, deam.
Sensit, & opposita texit sua tempora myrto,
Tuta fuit facto, vosq́, referre iubet.
Discite nunc quare Fortunæ thura virili
Detis eò, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Vt tegat hoc, celetq́, viros, Fortuna virilis
Præstat, & hoc paruo thure rogata facit.

Non ineptè igitur Fortunæ virilis sacra Veneris festo iungebantur, hæc enim pulchritudinem præstat, illa custodit, facitq́, vt non appareant, quæ violare pulchritudinem possunt.

MEGALESIA, Seu Magnæ matris Deûm festum.

Megalesia quo die celebrata.

NOnis Aprilibus Romæ Matri deûm seu Magnæ Matri celebrarunt festum, quod & Megalesia appellatum fuit, à Cicerone verò, Sacra Idæa, in Catone maiore. Testatur hoc etiam Ouidius lib. 4. Fast. quum enim ortus Pleiadum meminisset, quid fit secunda die Aprilis, hoc es&c, 4. Non. subiungit:

Ter sine perpetuo cœlum versetur in axe,
Ter iungat Titan, terq́, resoluat equos:
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.

Liuius tamen lib. 9. Decad. 3. ad Pridie Idus Aprilis refert Megalesia. Et Lazius lib. 10. cap. 5.

cap.5.de Rom. Repub. testatur,se inuenisse,ludos Megalesiacos cum pompa & solennitate quotannis ab initio Aprilis celebratos Romæ per septem dies. Herodianus in Commodo,& ex eo Alexand.ab Alexand.lib.6.ca.19.Veris initio,quod idem est, hos ludos factos dicunt.

Magnæ autem Matris,& Matris Deûm nomine Terram intelligi debere Orpheus docuit,sic canens de illa: Magna mater quæ.

Μήτηρ μέν τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων: id est,
Hæc vna est materq; hominum,materq; Deorum.

Idem tamen Orpheus,autore Diodoro, Terram omniũ matrem dixit,quòd diuitias & opes largiatur: vel, quòd remedia multis non modò pecorũ,sed & hominum,imprimis puerorum morbis excogitarit. Seruius Grammaticus Matrẽ deûm appellari putat, quòd ipsa sit ex ijs dijs,qui ἀΐδιοι dicuntur:hoc est,qui cæli certas non habent partes,sed generatim ab omnibus colũtur. Dicitur & Mater Phrygiæ,à monte Phrygiæ,quẽ plurali numero Dindyma vocãt:in eo sacra sibi per Corybantes instituit:à quo dea Dindyme,& Dindymine à nõ nullis vocata fuit,autore Strabone. Diod. Siculus tamen à nomine matris sic dictam innuere videtur,quæ Dindymine vocata sit. Idæa Mater etiã appellata fuit,à monte Ida. Et Pessinuntia,à Pessinunte Phrygiæ emporio in quo culta. Cybele quoq; dicta fuit,à Phrygiæ monte,vbi antra & thalami huius deæ ferunt,qui dicebatur Κύβελα,vt Hesychius & Stephanus scribunt: vt verò Strabo, ab oppido, in quo eius sacra primo fuerunt instituta: Seruius autẽ & Festus, ἀπὸ τῆς κύβεσθαι τῷ κεφαλῷ,hoc est,à rotatione capitis,quod proprium fuerat eius deæ sacerdotum. Addit Seruius in tertio, alios dicere, Cybelum sacerdotem eius deæ primum fuisse,& ab eo Cybelem dictam. Item Berecynthia,à monte Phrygiæ,qui Βερέκυντος appellatur. Rhea quoq;,ἀπὸ τοῦ ῥέω fluo, quòd terra affluens sit omnium rerum. Et Pales,quòd sit pabulorum dea.

Quando verò & qua occasione hæc sacra Romã ex Phrygia translata sint Liuius tradit li.9.Decad.3.Eo tempore quo Hannibal Italiã vexauit,inspectis fortè libris Sibyllinis,propter crebrius eo anno de cælo lapidatum,carmen inuentum est,pelli posse Italia,vinciq; alienigenam hostem,si matris Idææ numen Pessinunte Romam deportatum esset. Quod Silius his versibus testatur: Mater deûm & eius sacra quando Romã translata.

Hostis vt Ausonijs discederet aduena terris
Fatidicæ fuerant oracula prisca Sibyllæ,
Cælicolûm Phrygia genetricem sede petitam
Laomedonteæ seruandam mœnibus vrbis.

Hoc carmen à Decemuiris inuentum eò magis patres mouit,quòd & legati,qui donum Delphos portauerant,referebãt,& sacrificantibus ipsis Pythio Apollini,omnia læta exta fuisse, & responsum oraculo editum, maiorem multo victoriam, quàm cuius ex spolijs dona portarent,adesse populo Romano. Vnde placuit,vt quinq; legati ad regem Attalum mitterentur, M.Valerius Leuinus,qui bis Consul fuerat,ac res in Græcia gesserat,M.Cæcilius Metellus Prætorius,Sulpitius Galba ædilitius,duo quæstores Cn, Tremelius Flaccus & M.Valerius Falco. Hi cum quinq; quinqueremibus Asiam petentes, ab oraculo Delphico responsum acceperunt,compotes se per regem Attalũ eius rei fore,quam peterent: Sed quum deam deuexissent,tũ curarent,vt eam qui vir optimus Romæ esset,hospitio exciperet. Legati cùm Pergamũ ad regem se contulissent,Attalus eos humaniter excepit,& Pessinuntem in Phrygiam deduxit,vbi Cybeles colebatur,sacrumq; eis lapidem,quem matrem Deûm incolæ esse dicebant,tradidit,ac deportare Romam iussit. Præmittitur Falco, qui ferri deam nunciaret,moneretq; ex oraculo Delphico à viro optimo excipiendam esse. Habita sunt Comitia,in ijs Patres conscripti P.Scipionem,eius filium,qui in Hispania occiderat,adolescentem nondum quæstorium,iudicauerunt in tota ciuitate virum optimum esse. Is cum omnibus matronis Hostiam ire iussus obuiam deæ,eamq; de naui accipere,& in terram delatam tradere referendam matronis. Posteaquam nauis ad ostium amnis Tyberini accessit,sicut erat iussus, in salũ naue euectus,à sacerdotibus Deam accepit,extulitq; in terram. Matronæ primores

ciuitatis, inter quas vnius Claudiæ Quintæ insigne est nomen, accepere. Cui dubia, vt traditur, antea fama, clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Et per manus succedentes deinde aliæ alijs, omni effusa ciuitate obuiam, thuribulis ante ianuã positis, qua præferebatur, atq; accenso thure precantibus, vt volens propitiaq; vrbẽ Rom.am iniret, in ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulere deam, pridie Idus April. isq; dies festus fuit. Populus frequens dona deæ in Palatio tulit, lectisterniumq;, & ludi fuere Megalesia appellata. Paulus Marsus in suis ad libros Fastorum Ouidij Commentarijs putat, corruptũ esse hunc locum Liuij, & legendum esse pro, Pridie Id. April. Nonis Aprilibus, quum Ouidius, qui non tam facilè potuerit deprauari, diserte Nonis April. hoc festum celebratum referat. Ego verò mendum nullũ esse in Liuio arbitror: & facilè authores ambo conciliari possunt. Matronæ enim, iuxta Liuium, deam in ædem Victoriæ pertulerunt, Pridie Id. Apriles, qui dies festus fuit. Hoc dupliciter intelligi potest: vel enim dies ille tũ festus fuit Victoriæ deæ: vel festus fuit deæ Phrygiæ vsq; ad dedicationem templi in honorem eius extructi. Nam postea dedicata æde Matri deûm Romæ, festum eius constat ad Nonas mensis translatum: nihil enim fuit tam celebre apud Romanos, quàm dedicationis dies. De dedicatione verò illa idem Liuius lib. 6. de Bello Maced. ita scribit: Per idem ferè tempus ædes Matris magnæ Idææ dedicata est. Locauerat ædem faciendam M. Liuius. C. Claudius Censores, M. Cornelio, T. Sempronio Coss. Tertiodecimo anno, posteaquam locata erat, dedicauit eam M. Iunius Brutus, ludiq; ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos fuisse Antias Valerius est author, Megalesia appellatos. Hæc Liuius: cum quibus consentit Varro lib. 3. de Lingua Latina. Hoc deinde templo bis incendio consumpto, toties restauratum est, primo à Metello, deinde ab Augusto. Vnde Ouidius lib. 4. Fast. sic canit:

Locus Liuij emaculatur.

Nasica accepit: templi non perstitit autor,
Augustus nunc est, antè Metellus erat.

Hanc translationẽ Matris magnæ ex Phrygia idẽ poeta eodem lib. prolixè etiã describit.

Ritus Megalesiorum.

Ritus aũt & Ceremoniæ quibus in hoc sacro hisq; ludis Megalensibus vsi sunt, fuerunt variæ & quidem magnificæ, vnde & nomẽ eis inditũ videtur. Eas ordine cõmemorabimus. Die festo Romæ simulachrum deæ huius vicatim circumferebatur à Gallis, vt indicat Ouidius, sic canens:

Ipsa sedens molli comitum ceruice feretur
Vrbis per medias exululata vias.

Galli qui.

Erant autem Galli ministri vel sacerdotes huius Deæ, omnesq; castrati. Causæ à varijs variæ afferuntur. Nam, vt Seruius refert, Atys puer speciosus, quum magnæ matris præesset sacris, à regeq; ciuitatis suæ ita amatus, vt ab eo vim sibi inferre intelligeret, clam in syluas profugit. Sed ibi à rege inuentus, quum vim ei inferre vellet, verenda stupratoris abscidit: qui moriens, eandem corporis partem puero abstulisse dicitur. Quem quum antistites Deæ semianimem sub pinu inuenissent, perlatum in templum frustra reficere conati, defunctum tumularunt. Cuius vt perpeta maneret memoria, magna mater instituit, vt quotannis in sacris suis plangeretur, pinumq; arborem tutelæ suæ ascripsit, iussitq; vt cultores sui omnes seu sacerdotes virilia sibi amputarent. Ouidius autem lib. 4. Fast. docet, Atym dilectum à Cybele, sed datæ fidei immemorem, quum adamasset nympham Sagaritidem, statim in furorem versum virilia sibi amputasse: Sic enim canit:

Annuit, vnde venit, dixi, sua membra secandi
Impetus? vt tacui, pieris orsa loqui.
Phryx puer in syluis facie spectabilis altis
Turrigeram casto iunxit amore deam.
Hunc sibi seruari voluit, sua templa tueri:
Et dixit, Semper fac puer esse velis.
Ille fidem iussis dedit: & si mentiar, inquit,
Vltima, quæ fallam, sit Venus illa mihi.

Fallit,

Fallit, & in nympha Sagaritide desinit esse
Quod fuit: hinc pœnas exigit ira deæ.
Naiada vulneribus succidit in arbore factis:
Illa perit, fatum Naiadis arbor erat.
Hic furit: & credens thalami procumbere tectum,
Effugit, & cursu Dindyma summa petit. *Et mox:*
Ah pereant, dicebat adhuc, onus inguinis aufert,
Nullaq; sunt subitò signa relicta viri.
Venit in exemplum furor hic, mollesq; ministri
Cædunt iactatis vilia membra comis.

Catullus vero alijq; furoris huius causam non deæ, sed Gallo flumini tribuunt: cuius epotis aquis, Atym dicit in furorem fuisse actum, sibiq; abscidisse virilia. Ab hoc fluuio ministri Cybeles Galli dicti fuerunt, quod Ouidius his versibus innuit:

Cur igitur Gallos, qui se excidêre, vocamus?
Cùm tantum à Phrygia Gallica distet humus?
Inter ait viridem Cybelen, altasq; Celænas
Amnis it insana nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit, &c.

In circumgestatione porrò huius deæ sacerdotes tympana pulsabant, capita rotabant, 2.
pectora ad cantum tibiarum tympanorumq; sonitum tundebant, omniaq; strepitu & armisonanti chorea agebantur, Rationem hanc reddit Ouidius lib. 4. Fast.

Reddita Saturno sors hæc erat: Optime regum,
A nato regnis excutiere tuis.
Ille suam metuens, vt quæq; erat edita, prolem,
Deuorat, immersam visceribusq; tenet.
Iupiter ortus erat, pro magno teste vetustas
Creditur, acceptam parce mouere fidem.
Veste latens saxum, cœlesti gutture sedit:
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua iamdudum resonat tinnitibus Ida,
Tutus vt infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos manibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem, prisciq; imitamina facti:
Aera deæ comites, raucaq; terga mouent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:
Tibia dat Phrygios, vt dedit antè, modos.

Lucretius etiam hunc sacrorum ritum, quem seruabant Curetes in sacris Deæ huius, eiusq; causam ita breuiter expressit libro secundo:

Hic armata manus (Curetas nomine Graij
Quos memorant Phrygios) inter se fortè caterua
Ludunt, in numerumq; exultant sanguine læti,
Terrificas capitum quatientes numine cristas.
Dictæos referunt Curetas: qui Iouis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur.
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarunt æribus æra.

Vsi sunt etiam sacerdotes isti in sacris his flagello nodoso, quo delinquentes punierunt, 3.
Plutarcho authore in libello contra Colotem.

Meminit quoq; horum rituum diligentissimus Antiquitatum Rom. auctor Dionysius

Halicarnass. lib. 2. his verbis: Si qua oraculorum iussu aliunde introducta sunt, suo more colluntur à ciuibus, abdicatis fabularum miraculis, sicut in matris Idææ sacris fit. Prætores enim quotannis Romano ritu victimas ei cædunt, & ludos faciunt: sacerdotio verò eius funguntur Phryges vir & mulier, eamq; vicatim circumferũt more suo circulatorio, pectora tundentes ad cantum tibiarũ tympanorumq; sonitum: ingenuus aũt Romanus nemo est Mitriacus, nec oberrat ad Phrygios modulos indutus syntheſim, neq; ex decreto Senatus initiatur magnæ matris Orgijs. Hæc Dionysius, ostendens Romanos externis religionibus, & turpibus ceremonijs in sacris minus studuisse: id quòd tamẽ Satyrici poetæ identidẽ illis obijciũt.

4. *In huius porrò Deæ mysterijs fuerunt purificationes menstruæ, quas ὑπερῳακὰς ἁγιστείας Græci appellarunt: eas obseruauisse Proclum, Marinus Neapolitanus testatur in libro de ipsius vita, siue περὶ εὐδαιμονίας, vbi sic scribit: Τὰς ὑπερῳακὰς παρὰ Ρωμαίοις ἢ καὶ πρότερόν ποτε παρὰ φρυξὶν ἀποδαδείσας ἁγιστείας ἐκάστῳ μυηθῆναι ἠνέσχετο.*

5. *Ludi ipsi, quorum curam Ædiles gerere oportebat, quiq;, vt Cicero de Arusp. respon. indicat, in Palatio, in conspectu Deæ fiebant, maxima populi lætitia, & nobilissima pompa, quouis è populo insignia cuiusq; dignitatis mentiente atq; simulante liberè & impunè, vt internosci magistratus à simulatore non posset. Sic enim Herodianus in Commodo, Veris initio, inquit, solenniq; die, pompã Matri Deũm Romani celebrant. In ea quæ apud quenq; sunt diuitiarũ præcipua, suppellexq; pleraq; imperatoria, materiæ aut artis spectandæ, præferri ante deam solent. Passimq; omnibus ludendi licentia permissa, sic vt personas induant, quas cuiq; libitum, nullumq; non magistratuum quoq; imaginem, prout cuiusq; studium, rebræsentent, sic vt non temerè à falsis veros dinoscas. Histriones quoq; in his ludis mira lasciuia spurcissimã quæq; & turpissima in matrem Deũm & Atym dictitabant.*

6. *Matronas quoque spectatæ pudicitiæ in his canere Augustus instituit, quod Ouidius in principio lib. 2. Tristium his verbis testatur:*

Ipse quoq; Ausonias Cæsar matresq; nurusq;
Carmina turrigeræ dicere iussit Opi.

7. *Instituebantur etiam sodalitates & conuiuia. Vnde Cicero in Catone maiore, Sodalitates, inquit, me Quæstore constitutæ sunt sacris Idæis magnæ matris acceptis. Mutabant autem sedes, dum è conuiuijs ad alia per vices ibant. Hoc faciebant boni ominis causa: quoniam Cybele è Phrygia Romam translata benè ac feliciter sedem mutauerat. Innuit hoc Ouidius sic canens:*

Cur vicibus factis ineant conuiuia quæro,
Tunc magis indictas concelebrantq; dapes.
Quòd benè mutarit sedem Berecynthia, dixit,
Captant mutatis sedibus omen idem.

Et propterea non interdiu tantum, sed noctu quoq; conuiuia hæc celebrabantur. Vnde Cicero, Romæ inquit, erant sacra deæ matris, in quibus diebus festis nocte epulabantur. In his autẽ sodalitijs siue syssitijs Magnæ Matris apponebatur Moretum, *quod fuit genus libi ex caseo, lacte & herbis. Id describitur à Vergilio in opusculo cui titulus est Moretum. Dictum, vt non obscurè innuit Vergilius loco iam citato, à Græco verbo μορεύω, quod inter cætera significat abrado. Vergilij verba sunt hæc:*

Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inq; globum distantia contrahit vnum:
Constet vt effecti species, nomenq; Moreti.

Apponebatur autẽ in matris deũm syssitijs, ob conuenientiam huius cibi cum dea. Lac enim & herbæ veterum cibus fuerunt: hanc autem deam vetustissimam esse crediderunt, vt quæ deorum omnium esset mater. Hinc Ouidius lib. 4. Fast.

Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum
In dominæ mensis? an sua causa subest?
Lacte mero veteres vsi narrantur, & herbis,
Sponte sua si quas terra ferebat ait: Candidus

Candidus elixæ miscetur aseus herbæ,
Cognoscat primos vt dea prisca cibos.

Inde colligitur conuiuia hæc fuisse frugalia, sicut sacra hæc in vniuersum more institutisque maximè casta, solennia & religiosa fuisse Cicero testatur in Orat. de Arusp. responsis.

Ad ea etiam seruis adire non licebat: illaq; Prætores & magistratus purpurati, in toga & prætexta, atq; in ornatu maximo celebrarunt, vnde & Purpura Megalensis in Prouerbium vulgi venit, vt refert Alexander ab Alex. lib. 6. cap. 19. 8.

Moris deniq; fuit in hoc festo stipem matris Idææ sacerdotibus colligere. Hoc à Phrygibus sumpsit originem, qui in institutione horum sacrorum ordinarunt, qui stipem matri deorum cogerent, quos Μητραγύρτας *appellarunt, quasi* μητρὸς ἀγύρτας, *quo nomine* φιλοκερδεῖς καὶ ἀπατεῶνες *à Græcis denotati sunt, natioque hominum præstigiatrix. Collegerunt enim hanc stipem magnam præ se pietatem & simplicitatem ferentes, ac simul tympana pulsantes, sed impudentissimè pecunias emungentes. Ob quam etiam causam contemptissimi fuerunt. Vnde Aristoteles lib. Rhet. 3. innuit, vilius fuisse ministerium colligere stipem, quàm face prælucere. Menander quoque apud Clement. Alexand. in suasione ad Græcos, hoc mendicorum genus religionem mentientium damnat his verbis:* Ὁ δ' εἰς μ' ἀρέσκει περιπατῶν ἔξω θεὸς μετὰ γερὸς, ὃδ' εἰς οἰκίας παρεισιὼν ὅπῃ τῷ σανίδιῳ μητραγύρτης. *Idem author lib. 3. pædagog. reprehendit muliercularum superstitionem hoc hominum genus colentium, inquiens:* περιφέρονται δ' ἀνταὶ ἀνὰ τὰ ἱερὰ ἐκθυόμβρια καὶ μαντευόμβρια, ἀγύρταις καὶ μητραγύρταις τῇ γεραίαις βωμολόχοις οἰκοφθορούσαις συμπυκτεύουσαι. *Cõ suetudo etiam illa colligendi huic deæ stipem apud Romanos inde sumpsit initium, quòd populus frequens in Palatio dona deæ tulit, quum primùm ex Phrygia Romam translata esset, sicut ex Liuio supra retulimus. Testatur id Ouidius lib. 4. Fast. his versibus:* 9.

Dic, inquam, parua cur stipe quærat opes?
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos stipis inde manet.

Nemini verò, præter huius Deæ sacerdotes, stipem Romæ cogere licebat, adeoque eius familiæ hoc proprium erat: quod etiam lege cautum fuit his verbis: Præter Idææ matris familias, easq; iustis diebus, ne quis stipem cogito: vt est videre in sanctissimis illis, pro illorum temporum ratione, & seuerissimis Ciceronis legibus. Rationem addens, inquit: stipem sustulimus, nisi eam quam ad paucos dies Idææ matris propriam excepimus. Implet enim superstitione animos, & exhaurit domos. Quod si nunc viderent Aristoteles, Menander, Clemens & Cicero ditissima & amplissima sodalitia Monachorum ab ijs stipem petere, quibus deceret potius sua impartiri, quibus redundant & affluunt? Quum interea qui dedit siccum arrodat & cibarium panem, oleribus mensam instruens, & fictilibus vasis aquæ duntaxat plenis, liberis circumseptus, pro quibus noctes & dies sollicitus operi intentus agit: qui verò accepit opulens mendicus candido & siligino pane, perdicibus capisq; generoso ac leni vino se obruat: verba sunt Ludouici Viuis in cap. 26. de Ciuit. Dei Augustini.

Et hæc quidem dicta sint de martis deûm festo & ludis, qui primi & præcipui ludorum omnium fuerunt Romæ. Eius causam Ouidius lib. 4. commemorat, inquiens:

Institeram, quare primi Megalesia ludi
Vrbe forent nostra, cùm dea (sensit enim)
Illa deos, inquit, peperit: cessere parenti,
Principiumq; dati mater honoris habet.

FORTVNAE PVBLICAE FESTVM.

Octauo Idus April. celebrabatur Romæ festum Publicæ Fortunæ, *quam Liuius lib. 9. de Bello 2. Punico, & lib. 4. de Bello Macedonico, Primigeniam vocat. Colligitur hoc ex lib. 4. Ouidij Fast. vbi sic canit:* Festũ hoc quo die celebratũ.

Postera quum cœlo motis Pallantias astris
Fulserit, & niueos luna leuarit equos.
Qui dicet quondam sacrata est colle Quirini,
Hac fortuna die publica, vertus erit.

Ædem huius deæ vouerat P. Sempronius Sophus: qui quum in agro Crotoniensi cum Hannibale malè pugnasset, coniunctis deinde copijs cum P. Licinij Proconsulis legionibus, cum eodem hoste conflixit denuò, & in principio pugnæ ædem huic deæ quum vouisset, hostes fusi fugatiq;, & supra quatuor millia cæsa sunt. Hanc decem annis post Q. Martius Ahala Duumuir, ad id ipsum creatus, dedicauit, & quotannis memoriã eius celebran dam instituit.

LVDI OB VICTORIAM CAESARIS.

TErtia die à festo Fortunæ primigeniæ quæ est 6. Id. April. celebrabantur Ludi in honorem C. Iulij Cæsaris, qui hoc die in Africa, vbi persequutus est Pompeiani exercitus reliquias, Scipionem & Iubam regem superauit. De hoc ita canit Ouidius lib. 4. Fast.

Tertia lux, memini, ludis erit: hac mihi quidam
Spectanti senior continuusq; loco,
Hæc, ait, illa dies Libycis qua Cæsar in oris,
Perfida magnanimi contudit arma Iubæ.

LVDI CEREALES & Mysteria Cereris.

Cerealium ludorum ritus.

LVdos Cereales, quin in honorem Cereris magnificentissimè fierent nulla est controuersia: Nam & Deorum imagines in his longo ordine produci solebant: vnde est illud Macrobij, Vehitur simulachrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium deorum simulachra: & circum metas cursu contendebant, ouumque in Cerealis pompæ apparatu numerabatur primùm: in his quoque Ædiles plebis pro equorum cursu plerunque gladiatorum certamen exhibuerunt: referente Alexandro ab Alex. lib. 6. cap. 19. Et quia Circensibus Ludis non absimiles fuerunt, idcirco etiam à nonnullis Circenses appellati sunt. Celebrati autem fuerunt quotannis 5. Idus April. vt Ouidius docet per dies octo. Errauit igitur Alex. ab Alex. qui lib. 6. cap. 19. scripsit, 5. Calend. Apr. celebratos.

Sacrum Cereris quale.

Hos Ludos sequebatur sacrum Cereris, quod annis singulis Romani more patrio facere assuerant. Hæc sacra quòd è Græcia translata essent, & per Græcos curata, Græca dicta sunt. Fuisse enim in Græcia sacra Eleusinæ Cereris spectatissima. supra indicauimus. Ea obscura luce fiebant, sacerdotesq; facibus discurrentes cursu fanatico sacra peragebant, à quibus velut sanctissimis & impollutis, impij conscelerationiq; arcebantur præconis voce, ita vt templum, velut omni religioni sanctum, alicuius criminis aut noxæ conscio adire non liceret: quod si quis adijsset non initiatus capite luebat. Nero igitur conscientia sceleris agitatus id ingredi veritus fuit. Non sic autem Antoninus Philosophus Augustus: nam is fretus innocentia, & vitæ integritate, sine discrimine adiuit. Sacrum ipsum à solis matronis in veste alba fiebat quotannis, Vnde Ouidius:

Alba decet Cererem vestis, Cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris vsus abest.

In quo id fuit obseruatum quoq;, vt tunc demùm dijs gratum esse censerent, si à lætis, (vnde intermissum fuit eo anno quo clades Cannensis accepta erat, cum nulla eo tempore matrona Romæ luctus expers esset Liuio autore de Bello Maced. lib. 4.) nec funere pollutis celebraretur: vtq; in eo ante noctem epularetur nemo, quòd dea sub noctem demùm, dum quæreret filiam, ieiunium soluisset. Vnde Ouid. lib. 4. Fast.

Quæ quia principio posuit ieiunia noctis,
Tempus habent mensæ sidera visa sibi.

Atq; à vino inprimis & venere abstinerent: ad hæc, vt quinto quoq; anno ex Sibyllinis carminibus prodigiorum causa, ieiunium fieret, vtq; sacris initiatos, calda (legendum fortè, calida) abluerent, quòd castitati præesse ducerent: vt refert Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19.

Etsi verò

Cereris ludi & sacra cum Liberalibus iuncta.

Etsi verò Cereris sacrum eo quo diximus tempore ab initio fieri sit solitum, tamen progressu temporis cum Liberalibus iunctum est: quod Ouidius lib. 3. Fastorum his versibus testatur:

Luce sua ludos quæ commentor habebat,
Quos cum tædifera nunc habet ille dea.

Vbi per tædiferam Deam intelligit Cererem, quæ tæda accensa filiam Proserpinam quæsiuit, vnde & sacerdotes quoq; eius tædis accensis Cerealia celebrabant, ob idq; δαδοῦχοι dicti. Testatur id rursus Ouidius, sic canens de Cerere filiam quærente:

Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris sacris nunc quoque tæda datur.

Ostendimus autem suprà Liberalia decimo quinto Calend. April. celebrata: proindeq; mendum esse puto in Alexandri ab Alex. lib. 6. cap. 19. vbi dicit, Cereri ad quinto (legendum, decimo quinto) Calend. April. annis singulis Romanos rem diuinam fecisse. Alludit etiam ad hoc tempus festi huius Vergilius lib. 1. Georg. inquiens:

——— Annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis
Extremæ sub casu hyemis iam vere sereno.

Cereri cur hic honor habitus.

Habebatur autem hic Cereri honor, quòd ab ea reperto frumento, & conficiendi panis vsu, syluestrem victum delicatiori cibo mutarit: legibusq;, quas prima mortalibus dedisse perhibetur, vitam ac mores eorum formarit: quemadmodum in Thesmophorijs pluribus indicabimus. Refert etiam Ouidius lib. 4. Fast. vbi & sacrificium huius Deæ describit, sic canens:

Panis erat primus virides mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo sollicitante dabat.
Et modò carpebant viuax de cespite gramen.
Nunc epulæ è tenera fronde cacumen erant.
Post modò glans nata est, benè erat iam glande reperta,
Duraq; magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato,
Mutauit glandes vtiliore cibo.
Illa iugo tauros collum præbere coëgit.
Tunc primum Soles eruta vidit humus.
Æs erat in pretio, chalybis iam massa placebat:
Heu heu perpetuo debuit illa tegi.
Pace Ceres læta est: & vos orate coloni
Perpetuam pacem, pacificumq; ducem.
Farra deæ, micæq; licet salientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos:
Sed si thura aberint, vnctas accendite tædas:
Parua bonæ Cereri (sint modò casta) placent.

IOVIS VICTORIS ET LIBERTATIS FESTVM.

Hoc festum cur & quando celebratum.

IDus quidem omnes, vt Macrobius tradit Saturnal. lib. 1. & nos quoque supra diximus, Ioui sacræ fuerunt. Sed accessit Idibus Aprilibus ædis dedicatio, & Victoris titulus. Vouit enim bello Samnitium Q. Fabius, anno Vrbis 545. audita morte collegæ P. Decij, Ioui Victori ædem, & voto concepto ad castra hostium perrexit, vbi eorum dux Gellius cecidit & hostium millia 24. cæsa, octo capta sunt. Hanc ædem postea Idibus April. dedicauit Fabius, magno sumptu & mole constructam in Palatio, vt Liuius lib. 10. ab vrbe condita, & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 18. referunt. Ouidius etiam lib. 4. Fast. de die huius festi sic canit:

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Iuppiter, hac illi sunt data templa die.

Atriæ Libertatis festum.

Eadem die Iduum ædificatum & consecratum fuit Atrium Libertatis, quod in Auentino nonnulli fuisse existimant, vbi constat eius Deæ templum fuisse, vt Festus indicat, & Liuius libro 4. de Bello 2. Punico T. Gracchi patrem ex multatitia pecunia faciendum curasse dedicasseq; dicit. Sed Atrium eius Suetonius tradit extructum esse hortatu Augusti ab Asinio Pollione. Verùm longè ante hæc tempora Romæ id fuit. Liuius enim lib. 5. de Bello 2. Punico testatur, Annibalis tempore obsides Tarentinorum in eo custoditos, quum inde profugissent ex fuga retractos, virgisq; cæsos de saxo præcipitatos esse. Sed restauratum ab eo crediderim amplificatumq;, quemadmodum & à Sexto Helio Pæto & Cn. Cornelio Cethego, Liuio autore. De die verò dedicationis huius Atrij superioribus versibus hos mox adijcit Ouidius:

Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro,
Atria Libertas cœpit habere die.

FORDICIDIORVM FESTVM.

Fordicidia quando celebrata. Fordicidia vnde dicta.

Decimo septimo Calend. Maiarum, hoc est, 15. die Aprilis Fordicidia *Romæ celebrabantur. Varro dicta sic putat, à fordis bobus cædendis: nam hoc die publicè immolabantur boues prægnantes in curijs Romæ, quas Boues Fordas dicebant, vel à fœtu, vt Festo placet, vel quòd in ventre ferant. Eædem & Hordæ vocabantur, vt Varro refert, qui, quum in bubulo genere quatuor dicantur ætatis gradus, docet libro 2. de Re rustica cap. 5. primam ætatem esse vitulorum, secundam iuuencorum, tertiam nouellorum, quartam vetulorum: & discerni in prima vitulum & vitulam: in secunda iuuencum & iuuencam: in tertia & quarta taurum & vaccam: sed vaccam sterilem tauram inquit appellari: hordam verò quæ prægnans est, & ab ea in fastis diem esse,* Hordicalia: *& Festus ait, ab Horda, dies quo grauidæ hostiæ immolabantur,* Hordicia. *De die huius festi & nominis etymo Ouidius lib. 4. Fastorum ita cecinit:*

Tertia post Veneris, cum lux surrexerit Idus,
Pontifices forda sacra litate boue.
Forda, ferens bos est: fœcundaq; dicta ferendo.
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.

Fordicidia quare celebrata.

Celebrabatur autem sacrum istud tempore hoc, vt annus fœcundior preueniret: terra enim hoc tempore quasi grauida est. Vnde Ouidius superiorib us mox adijcit:

Nunc grauidum pecus est, grauidæ quoq; semine terræ,
Telluri plenæ victima plena datur.

Fordicidiorũ ritus.

Ritum autem sacrificij huius his verbis exprimit poeta noster:

Pars cadit arce Iouis: ter denas curia vaccas
Accipit, & largo sparsa cruore madet.
Ast vbi visceribus vitulos rapuere ministri,
Sectaq; fumosis exta dedere focis,
Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo est:
Luce Palis populos purget vt ille cinis.

Fordicidiorũ origo.

Instituit autem hoc festum & sacrificium Numa rex, tempore magnæ sterilitatis, quæ sub eius imperio fuit. Ouidius integram historiam his versibus expressit:

Rege Numa, fructu non respondente labori,
Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modò siccus erat gelidis aquilonibus annus,
Nunc ager assidua luxuriabat aqua.
Sæpè Ceres primis dominum fallebat in herbis,
Et leuis obsesso stabat auena solo.
Et pecus ante diem partus edebat acerbos,
Agnaq; nascendo sæpè necabat ouem.

Sylua

Sylua vetus, nullâq; diu violata securi
Stabat, Mænalio sacra relicta Deo.
Ille dabat tacitis animo responsa quieto
Noctibus, hic geminas rex Numa mactat oues.
Prima cadit Fauno, leni cadit altera Somno,
Sternitur in duro vellus vtrunq; solo.
Bis caput intonsum fontana spargitur vnda,
Bis sua faginea tempora fronde tegit.
Vsus abest Veneris, nec fas animalia mensis
Ponere, nec digitis annulus vllus inest.
Vesper vbi est tectus, supra noua vellera corpus
Ponit, adorato per sua verba Deo.
Interea placidam redimita papauere frontem,
Nox venit, & secum somnia nigra trahit.
Faunus adest, ouiumq; premens pede vellera duro
Edidit à dextro talia verba thoro:
Morte boum tibi rex tellus placanda duarum,
Detq; sacris animas vna iuuenca duas.
Excutitur terrore quies, Numa visa resoluit,
Et secum ambages, cæcaq; iussa refert:
Expedit errantem nemori gratissima coniunx,
Et dixit, grauidæ posceris exta bouis.
Exta bouis grauidæ dantur: fœcundior annus
Prouenit, & fructum terra pecusq; ferunt.

Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 25. indicat, in his Fordicidijs sacris, quibus hostias, quæ vterum ferunt, immolare præcipitur, si fœtus biceps, aut mancus in vtero fuisset, vel interaneis exulceratis apparuisset, exta eiusmodi imminentium malorum nuncia esse, creditũ fuisse.

EQVIRIA ET VVLPIVM COMBVSTIO.

Equiria quo die celebrata.

DEcimo tertio Calendas Maias erant Equiria *in Circo maximo inter Palatium & Auentinum. Nam die quarto ab exclusis Idibus April. qui est 15. Cal. Maij, Hyadas occidere Ouidius his versibus indicat:*

Sed iam præteritas vbi quartus Lucifer Idus
Respicit, hac Hyades Dorida nocte tenent.

Tertia autem post earum occasum, quæ est 13. Cal. incluſiuè Equiria celebrari Ouidius indicat:

Tertia post Hyadas cum lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.

Vulpium combustio, & eius origo.

Eadem die fugientium vulpium est combustio, *vt pœnas luant incensæ messis agri Carseolani. Cùm enim apud Carseolos oppidum Latij, rusticus quidam vulpi à se captæ, ac fœno & stipulis inuolutæ ignem admouisset, ea fugiens, vniuersi agri Carseolani messem absumpsit incendio. Ob quam causam quotannis hoc die vulpes Cerealibus stipulis vrebantur implicitæ, quòd Cereris munera perdidissent. Hanc historiam, & originem huius ritus Ouidius sic commemorat:*

Curigitur missæ iunctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est.
Frigida Carseolis, nec oliuis apta ferendis
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.
Hac ego Pelignos, natalia rura petebam,
Parua, sed assiduis humida semper aquis.

Hospitis antiqui solitas intrauimus ædes,
Dempserat emeritis iam iuga Phœbus equis.
Is mihi multa quidem, sed & hæc narrare solebat,
Vnde meum præsens instrueretur opus.
Hoc, ait, in campo (campumq; ostendit) habebat
Rus breue cum duro parca colona viro.
Ille suam peragebat humum, siue vsus aratri,
Seu curuæ falcis, siue bidentis erat.
Hæc modò verrebat cum raro pectine pratum,
Nunc matris plumis oua fouenda dabat.
Aut virides maluas, aut fungos colligit albos,
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis,
Aduersusq; minas frigoris arma parat.
Filius huius erat primo lasciuus in æuo,
Addideratq; annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem conualle salicti,
Abstulerat multas illa cohortis aues.
Captiuam stipula fœnoq; inuoluit, & ignes
Admouet, vrentes effugit illa manus.
Quà fugit, incendit vestitos messibus agros,
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abijt: monumenta manent: nam dicere certam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Vtq; luat pœnas, genus hoc Cerealibus ardet:
Quoq; modo segetes perdidit, ipsa perit.

PALILIORVM FESTVM, ET VRBIS Romæ Natalis.

Palilia quo die celebrata.

DVodecimo Calend. Ma. Sol Ariete relicto Taurum ingreditur: sequenti die, hoc est, 11. Cal. Ma. Palilia celebrata Ouidius his versibus retulit:

Nox abijt, oriturq; aurora, Palilia poscor:
Non poscor frustra, si fauet alma pales.

Huic sententiæ etiam adstipulatur Solinus. Paulus tamen Marsus in suis ad Fastorum libros Ouidij Commentarijs, ex eodem poeta ad 12. Calend. Ma. hoc est, ad 20. diem Aprilis festum hoc reuocare conatur. Refert etiam in indicibus Fastorum veterum, & codicibus vetustissimis die 20. Aprilis festum hoc notatum reperiri. Varro quoque & Plinius id cum Natali vrbis Romæ ad 12. Calend. Maias referunt, eodem nanq; die vrbem Romam conditam, ideoq; eius natalem simul quotannis celebratam aiunt. Plutarchus in vita Romuli aliter sentire videtur: Vrbem, inquit, ad 12. Calend. Mai. condi cœptam esse omnium est opinio. Veruntamen pridie eius diei pastoralem quandam celebritatem agitabant: quæ Palilia ab illis dicebatur.

Palilia vnde dicta. Parilia.

Dictum est autem hoc festum antiquitùs Palilia, à Pale dea pastorum, in cuius honorem, Varrone teste, à pastoribus celebrabatur etiam ante vrbem conditam. Pales enim Dea pabuli & pastorum est, quam plerique Vestam, alij Matrem Deûm nuncupant. Eadem tamen festa, Parilia à nonnullis appellantur, quòd parte pecoris eidem deæ sacra fierent. Vel quòd is dies, quo serenitas reddebatur, lucem parere videretur: vel etiam, vt Festus author est, quòd pro partu & prouentu pecoris Pali sacra fierent lacte & libo sine victima. Postea tamen mutato nomine Romana festa appellata sunt, quum Adrianus Imperator ciuitatis

Fortunæ

Fortunæ templum erexisset, cuius consecrationis diem singulis annis insignem & festum egerunt deinceps omnes & qui Romam incolunt, & qui Romæ etiam sunt peregrini, vt Athenæus testatur lib. 8. cap. 11.

Varij autem ritus hoc die obseruabantur, variaq; purgationes & expiamina fieri solebant. Primò purgabat se populus in vrbe Roma suffimento, cui adhibebatur sanguis equinus, cineres nondum nati vituli, sed è mactatæ matris vtero exerti, & adusti in Fordicidijs à Vestalibus, tertiò stipulæ fabales, ex quibus omnibus supra prunas impositis fiebat suffitio. De hac lustratione Ouidius lib. 4. Fast. sic canit: Palilionum ritus. 1.

I, pete virginea populus suffimen ab ara:
Vesta dabit, Vestæ numine purus eris.
Sanguis equi suffimen erit, vituliq; fauilla,
Tertia res duræ culmen inane fabæ.

Quo tempore etiam obseruatum fuit, ne qua hostia cæderetur, Plutarcho & Solino authoribus. Decebat enim non solùm populum Romanum impollutũ, sed & diem purum esse, quo vrbis natalẽ colerent. Sed Plutarchus in vita Romuli id ab initio tantùm obseruatum tradit.

Clangor quoque tubarum per vniuersam exaudiebatur vrbem, cymbalorumq; strepitus, 2.
ac tympanorum sonitus vnà cum cantilenis immistus, vt ex Athenæi libro 8. capite 11. intelligitur.

Deinde purgabantur passim in vrbe & agro ouilia ac pecora. De quo sic Ouidius: 3.

Pastor oues saturas ad prima crepuscula lustret:
Vnda prius spargat, virgaq; verrat humum.
Frondibus ac fixis decorentur ouilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant puro de sulfure fumi,
Tectaq; fumanti sulfure balet ouis.
Vre maris rores, tædamq;, herbasq; Sabinas,
Et crepet in medijs laurus adusta focis.

Præterea in Palilibus lacte, sapa & milio Pali deæ sacra persoluebant, quibus preces 4.
adiungebant pro salute & incolumitate pecoris, & conuiuia celebrabant. Quod Ouidius his versibus retulit:

Libaq; de milio milij fiscella sequatur,
Rustica præcipuè est hoc dea læta cibo.
Adde dapes mulctramq; suas: dapibusq; refectus
Syluicolam tepido lacte precare Palem:
Consule, dic, pecori pariter, pecorisq; magistris,
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.
Siue sacra pauit, sediue sub arbore sacra,
Pabulaq; in bustis insscia carpsit ouis.

Et quæ ibidem sequuntur reliqua.

Accendebantur insuper acerui fœni vel stipularum, eorumq; flammas hoc festo pastores 5.
solebant transilire. Vnde Tibullus:

At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet, à stabulis tunc procul este lupi.
Ille leuis stipulæ solennes potus aceruos
Accendet, flammas transilietq; sacras. *Et Propertius:*
Cumq; super raros fœni flammantis aceruos
Trajcit immundas ebria turba dapes.

Persius quoque, Fumosa Palilia fœno, vocauit. De eodem Ouidius sic cecinit.

Tunc licet apposita veluti cratere canella,
Lac niueum potes, purpureamq; sapam.

Moxq́ per ardentes ſtipulæ crepitantis aceruos
Traijcias celeri ſtrennua membra pede.

Ter autem ignes tranſilibant, qui ad id ordine erant diſpoſiti: quod noſter poeta his verſibus non obſcurè innuit:

Certè ego tranſilij poſitas ter in ordine flammas:
Virgaq́ rorales laurea miſit aquas.

Rituum horum cauſæ.

Moris autem inſtitutiq́ huius, vt in Palilibus paſtores & populus aqua ſpargantur, ignesq́ tranſiliant, origo & cauſæ variæ afferuntur. Hoc enim ſic obſeruatum volunt, vel, quòd vt metalla igne expurgantur, ſic luſtrarentur eo paſtores & oues. Vel, quòd duo hæc, ignis & aqua ſunt cauſa generationis. Vnde in Metamorph. Et ab his oriuntur cuncta duobus: ita hæc eadem luſtrationis & expurgationis cauſam eſſe putant. Vel, quòd per hæc duo viuamus, & his exules interdicebantur, hæcq́ in limine nuptiali ponebantur: ſic ad purgamina quoque pertinere arbitrati ſunt. Vel, vt Phaetontis incendium, & Deucalionis diluuium referretur. Vel, vt indicaretur, ignem à paſtoribus fuiſſe inuentum. Vel, vt referretur Æneæ pietas, qui tutus & incolumis cum parente per Troiana incendia fugit. Vel, quòd coloni, qui Romam condiderunt, quas incoluerant antea caſas, in coloniam abeuntes incenderunt. Has rationes Ouidius lib. 4. Faſt. ſic recenſet:

Omnia purgat edax ignis, vitiumq́ metallis
Excoquit: iccirco cum duce purgat oues.
An quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo, diſcordes ignis & vnda Dei.
Iunxerunt elementa patres, aptumq́ putarunt
Ignibus, & ſparſa tingere corpus aqua.
An quòd in his vitæ cauſa eſt, hæc perdidit exul
His noua fit coniunx, hæc duo magna putant.
Vix equidem credo. Sunt qui Phaetonta referri
Credunt, & nimias Deucalionis opes.
Pars quoque paſtores cum ſaxis ſaxa feribant,
Scintillam ſubitò proſiluiſſe ferunt.
Prima quidem perijt, ſtipulis excepta ſecunda eſt,
Hoc argumentum flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter.
Hoc tamen eſt vero propius, cum condita Roma eſt,
Transferri iuſſos in noua tecta lares:
Mutantesq́ domum tectis agreſtibus ignem,
Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ.
Per flammas ſaliſſe pecus, ſaliſſe colonos:
Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.

Mos ſaltandi per ignem ad Chriſtianos tranſlatus.

Mos hic ſaltandi per ignem à Pontificijs in ſuam quoque religionem tranſlatus eſt: nam idem apud eos in feſto S. Ioannis Baptiſtæ pluribus in locis fieri ſolet: quod Lazius & ipſe Pontificius lib. 11. de Repub. Rom. cap. 2. ingenuè fatetur.

Palilia ante conditam Romam celebrata.

Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 22. ex aliorum ſententia etiam ante vrbem conditam, à paſtoribus qui proxima vrbi loca incoluerint, celebrari ſolita Palilia refert. In qua etiam ſententia Ouidius videtur fuiſſe, qui lib. 4. Faſt. de origine vrbis agens, inter alia ſic canit:

Apta dies legitur, qua mœnia ſignet aratro.
Sacra Pali ſuberant: inde mouetur opus.

Plutarchus quoq́ in vita Romuli affirmat, pridie eius diei quo Roma condi cœpta ſit, Palilia à paſtoribus celebrata fuiſſe. Dionyſius Halicarnaſſ. hac de re ita libro 1. ſcribit, Cùm iam nullo impediente fabrica vrbis procederet, Romulus indicta die qua placatis dijs auſpicaretur

auspicaretur administrationem Reipub. præparatisq; omnibus ad sacrificium & epulum necessarijs, vbi ea dies illuxit, ipse primùm sacris operatus, deinde cæteris iussis idem pro virili facere, aquilarum ante omnes vsus est auspicio: mox piaculi causa iussit per flammas salire populum. Satis deinde propitia ratus numina, conuocatis in destinatum locum omnibus, circumscripsit collem figura quadrangula, continentem sulcum aratro ducentibus sub idem iugum iunctis bubus mare atq; fœmina, in quo fundanda erant mœnia: vnde Romanis hic mos circumarandi loca durat in condendis vrbibus. Hoc peracto, & bubus mactatis ambobus, vnà cum multis alijs victimis, operi populum adhibuit. Quem diem, si vllum alium, Romana ciuitas nostro quoque tempore singulis annis festum celebrat, vocatque Parilia, cùm incunte Vere pro partu quadrupedum agricolæ grati pastoresq; sacra faciunt. Vtrum verò hunc diem iam antè festum auspicatum condendæ vrbi duxerint, an propter vrbis initia consecrauerint, deosq; pastorales in eo honorandos sanxerint, affirmare certò non possum. Hæc omnia Dionysius.

SECVLARES LVDI.

Seculares ludi quando celebrati.

SEculares Ludi *iam inde à prima sua origine centesimo quoque anno celebrati sunt: id tùm Antias, alijq; historici authores sunt: tùm Varro de Scenicis originibus libro primo ita scriptum reliquit: Cùm multa portenta fierent, & murus, & turris, quæ sunt inter portam Collinam, & Exquilinam, de cœlo essent tacta, & ideo Sibyllinos libros Decemuiri adissent, renuntiarunt, vti Diti patri & Proserpinæ Ludi Tarentini in campo Martio fierent tribus noctibus, & hostiæ furuæ immolarentur, vtq; Ludi centesimo quoque anno fierent. Item T. Liuius: Eodem anno Ludos seculares Cæsar ingenti apparatu fecit: quos centesimo quoque anno (his enim terminus seculi) fieri mos. Horatius in carmine, quod de Secularibus ludis cantatum est, id etiam tempus hoc modo designauit:*

Certus vt denos decies per annos
Orbis, & cantus, referatq; ludos,
Ter die claro totiesq; grata
Nocte frequentes.

In nonnullis tamen exemplaribus prior versiculus sic legitur:

Certus vndenos decies per annos Orbis, &c.

Et tunc poeta his ludis centum decem annorum circuitum attribuit.

Seculares ludi in Natali vrbis Romę celebrati.

Numerare autem incipiebant hos annos à Natali vrbis Romæ, quo die etiam hos ludos, absoluto spatio illo temporis, plerunq; celebrabant. Vnde Pomponius Lætus in Philippo Imp. sic scribit: Huius (Philippi) imperij anno 2. ante 11. Calend. Maij ingenti pompa, magnoq; sumptu et apparatu Seculares ludi anno ab vrbe condita Millesimo celebrati sunt.

Secularium ludorum origo

Originem autem Secularium ludorum Valerius Maximus, in capite De Institutis antiquis his verbis recenset: Cùm ingenti, inquit, pestilentia vrbs antiqua agriq; vastarentur, Valesius vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filijs & filia ad desperationem vsq; medicorum laborantibus, aquam calidam ijs à foco petens, genibus innixus, lares familiares, vt puerorum periculum in suum caput transferrent, orauit. Orta deinde vox est, habiturum eos saluos, si continuo flumine Tiberis deuectus Tarentum portasset, ibiq; ex Ditis patris & Proserpinæ ara petita aqua calida, quam illi desiderarent, recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quòd & longa & periculosa nauigatio imperabatur: spe tamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam fluminis repentè detulit: habitabat enim in villa sua propè vicum Sabinæ regionis Heretum: & lintre Hostiam petens, nocte concubia ad Martium campum appulit: sitientibusq; ægris succurrere cupiens, igne in nauigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit haud procul apparere fumum: & ab eo iussus egredi Tarentum (id nomen ei loco est) cupidè arrepto calice, aquam flumine haustam, eò vnde fumus erat obortus, iam lætior pertulit, diuinitùs dati remedij, quasi vestigia quædam in propinquo se existimans nactum: inq; solo magis fumante, quàm vllas ignis habente reliquias, dum tenacius ignem

apprehendit, contractis leuibus & quæ sors obtulerat nutrimentis, pertinaci spiritu flammam euomuit, calefactamq; aquam pueris bibendam dedit: qua potata, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repentè sunt liberati: patriq; indicauerunt, vidisse se in somnis nescio à quo deorum spongia corpora sua pertergi, & præcipi vt ad Ditis patris & Proserpinæ aram, à qua potio illis fuerat allata, furuæ hostiæ immolarentur, lectisterniaque & ludi nocturni fierent. Is qui eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, vt à se construeretur, aram empturus in vrbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. Ij domini imperium exequentes, quum ad viginti pedum altitudinem humo egesta peruenissent, veterem inuenerunt aram Diti patri Proserpinæq; inscriptam. Eam Romani olim condiderant, peracto Dijs inferis sacro, cùm pugnaturi aduersus Albanos in acie iam iam concursuri starent, iussi à damone id facere priusquam manum consererent. Hoc postquam Valesius, nunciante seruo, accepit, omisso emendi proposito, hostias nigras, quæ antiquitùs furuæ dicebantur, Tarenti immolauit: ludosq; & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati fuerant, fecit.

Ex hac descriptione intelliguntur multa authorum loca: & inter alia versus hic Ausonij: Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo. Nam, vt Valerius tradit, à Tarento loco prope Romam, vbi Valesius cum filijs ægris appulit ex Tiberi, & vbi aram Ditis defossam reperit, non à Tarento Calabriæ siue Magnæ Græciæ, Tarentini hi ludi nominati sunt.

Seculares ludi variè celebrati.

Post hunc Valesium autem P. Valerius Poplicola, qui cum Bruto primus Consul Romæ fuit, idem sacrum ægrotantibus succurrendi gratia, constituisse ac celebrasse primus dicitur anno vrbis 244. non tamen solenni pompa: quod primùm factum anno vrbis conditæ 300. Sp. Tarpeio Capitol. & A. Aternio Fontinal. COSS. vt Funccius in Chron. indicat. Secundi facti sunt ex libris Sibyllinis anno ab vrbe condita 502. P. Claudio Pulchro, L. Iunio Bruto Coss. II. anno primi belli Punici. Tertij primo anno tertij belli Punici, M. Manlio, Martio Censorino Coss. Quarti non expectato iusto tempore, L. Æmilio Lepido L. Aurelio Oreste Syllano Coss. Inter Imperatores autem primus celebrauit Augustus hos ludos, & quidem quintos arbitratu suo, non suo tempore & vt modus adhiberetur, pueros & puellas à nocturnis cœtibus mouit. Claudius secundus ab Augusto, non tam ludos ab Augusti temporibus, quàm Augusti errorem iterauit: neq; enim amplius 63. annos interfuisse constat. Quare præconis vocem irrisam Suetonius scribit, inuitantis populum ad eos ludos, quos nemo vidisset, neque visurus esset: quum multi adhuc viuerent eorum qui priores spectarant: aliquot etiam histriones, qui in illis egerant, in his producerentur. De iisdem sic etiam scribit Tacitus lib. II. Iisdem Coss. inquit, ludi seculares octingentesimo post Romam conditam, quarto et sexagesimo quàm Augustus ediderat, spectati sunt. Vtriusq; principis rationes prætermitto, satis narratas libris quibus res Domitiani Imp. composui. Nam is quoque edidit ludos Seculares: ijsq; intentius affuit sacerdotio Quindecemuirali præditus ac tum Prætor. Ex quibus apparet, tertium in ordine tales ludos & quidem septimos celebrasse Domitianum Cæsarem, similiter nondum elapso seculo. Cuius etiam meminit Aurelius Victor in huius Cæsaris historia. Melius tamen quàm superiores principes inita ratione temporis, seculum quod erat ab vrbe condita septimum Domitianus celebrauit. Quartum præterea ludos Seculares edidisse Septimium Seuerum Cæsarem, Herodianus lib. 3. scribit historiæ Augustæ, cum Seueri Septimij vitam describit: Vidimus, inquit, sub illo quosdam omnis generis ludos cunctis editos theatris, simulq; supplicationes, & peruigilia ad formam Cereris initiorum (seculares hi tum appellabantur) celebratos, vt aiunt, decurso trium spatio ætatum. Siquidem vrbe tota atq; Italia præcones itabant, conuocatum omnes ad ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodò forent. Ita scilicet interuallum præteritæ futuræq; celebritatis, supra omnem esse hominum ætatem significantes. Quintum ex Imperatoribus Philippum Vostrensem anno ab vrbe condita 1000. ludos hos dedisse Pomponius Lætus testatur, de quibus etiam in sequentibus nonnulla referemus. Tametsi verò & alios sequentes Imperatores tales edidisse ludos verisimile sit: tamen quia apud authores mentio eorum

nulla

nulla occurrit, nos quoque de eo nihil certi statuere possumus. Illud verò constat Honorium Imp. & fortasse postremum, hos ludos edidisse, vt ex Claudiani testimonio intelligitur, qui in Panegyrico sexti consulatus sic cecinit:

Nunc præsens etiam Getici me laurea belli
Declinare potest? sedésne capacior vlla
Tantæ laudis erit? tua te benefacta morantem
Conueniunt, meritisq; suis obnoxia virtus,
Quod seruauit amat: iam flauescentia centum
Messibus æstiuæ detondent Gargara falces:
Spectatosq; iterum nulli celebrantia ludos,
Circumflexa rapit centenus secula consul.

Seculárium ludorum forma.

Superest vt de forma horum ludorum, & sacrorum quædam dicam: nam & sacra facta, & ludi magno apparatu celebrati sunt. De vtrisq; Antonius Mancinellus in suis Annotationibus ad Horatij Seculare carmen, quod in fine libri Epodon extat, hæc refert: In Sibyllinis, inquit, versibus, quos Zosimus Græcè refert, continetur, vt anno centesimo decimo in campo Martio solennia sacra fierent & noctu & interdiu. Parcis autem furuæ agnæ mactarentur, caprigenumq; pecus: similiter & Dianæ: Terræ verò scropha: Ioui tauri candidi: interdiu Iunoni nitida iuuenca: Apollini Pæanas: Latini pueri patrimi & matrimi, & puellæ patrimæ & matrimæ canebant in templo: nuptæ ad aram Iunonis orabant. Accipiebant februa viri & fœminæ, præsertim autem fœminæ. Debinc in templis ferè omnibus primitias portabant. Sic enim agendo Italia tellus omnis Romano iugo Romanoq; sceptro colla subdere non recusaret. Hæc quidem in Sibyllinis versibus continebantur. Addunt alij, quòd primo die princeps ipse et quindecim viri mane Capitolium ascendebant, ibiq; sacra de more agitabant: tum in theatris conueniebant ad ludos in honorem Apollinis & Dianæ faciendos. Sequenti verò die nobiles matronæ conueniebant in Capitolium: supplicabant Deo: frequentabant lectisternia: canebant hymnos. Tertio deniq; die in templo Apollinis Palatini ter nouem pueri prætextati, totidemq; virgines, patrimi omnes matrimiq; Græca Romanaq; voce carmina & pæanas concinebant, quibus imperium suum & incolumitatem populi dijs immortalibus commendabant. Ludi autem celebrabantur omnibus theatris omnium generum: & sacrificia templis omnibus fiebant noctu pariter atq; interdiu. Sed, vt scribit Suetonius, Augustus, Secularibus ludis iuuenes vtriusque sexus prohibuit vllum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo maiore natu propinquorum. Hæc omnia Mancinellus.

Quòd verò etiam insolita animalia & feræ in his ludis ostenderentur, Solinus testatur, qui Pompeium ijs rhinocerota exhibuisse tradit. Sic autem Iulius Capitolinus de Secularibus ludis à Philippo Imp. editis scribit in Gordianis: Fuerunt, inquit, sub Gordiano Romæ elephanti 32. quorum ipse 12. miserat, Alexander 10. Alces 10. Tigres 10. Leones mansueti 60. Leopardi mansueti 30. Belbi, id est, hyænæ 10. Gladiatorum fiscaliũ paria mille. Hippopotamus et rhinoceros vnus. Archoleones 10. Camelopardali 10. Onagri 20. Equiferi 40. & cætera huiusmodi animalia innumera & diuersa, quæ omnia Philippus ludis Secularibus vel dedit, vel occidit. Eadem etiam refert Pomp. Lætus in Philippo.

Qui plura de Secularium ludorum origine, causa nominis, ritu alijsq; scire desiderat, legat Angeli Politiani Miscellaneorum centuriam 1. cap. 58. Res est per se cognitu non indigna, quum ad intelligendos poetarum locos nonnullos haud modicum afferat adiumentum.

Secularium ludorum vestigia apud Christianos.

Loco verò horum ludorum apud Christianos à Pontificibus Romanis annus Iubilæus excogitatus, & in Ecclesiam Christi horribili cum conculcatione meriti eius introductus est. Quemadmodum autem in Secularibus ludis ordo & numerus annorum ab initio definitus, progressu temporis ambitione Imperatorum, id solenne suis temporibus exhiberi cupientium, interruptus fuit, & pro libidine sæpè mutatus, sic in numero Iubilæi anni idem postea à Romanis Pontificibus factum, suo loco indicabitur.

VINALIA PRIORA.

Vinaliorum dies.

DE die quo celebrata sunt Romæ Vinalia priora, *Ouidius lib.4.Fast.sic cecinit:*

Dicta Pales nobis, idem Vinalia dicam:
Vna tamen media est inter vtrunq; dies.

Plinius lib.18.cap.29.retulit, 9.Cal.Maij celebrata: sic etiam habetur in Calendario Maffeiano: quod tum verum est, iuxta Ouidij sententiam, si Palilia 11.Cal.Ma. fuerunt. Notandum autem hîc est obiter mendum in veteribus Plinij exemplaribus, in quibus, pro, 9. Cal.Maij, vt in recentioribus rectè legitur, habetur, 9.Cal.Martij: quod ipsum etiam Alexandrum ab Alex. fortè decepit, qui lib.6.cap.8.Vinalia hæc ad 12.Calen.Martias refert. Sin verò Palilia celebrata sunt 12.Cal.Maij, tunc Vinalia 10.Cal.Ma. habita sunt.

Plinij locus emendatur.

Vinal a priora Ioui sacra.

Sacra autem fuerunt Ioui, non Veneri, vt nonnulli arbitrantur: quod etiam ex Masurio refert Macrobius lib.1.Saturnal. Causam his versibus reddit Ouidius lib.4.Fast.

Quæritis & quare sit Iouis ista dies?
Turnus, vt Æneas Latiæ gener esset Amatæ,
Bellum erat: Hetruscas Turnus adorat opes.
Clarus erat, sumptisq; ferox Mezentius armis,
Et vel equo magnus, vel pede maior erat.
Quem Rutuli, Turnusq; suis ascisere tentant
Partibus: hæc contra dux ita Thuscus ait:
Stat mihi non paruo virtus mea: vulnera testor,
Armaq;, quæ sparsi sanguine sæpè meo.
Qui petis auxilium, non grandia diuide mecum
Præmia, de lacubus proxima musta tuis.
Nulla mora est operi: vestrum est dare: vincere nostrum est.
Quam velit Æneas ista negata mihi.
Annuerant Rutuli: Mezentius induit arma,
Induit Æneas, alloquiturq; Iouem.
Hostica Tyrrheno vota, est vindemia regi,
Iupiter è Latio palmite musta feres.
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
Atq; indignanti pectore plangit humum.
Venerat autumnus calcatis sordibus vuis,
Redduntur meritò debita vina Ioui.
Dicta dies hinc est Vinalia, Iupiter illam
Vendicat, & festis gaudet inesse suis.

Vinaliorum ritus. 1.

Libabant autem Ioui in hoc festo vina pura, vt autor est Festus, quæ sacrificij causa antequam gustarentur, demebantur ex dolijs Calpari, quod fuit vasis fictilis genus. Vnde Plinius dicit, degustandis vinis instituta esse Vinalia, & nihil ad fructus pertinuisse. Fecerunt autem hoc, vt hac ratione Deos placarent, quo vites & vuas eo anno tuerentur. Etsi enim priscorum vita rudis fuit, ac sine literis, non tamen, vt Plinius scribit supra citato loco, parum ingeniosa fuit: nam quum tria tempora fructibus metuerent, instituerunt ferias, diesq; festos, Vinalia, Rubigalia & Floralia.

2. *Alexander ab Alex.lib.6.cap.8.ex Varronis lib.5. de Latina lingua testatur, veteri lege fuisse sancitum, vt Flamen Martialis diceret diem veteri vino libando medicaminis causa: indeque vsurpata hæc verba,* Nouum vetus vinum bibo, nouo veteri vino medeor. *Sic etiam ad primitias pomorum noua esse dicebant vetera, & alia exoptabant noua, ominis causa.*

3. *Plutarchus etiam author est, Vinalibus multum vini è templo Veneris profundi solitum: vel, vt ostenderent, diem festum agi sobriè oportere: vel, quòd ferunt, Mezentium Hetruscorum*

truscorum ducem ad Æneam misisse, qui cum eo fœdus facerent, vt quotannis certum vini numerum ab eo acciperet. Id verò cum postea Æneas poscenti negasset Mezentio, Tyrrhenis se daturum pollicitus est, si prælio vicisset. Itaq; Æneam victorem diis immortalibus vinum consecrasse, & collectum templo Veneris effudisse. Verùm quod Plutarchus Æneæ, id Dionysius Halicarnass. Ascanio ascribit. Nam quum mortem Æneæ descripsisset, hæc subiungit: Imperium suscipit Euryleon, qui mutato nomine dictus est Ascanius. Erant autem inclusi muris eo tempore Troiani: & quum hostibus semper noua aduentarent auxilia, haud satis validæ Latinorum vires erant ad subueniendum obsessis Lauini. Primùm igitur in amicitiam, æquasq; conditiones prouocauit hostes Ascanius. Vt verò nihil proficit, permittere ipsis coactus est, vt quibus ipsi vellent conditionibus bellum componerent. Rex igitur Hetruscorum, tanquam in seruitutem redactis, intolerabilia imperat: & vinum quod cunque ferret Latinorum ager quotannis Hetruscis dandum. Quæ quum ferenda visa non sunt, fructum vitis sacrum Ioui esse decreuerunt, ferente sententiam Ascanio.

MERETRICVM FESTVM.

EOdem die quo Vinalia celebrabantur Romæ, meretrices *quoque Veneris Erycinæ festum sacrumq; colebant. Ea ex Sicilia Romam à M. Marcello, victis Syracusanis, translata est, & apud portam Collinam ædes illi consecrata, sub eadem appellatione ab Eryce monte Siciliæ, in quo secundum alios ab Ænea, secundum Diodorum autem ab Eryce Veneris ac Butæ, siue Neptuni filio templum Veneri conditum, singulari veneratione antiquitus colebatur, refertum mulierum frequentia, vt inquit Strabo, eius deæ ministerio dicatarum. Addit Diodorus: Æneas hic vota soluit, dona obtulit. Et Carthaginenses, & Romani duces, & Consules ad templum veniunt, positaq; seueritate ludunt. Senatus P. Q. R. instituit, 16. vrbes Siciliæ, aurum conferre Veneri Erycinæ, militesq; ducentos ad templi tutelam deputauit, &c. Ouid. lib. 4. Fast. meretrices & puellas liberaliores sui corporis ad hoc festum & sacrum his verbis hortatur:*

Festi huius dies.

Venus Erycina.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ:
Multa professarum quæstibus apta Venus:
Poscite thure dato formam, populiq; fauorem,
Poscite blanditias, dignaq; verba ioco.
Cumq; sua dominæ date grata sisymbria myrto,
Textaq; composita iuncea vincla rosa.
Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet, à Siculo nomina colle tenet.
Vtq; Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius, & bello te quoque cæpit Eryx,
Carmine viuacis Venus est translata Sibyllæ,
Inq; suæ stirpis maluit vrbe coli.

ROBIGALIA.

RObigalia, siue Rubigalia, *dies festus erat Romæ, septimo Calendas Maias celebrari solitus, teste Festo & Plinio lib. 18. cap. 29. Docet id etiam Ouid. lib. 4. Fast. ita canens:*

Robigaliorum dies.

Sex vbi quæ restent luces Aprilis habebit,
In medio cursu tempora veris erunt.
Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat, &c.

Vbi non vult dicere poeta, sexto die post Vinalia, hoc est, 4. Cal. Maij, vel esse ver medium, vel Rubigalia celebrari: sed 7. Cal. Maias, quum Aprili sex tantum dies superfue-

rint. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8. ad 6. Calend. Ma. ponit, sed autoris, ex quo hoc habeat, non meminit.

Robiginem deum quare coluerint Rom.

Hoc die sacrum fiebat Rubigini. Nam ex Dijs duodecim, qui maximè ab agricolis colebantur, eorumq; duces erant, vt Varro loquitur, Robigus quoque vnus erat. Eum colebant, non vt prodesset, quemadmodum Ceres, Liber, Iupiter, ac Bonus euentus: sed ne obesset rubigine, quam Plinius segetum pestem maximam, ac cœleste frugum vinearumq; malum appellat. Vnde est illud Vergilij Georg. 1.

Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos
Esset rubigo, &c.

Rubigo.

Est autem rubigo putredo quædam, qua spicæ torrentur, friatilesq; redduntur, quam in vitibus carbunculum vocant. Eius nonnulli rorem Sole inustum causam dicunt: sed id Plinius lib. 18. cap. 29. ex parte falsum putat esse, & eiusmodi putredinem frigore constare arbitratur, ac non nisi interlunio, aut plena luna fieri putat. Hoc malum in tractu roscido, conuallibus, ac locis perflatum non habentibus frequentissimum est, in ventosis & excelsis nullum, vel rarum. Eo siligo minus, quàm cætera frumenta periclitatur, quoniam semper rectam habet spicam, nec rorem continet, qui rubiginem faciat. Auertitur autem lauri ramis in aruo defixis, vt Plinius docet, transitq; in eorum folia ex aruis. Colebatur itaq; Rubigo, vt Febris, ac Mala fortuna, ne obesset.

Rubigaliorum ritus.

Processio autem fiebat à Flamine Quirinali, & populo albis vestibus induto, in lucum Rubigini consecratum. Ibi, factis precibus, quibus Rubiginem inuocabant, vt segetibus parceret, immolabatur, adhibito mero & thure, canis & ouis, eorumq; exta in cineres cremabantur. Mactabatur autem canis, nulla alia ratione, nisi quia cœlestis syderis nomen retinet, stellæ nimirum caniculæ, idq; propterea, ne nimio æstu frugibus noceat: eius enim exortu, vt Plinius docet, accendi solis vaporem quis ignorat? eius syderis effectus amplissimi in terra sentiuntur. Feruent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna, &c. De hoc sacro eiusq; ritu ita cecinit Ouidius lib. 4. Fast.

——————exoriturq; Canis.
Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ouis.
Protinus accessi, ritus ne nescius essem.
Edidit hæc flamen verba Quirine tuus:
Aspera Rubigo parcas cerealibus herbis,
Et tremat in summa leue cacumen humo.
Tu sata syderibus cœli nutrita secundis
Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas, &c.

Et mox:

Dixerat à dextro villis mantile solutis,
Cumq; meri patera thuris acerra fuit.
Thura focis, vinumq; dedit, fibrasq; bidentis,
Turpiaq; obscœnæ vidimus exta canis.
Tum mihi cur detur sacris noua victima quæris?
Quæsieram. Causam percipe, flamen ait.
Est canis, Icarium dicunt: quo sidere moto,
Tosta sitit tellus, præripiturq; seges.
Pro cane sidereo, canis hic imponitur aræ,
Et quare fiat, nil nisi nomen habet.

Rubigaliorum origo.

Instituta autem fuerunt hæc sacra à Numa Pompilio, anno regni sui 11. Plinio teste lib. 18. cap. 29. Funccius in Chron. refert ad annum ab vrbe condita 49.

FLORALIA, quæ & LAVRENTINALIA, eorumq; Ludi.

FLoralia non vnius erant diei: nam 4. Calendas Maias incipiebant, & in Calendas Maias, Vnde & Maiuma dicta exibant: quod Ouidius in fine lib. 4. Fastorum sic attestatur: Floraliorum dies.

Cum Phrygis Assaraci Tithonia, fratre relicto,
Sustulit immenso ter iubar ore suum,
Mille venit varijs florum dea nexa coronis,
Scena ioci morem liberioris habet.
Exit & in Maias festum Florale Calendas: &c.

Et rursus lib. 5. Fast. Incipis Aprili, transis in tempora Maij:
Alter te fugiens, cùm venit alter habet.

Varro etiam Floraliorum dies determinauit, Sole Tauri partem quartamdecimam obtinente: quoniam si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges & omnia quæ florebunt, lædi necesse est. Maiumæ quàlis celebritas.

Suidas tamen Maiumas, non Maiuma vocat: aitque celebritatem Romæ fuisse, qua apud Hostiam sese aqua marina inuicem permadefecerint. Vnde mos fortasse manauit, vt hodie quoque aliquibus in locis mensis Maij initio, qui sine fronde aliqua virente incedunt, madefiant, vel postibus affligant frondes & ramos, vt Gyraldus de Dijs Syntagmate 17. indicat.

Instituta autem volunt Floralia in honorem Floræ. De qua Lactantius lib. 1. de Falsa religione, & eum sequuti alij, scribunt, meretricem fuisse, quæ quum turpi quæstu magnas opes acquisiuisset, populum Romanum scripsisse hæredem, certamq; pecuniam reliquisse, cuius ex annuo fœnore, natalis eius dies quotannis, editione ludorum, celebraretur, quos Floralia dixerint. Plutarchus verò in Romulo, & Problemat. 35. itemq; Macrobius lib. 1. Saturnal. hanc meretricem non Floram, sed Larentiam vocant, qua de sic scribunt: Ædituus Herculis abundans otio, solebat dies ludo talorum ac cuborum consumere. Et quodam tempore quum sociorum nullus adesset, tædij impatiens ipsum Deum ad cuborum ludum prouocauit, sic pactus, vt si vicisset Deum, aliquid ab eo beneficij consequeretur: sin victus ipse esset, se Deo cœnam exhibiturum, & puellam elegantem qua cum concumberet: tesseris deinde duabus, vna pro Deo, altera pro se propositis ac iactis, superatus stetit pactis, ac deo & cœnam adornauit splendidissimam, & Larentiam, quæ palàm corpore quæstum faceret, ei cœnæ adhibuit, fanoq; foribus clausis intus eam reliquit. Porrò aiunt eam à Deo cognitam non humano more fuisse, iussamque prima luce in forum prodire, & in quem primum incideret, eum obseruare, amicitiamq; eius captare. Larentiam, vt surrexit & iuit, Taruntio cuidam obuiam factam esse, homini opulento, sed liberorum experti, & ætate iam ad senium vergente: qui postquam notitiam eius habuit, cùm viuus familiæ præfecerit, tùm moriens hæredem instituerit. Larentiam postea sub mortem opum suarum hæreditatem populo Romano nuncupasse: ideoq; ei honores istos haberi. Cato ait, Larentiam meretricio quæstu locupletatã, post excessum suum populo Romano agros Turacem, Semurium, Lincerium, & Solinium reliquisse, & ideò sepulchri magnificentia, & annuæ parentationis honore dignatam. Flora dea, & festi eius origo. Larentia.

Fuit deinde alia Laurentia, eiusdem nominis & famæ mulier, Romuli & Remi nutrix, cui Romani ob hoc officium conditori & parenti suo præstitum, festum quoque & sacrum instituerunt.

Sed dici vix potest quantum authores de vtriusq; festo, imò de illis ipsis mulieribus inter se dissentiant, atq; etiam errent. Macer enim historiarũ lib. 1. referente Macrobio in primo Saturnaliorum, vnam & eandem vtranque esse putat. Scribit enim, Faustuli coniugem Accam Larentiam, Romuli & Remi nutricem, regnante Romulo, Tarutio cuidam diuiti Tusco denuptam, auctamque hæreditate viri, eam post Romulo, quem educasset reliquisse: De Larentijs diuersæ sententiæ.

& ab eo parentalia diemque festum pietatis causa statutum.

2. Plutarchus in vita Romuli differentiam quidem inter vtranque facit, sed Laurentiæ Faustuli vxori Romanos sacrificasse, & libasse mense Aprili Martis sacerdotem, & Laurentiam eam celebritatem vocasse tradit.

3. Macrobius autem alterius Larentiæ sacrum 10. Calend. Ian. celebratum, quod Laurentinalia dixerint, indicat.

4. Alexander ab Alexand. lib. 1. cap. 26. ne ab vtroque horum dissentire videatur, de Faustuli vxore, Romuli nutrice sic scribit: Huic Larentiæ Aprili mense solennes dies, & sacra ab Anco instituta, Romani assiduè celebrant, quæ Larentalia dicta sunt, & 10. Calend. Ianuarias, qui dies Ioui feriatus erat. Cui Martis Flamen, & plerunque pontifices in velabro, vbi Larentiæ ara & statua erat, sacrum anniuersarium facere, ad eiusque sepulchrum Decembri mense conuenire frequentes, & dare inferias solebant, quod populum Romanum decedens hæredem fecerat. Cuius rei causa, eius dies inter Fastos relatus fuit.

De Larentijs vera sententia. Quamuis autem graue sit tantis viris contradicere, tamen, vt meam liberè dicam sententiam, omnes hi errasse videntur. Alexand. ab Alexand. enim ex duabus vnam Larentiam facit, eiq; vni duo anniuersaria festa tribuit. Deinde quæ hîc Larentiæ nutrici Romuli, ea lib. 6. cap. 9. Floræ ascribit: Fuit, inquit, Flora nobile scortum, quæ quum præpotens esset, & diuitijs afflueret, populum Rom. morte obita, hæredem fecit, pecuniamque annuam ludis exhiberi voluit.

Deinde potiorem fidem adhibendam puto in hac causa Ouidio, quàm Plutarcho, quum ille hunc plus centum annis antecesserit. Quod autem Plutarchus dicit, Larentiæ vxoris Faustuli sacrum celebratum mense Aprili, id Ouidius mense Decembri factum his versibus manifestè testatur lib. 3. Fast.

Non ego te tantæ nutrix Laurentia gentis,
Nec taceam vestras Faustule pauper opes.
Vester honos veniet, cùm Laurentalia dicam:
Acceptus genijs illa December habet.

Sic igitur ego statuo, alia tamen certiora afferenti libenter cessurus, alterius Larentiæ, nobilissimi scorti, sub nomine Floræ, sacra 4. Cal. Mai. celebrata. Nam quia Senatui Romano flagitiosum videbatur, in vulgatissimæ meretricis memoriam festum & ludos celebrare, vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur, nomen Larentiæ in Floræ mutarunt, quam Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit, eamq; oportere placari, vt fruges cum arboribus vt vitibus benè prospereq; floresceret. Eum colorem sequutus Ouidius, non ignobilem nympham narrauit Floram, quæ antea Chloris vocata fuerit: eamq; Zephyro nuptam quasi dotis loco id accepisse muneris, vt haberet omnium florum potestatem. Sic enim lib. 5. Fastorum canit:

Chloris eram, quæ Flora vocor: corrupta Latino
Nominis est nostri littera Græca sono.
Chloris eram nymphe campi fœlicis, vbi audis
Rem fortunatis antè fuisse viris.
Quæ fuerit mihi forma, graue est narrare modestè:
Sed generum matri repperit illa deum.
Ver erat: errabam. Zephyrus conspexit, abibam.
Insequitur, fugio. Fortior ille fuit.
Et dederat fratri Boreas ius omne rapinæ,
Ausus Erichthea præmia ferre domo.
Vim tamen emendat, dando mihi nomina nuptæ:
Inq; meo non est vlla querela toro.
Vere fruor semper, semper nitidissimus annus:
Arbor habet frondes, pabula semper humus.

Est

Est mihi fœcundus dotalibus hortus in agris:
Aura fouet, liquidæ fonte rigatur aquæ.
Hunc meus impleuit generoso flore maritus:
Atq; ait: Arbitrium tu dea floris habe.

Ad quæ Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 20. de Falsa religione, Honestè quidem, inquit, ista dicuntur, sed inhonestè turpiterq; creduntur. Non debent, quum veritas quæritur, huiusmodi nos velamenta decipere.

Floraliorum ritus. 1.

Celebrabantur autem hæ feriæ atque ludi, eodem Lactantio teste, cum omni lasciuia verbis & moribus pudendis, ad placandam deam, quæ floribus & fructibus præerat. Nam per tubam conuocabantur omnis generis meretrices. Vnde Iuuenalis:

——— dignissima prorsus
Florali matrona tuba

Eæ in theatro denudatæ, coram omni multitudine vtriusque sexus omnisque ætatis & ordinis hominibus, pudendis solùm tectis & inuelatis, per summam lasciuiam, atque luxum currere, & impudicos agere iocos solebant: adeoque, vt inquit Lactantius, meretrices, flagitante populo, nudatis corporibus, in tali scena, mimorum fungebantur officio. Refert Valerius Maximus libro 2. hos ludos quum Messenius Ædilis faceret, & ad spectaculum eorum etiam Cato venisset, populum ob eius seueritatem ac grauitatem petere erubuisse vt meretrices nudarentur, ludosque peragerent: id verò quum ex Fauonio amicissimo sibi vnà sedente intellexisset, discessisse è theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret: quem abeuntem ingenti plausu populus vbi prosequutus esset, priscum iocorum morem in scenam reuocasse. Vnde Martialis lib. 1.

Nosses iocosæ dulce cum sacrum Floræ,
Festosq; lusus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato seuere venisti?
An ideò tantum veneras, vt exires?

Sed audi Lector quàm friuolè Ouidius hanc turpitudinem, quæ exhibebatur deæ Floræ in his ludis, excuset lib. 5. Fast. vbi sic canit:

Scena leuis decet hanc: non est, mihi credite, non est
Illa cothurnatas inter habenda deas.
Turba quidem cur hos celebret meretricia ludos,
Non ex difficili causa petita fuit.
Non est de tetricis, non est de magna professis,
Vult sua plebeio sacra patere choro.
Et monet ætatis specie, dum floreat, vti.
Contemnunt spinam, cùm decidere rosæ.

Floralia sublata, sed restituta

Quum itaque ob has turpitudines ab Anastasio Christiano Imperatore è medio sublata esset hæc celebritas, restituta tamen fuit, exclusa omni turpitudine sub Arcadio & Honorio Impp. ob impietatem plebis proculdubio, quæ semper ad malum, quàm ad bonum est propensior. Sic enim statuerunt, vt in Codice Iustiniani legitur: Clementiæ nostræ placuit, vt Maiumæ prouincialibus reddantur, ita tamen vt seruetur honestas, & verecundia castis moribus perseueret.

2.

Deinde ædiles in his ludis cicer, fabas, aliaque eiusmodi in theatro spargebant populo, teste Porphyrione, Alexandro ab Alexandro libro sexto capite octauo, & Persio, qui inquit:

Cicer ingere largè
Rixanti populo, &c.

3.

Tertiò, in his ludis non, vt in alijs, leones, vrsi, apri, &c. sed capræ tantum & lepores admittebantur, quòd hæc dea non syluis, vbi leones & similia animalia, sed hortis ac pratis, vbi capræ & lepores versantur, præsit. Sic enim Ouidius lib. 5. Fast.

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis,
Imbelles capræ, sollicitusq; lepus?
Non sibi respondit syluas cessisse, sed hortos,
Aruaq; pugnaci non adeunda feræ.

Progressu tamen temporis introducti etiam sunt in ijs funambuli & elephantes, &c. id primùm sub Galba Imp. incepisse Suetonius his verbis innuere videtur in eius vita: Honoribus, ait, ante legitimum tempus ipsius mitis, prætor commissione ludorum Floralium, nouum spectaculi genus, elephantes funambulos edidit. De his ludis etiam intelligendus est locus Flauij Vopisci in vita Carini: Memorabile maximè, inquit, & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos nouis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus. Nam & scænobaten dedit, in quo elephanti funambuli introducebantur: & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & tichobaten, qui per parietem vrso eluso cucurrit, & vrsos nimium agentes: &c. Plinius enim docet lib. 8. elephantes docilitatis tantæ esse, vt didicerint aduersis funibus subire, ac funibus pronos retrogredi: alludens nimirum ad hos ipsos ludos.

4. *Quarto, die in scena, & præsertim noctu meretrices & populus facibus accensis, cum multa obscœnitate verborum per vrbem discurrebant. Eius rei causas Ouidius lib. 5. Fast. has retulit:*

Lumina restabant, quorum me causa latebat,
Cùm sic errores abstulit illa meos.
Vel quia purpureis collucent floribus agri,
Lumina sunt nostros visa decere dies:
Vel quia nec flos est hebeti, nec flamma colore,
Atq; oculos in se splendor vterq; trahit.
Vel quia delitijs nocturna licentia nostris
Conuenit: à vero tertia causa venit.

5. *Quinto, vt in ludis Cerealibus albis, sic in Floralibus versicoloribus vestibus vtebantur. Id Ouidius indicat, & simul causam ritus talis affert lib. 5. Fast. sic canens:*

Cur tamen vt dantur vestes Cerealibus albæ,
Sic est hæc cultu versicolore decens?
Aut quia maturis albescit messis aristis?
Et color & species floribus omnis inest?
Annuit.

Floralia anniuersaria facta. *Ludi autem Florales anniuersarij ab initio non fuerunt. Accidit autem vt aliquot annis flores arborum, vitium cæterarumq; frugum corrumperentur, fructusq; adeò omnes perirent, tunc, inspectis libris Sibyllinis, Senatus venit, si omnia benè floruissent, annuos ludos Floræ: id quum euenisset, Postumius & Lenas Coss. vota persoluerunt. De hoc Ouidius lib. 5. Fast. sic canit:*

Annua credideram spectacula facta, negauit,
Addidit & dictis altera verba suis.
Nos quoq; tangit honos: festis gaudemus & aris
Turbaq; cœlestes ambitiosa sumus.
Sæpè deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hostia blanda fuit. *Et mox:*
Longa referre mora est collecta obliuia damnis.
Me quoq; Romani præteriere patres.
Quid facerem? per quod fierem manifesta doloris?
Exigerent nostræ qualia damna notæ?
Excidit officium tristi mihi: nulla tuebar
Rura, nec in pretio fertilis hortus erat.

Kursus:

Rursus: *Conuenere patres, & si benè floreat annus,*
Numinibus nostris annua festa vouent.
Annuimus voto: Consul cum Consule ludos
Posthumio Lenas persoluere mihi.

Plinius lib. 18. cap. 29. factum hoc dicit anno ab vrbe condita quingentesimo decimo sexto.

Traditerunt nonnulli, hos ludos in Patritio vico vrbis celebrari solitos, qui à Patritijs nomen accepit. Varro autem in cliuo, quem proximum vocat.

Floralia vbi Romæ celebrata.

VESTAE Palatinæ festum.

PRidie Calendas Maias Vestæ Palatinæ sacrum celebrabatur, in ædibus quas Augustus habuit in Palatio, & incendio absumptas restituit, iuxta illud:

Vestáq; Cæsareos inter sacrata penates.

Festū hoc quando & vbi celebratum.

Fuit etiam in earum parte Apollinis templum ab Augusto extructum, & admirandis operibus exornatum, vt Iosephus tradit. De quibus omnibus Ouidius in fine lib. 4. Fastorum ita cecinit:

Aufert Vesta diem, cognati Vesta recepta est
Limine, sic iusti constituere senes.
Phœbus habet partem, Vestæ pars altera cessit:
Quod superest illis, tertius ipse tenet.

LATINAE feriæ & ludi.

LAtinæ feriæ non statiuæ, sed conceptiuæ erant, singulis annis à magistratibus in certos, vel incertos dies concipi solitæ. Etsi verò Liuius autor sit lib. 1. decad. 5. has ferias semel fuisse ad diem tertium Non. Mai. & rursus, semel ad diem tertium Idus Sextiles: itemq; lib. 5. Decadis 5. ante quartum & tertium Pridie Idus Nouemb. edictas: tamen ex eodem autore intelligitur bis mense Aprili celebratas. Nam libro 4. Decadis 5. inquit: Et ne quid profectionem suam teneret, Pridie Idus Aprilis Latinis esse constitutam diem: &c. & lib. 5. Decadis eiusdem, Romæ, inquit, Consules Prætoresq; vsq; ante diem quintum Calend. Maias Latinæ tenuerunt: eo die perpetuato Sacro in monte, in suas quisq; prouincias proficiscuntur. Propterea nos quoq; ad finem huius mensis de ijsdem agemus.

Latinæ feriæ conceptiuæ.

Initium seu originem earum nonnulli referunt ad Sp. Cassium & Posthumium Cominium Coss. à quibus fœdus inter Romanos & Latinos factum ictumq; esset. Sed Dionysius Halicarnass. grauis autor ad L. Tarquinium Superbum vltimum Romanorum regem refert. Sic enim lib. 4. scribit. Tarquinium collaudatum in concilio, quasi seruatis tot optimatibus de cunctis populis benè meritum, Latinorum principem faciunt, cum ea potestate qua quondam auum ipsius Tarquiniũ fecerant ac deinde Tullium: incisoq; in columnas fœdere, & iureiurando addito, solutum est concilium. Tarquinius gentis imperio potitus legatos mittit ad Volscos & Hernicos, eorum quoque amicitiam & societatem expetens. Volscorum duo tantum populi assenserunt, Ecetrani & Antiates: Hernici vniuersi societatem decreuerunt. Et vt sempiternum maneret id fœdus, Tarquinius proposuit designare commune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volscorum duntaxat in societatem receptorum, quò ad mercatum conuenientes quotannis vnà epularentur fruerenturq; sacris communibus. Gratum id fuit omnibus. Locus conuentui præstitutus est in meditullio fermè harum gentium, mons altus Albanis imminens, vbi singulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis spatio propter loci religionem legemq; de hoc latam ab omni vi temperarent omnes: sacraq; communiter Ioui Latiari facerent (vnde & sacrificium hoc LATIAR vocabatur, vt Macrobius docet) & vacarent epulis, constituto prius quantum quisq; populus in ea sacra præbere, quantamue portionem recipere debeat. Earum feriarum atque sacrificij par-

Latinarum origo & ritus.

ticipes fuerunt tribus minus 50. populi, quas nostra quoq; ætate Romani agitant LATINAS vocatos: conferuntq; in eas populi sacrorum participes, quidam agnos, quidam caseos, quidam lactis certum modum, quidam liba lactaria. Victima est taurus vnus communis omnium, de cuius visceribus cuique populo sua certa portio tribuitur. Sacrificatur autem pro omnibus, & Romani præsunt sacrificio. Taurus verò ab initio non nisi niuei coloris, postea etiam rufi ad hoc sacrificium eligebatur. Vnde Arnobius lib. 2. vbi de Ceremoniarum mutatione agit: In Albano, inquit, antiquitùs monte nullos alios licebat, quàm niuei tauros candoris immolare: nónne istum morem religionemq; mutastis, atque vt rufulos liceret dari, senatus constitutum sanctione?

Eadem ferè & quædam alia refert Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 7. Romanos Coss. inquit, Comitijs creatos, sortitis prouincijs, aut extra sortem datis, Latinas ferias indicere consueuisse planè perspicuum est: Iouiq; Latiali in monte Albano sacrum facere, quod LATIAR dixere, vbi carnem Latinis populis dare mos erat, quæ Visceratio dicta. Est enim mons Albanus inter Albam & vrbem Romam tractu ferè pari disiunctus, vbi templum à Tarquinio Superbo Ioui Latiali constructum ferunt, sacrumq; institutum, ad quod Latini populi numero 67. stato tempore conuenirent, & carnem poscerent. Erant autem hi fermè: Albenses, Albani, Esolani, Accienses, Abolani, Nubetani, Bolancij, Coretij, Ortenses, Latinienses, Longani, Manates, Macrales, Munienses, Olliculani, Octulani, Pedani, Pelletaurini, Querculani, Sicani, Sisolenses, Tolerenses, Corniculani, Ficulei, Vetuscamerij, Amerioli, Tutienses, Venatulani, Vicellenses. Præter hos fuere Ardeates, Violanenses, Bubetani, Corni, Varientani, Gabini, Lauinienses, Lauiniatæ, Lauicani, Nomentani, Bouillani, Prænestini, Attriciani, Scaptemij, adde etiam Laurenses, cum quibus & Romanis, post decimum Latinarum, singulis annis fœdus renouatur. Conueniebant hi noctu nonnunquam ad lumina frequentes, ibiq; nundinas habebant: vtq; alij agnos, alij caseos, nonnulli lac, plerique molam ad commune epulum afferrent, & vnà taurum immolarent concordi suffragio statutum erat. Tauro immolato, & cæsa victima, ritèq; sacrificio peracto, vt quisq; populus, qui ad sacrum accesserat, & quæq; ciuitas carnem posceret, de tauroq; partem acciperet, prisci moris erat. Principatus verò sacri & publici concilij caput, haud dubiè penes Romanos fuit. Huc pertinet illud Auli Gellij, qui lib. 13. Noctium demonstrat, præfectum vrbis Latinarum feriarum causa Romæ relinqui solitum: quem Mutius negat senatum habere posse.

Latinarum religio.

Quod quidem sacrum etsi conceptiuum, tamen sine piaculo, nec prætermitti, nec supprimi poterat. Ideò si dilatũ, aut omissum foret, piaculũ admitti putabatur. Iterari quoq; illud & non suo tempore celebrari prodigium erat. Propterea C. Flaminio, quòd secundo Punico bello Consul Latinas non indixisset, neque sacrum in Albano fecisset, sed lixæ modo sine more, sine auspicijs ad exercitum profectus esset, dirum fuit, & haud multò post, publica clade expiatum: siquidem ad Trasimenum quum inconsulta audacia in hostes irruisset, depulsis & dissipatis copijs, totoq; exercitu profligato, & nefanda cæde afflicto, prætermissi sacri pœnas dedit: vt Liuius in fine lib. 1. & lib. 2. Punici belli 2. indicat.

Latinæ non ritè celebratæ instaurabantur.

Quod si etiam in hoc sacro non omnes Latini carnem accepissent, sed aliquid dilati præteritiue fuisset, aut neglectæ ceremoniæ, intermissumue solenne est, tanquam non ritè exhibitum foret, denuò instaurari oportebat. Sic Liuius lib. 32. scripsit, Latinas ferias instauratas, quod legati ab Ardea quæsti in senatu essent, sibi in monte Albano Latinis carnem, vt assolet, datam non esse. Et lib. 37. testatur, quòd Laurentibus carnis, quæ dari debebat, data non fuisset, Latinas instauratas. In Latinis quia in vna hostia magistratus Lanuuinus precatus non erat; Prætor Quiritium religioni fuit. Id quum ad Senatum relatum esset, Senatusq; ad Pontificum Collegium reiecisset, Pontificibus, quia non rectè factæ Latinæ essent, instauratis Latinis placuit, Lanuuinos, quorum opera instauratæ essent, hostias præbere. Hinc intelliguntur loca Ciceronis, qui in Planciana, E Lauicano, inquit, Bouillano & Gabino municipio vix qui carnem Latinis peterent, sua ætate inuentos esse. Et cum Attico

iocans,

iocans, Auiam eius mortuam, quòd verita esset, ne Latinæ in officio nõ manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent.

Latinarum tempus.

Dionysius Halicarnasseus libro sexto Antiquitatum in fine, & Alexand. ab Alexand. supra citato loco indicant, has Latinas Tarquiniũ à principio in vnam tantum diẽ indixisse, quũ deuicisset Hetruriam. Post Reges verò exactos, altera populi iussu adijci cœpta fuit, ijsdem authoribus. Reconciliata verò plebe Patribus per Menenium Agrippam, à quibus defecerat, & ad sacrum montem secesserat, Senatus Latinis ferijs diem tertium addidit. Alij hoc referunt ad tempus fœderis cum Latinis à Sp. Cassio Consule icti: & quartum additum aiunt, anno demùm vrbis 396. composita, quæ diu ciuitatem turbauerat, de plebeio Consulatu seditione. Interiecto deinde tempore, in decem dilatas seruatasq; se inuenisse Alexander eodem loco refert. Vltra quos, duo etiam dies post Latinas religiosi habiti sunt. Quibus etiam solenne ludicrum in Capitolio fieri, quadrigæq; concito cursu decertare, victorq; certaminis in palmam victoriæ, Absinthium bibere solebat, eodem autore.

Latinarũ tempore inducię erant cum hoste.

His quoque diebus, si Latinis cum populo Romano bellum esset, inducię dabantur: nam in his ferijs Latinos populos inuicem arma sumere, aut acie decernere, vel agros hostiliter vastare sine graui prodigio non licebat: tunc enim odia offensionesq; cessare & quiescere debebant. Cumque post pugnam cum Veientibus ad Vesuuium fœdus ictum fuerit cum Laurentibus, deinceps singulis annis post decimum Latinarum denuò renouabatur, eodem Alexandro teste.

CAPVT XV.

Festa quæ mense MAIO à Græcis sunt celebrata.

ΣΚΙΡΑ ET ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΑ.

Scirophoriorũ dies.

Σκίρα & Σκιροφόρια, nam vtrunque reperitur, festum fuerunt Athenis, celebrari solitum duodecima die Σκιροφοριῶνος, vt Cœlius Rhodig. lib. 14. cap. 13. ex Strabone refert: quamuis eo loco Cœlius malè Σκιροφοριῶνα Martium reddat.

Scirophoria in cuius honorem celebrata.

Agebatur autem in honorem Cereris & Proserpinæ: vel, vt alij volunt, in honorem Mineruæ, quæ σκιρὰς cognominata fuit, à Sciro vate Dodonæo, vt Philochorus in secundo scribit, qui vetustissimum huius deæ templum condidit: vnde & nomen festo inditum.

Scirophoria vnde dicta.

Alij ἀπὸ τῆς σκιάδος seu τῦ σκίρα festum hoc cognominatum volunt, & Deam in cuius honorem celebrabatur. Nam in hoc festo sacerdos Erechtheigestabat σκιάδειον λευκὸν, hoc est, vmbraculum seu vmbellam albam, quòd σκιὰς & σκίρον nominatur, vt apud Scholiast. Aristophanis legitur, initio Ἐκκλησιαζουσῶν. Ibidem ab alio annotatur Scholiaste, Σκίρα esse festum apud Athenienses, à quo mensis σκιροφοριὼν nomen acceperit: ac tradere eos qui de mensibus & festis Athenienssium scripserunt, σκίρον esse σκιάδιον μεθ' ἧ φερόμενοι ἐξ ἀκροπόλεως εἰς τινα τόπον καλούμενον σκίρον, πορεύονται ἥ τε τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια καὶ ὁ τῦ ἡλίου. Solitum autem gestari ab Eteobutadis: symboliceq; eo significari, τὸ δεῖν οἰκοδομεῖν καὶ σκέπας ποιεῖν, hoc est, tempus ædificandi optimum, & tectum aliquod substruendi iam iam appetere, vt Cœlius lib. 14. cap. 13. reddidit. Hæc ferè ibi annotantur in hæc Aristophanis verba

——σωφρονεῖ καὶ τὰ νυῦ βουλεύματα
ὅπα σκίρῳ ἐδόξε ταῖς ἐμαῖς φίλαις.

Eadem apud Suidam leguntur. Cœlius Eteobutadas, in hoc festo vmbellam ferre solitos, scribit citato loco, fuisse nobiles & perillustres Athenis, à Bute sacerdote propagatos: ex eaq; familia tantum sacerdotes creatos.

Refert etiam Plutarchus in libro, Bellóne an pace clariores fuerint Athenienses,

Sciropharia celebriora festa.

Duodecimam hanc Scirophorionis diem sacratiorem feciſſe pugnam ad Mantineam, in qua pulſis cedentibuſq; ſociorum copijs, ſoli à ſua parte vicerunt Athenienſes, trophæumq; de victoribus hoſtibus poſuerunt.

BOTΦONIA ET ΔIIΠOΛIA, Διάσια & Πάνδια.

Feſtum hoc cui celebratum.

Βυφόνια *Buphonia feſtum fuit Athenis celeberrimum, in Iouis Milichij honorem celebratum, vt Suidas & Lucianus in Charidemo, itemque Heſychius annotant: vnde &* Διιπόλια, Διάσια καὶ Πάνδια *nuncupatũ fuit. Iupiter enim* Πολιεύς, *quaſi ciuilis, vel vrbis præſes & cuſtos dictus, & ab Athenienſibus cultus fuit, cuius ſimulachrum Leocharem feciſſe, à Pauſania proditum eſt.*

Buphoniorum dies.

Adrianus Iunius hoc eius feſtum ad diem 15. Scirophorionis ſeu Maij ponit in ſuis Faſtis: Elias Reuſnerus autem in auctio Gyraldi Calend. Attico & Romano ad 18. Cal. Quin.

Buphoniorum ritus.

Sacrum verò quod in eo cum quadam triſtitia, vt Heſychius ſcripſit, huic Deo fiebat, huiuſmodi fuit. Hordeum tritico mixtum in eius ara, nulla cuſtodia appoſitum ſeruabatur. Bos autem, quæ ad ſacrificium illuc accedebat, quoad ſacrificium fruges pertractabat, ex ſacerdotibus vnũ βυφόνον *id eſt, bouicidã vocabãt: hic ſecurim inijciebat, extemploq; fugiebat. Alij eius facti auctorẽ ſe ignorare ſimulantes, ſecurim ipſam ad iudiciũ agebant. Qua de re alibi ita comperio, quòd in foro ad Prytaneũ ferro rebusq; omnibus* ἀψύχοις, *id eſt, inanimatis iudicia exercerent. Hoc ex ea cauſa manaſſe exiſtimatur, quòd Erichthone Athenienſibus imperãte, tunc primùm bouẽ ad huius Dei arã* βυφόνον *& mactauit, ſecurique ibi relicta, ex finibus Atticis aufugit. Securis ipſa in iudiciũ vocata à iudicibus fuit abſoluta. Hæc omnia Gyraldus de Dijs Syntag 2. Ælianus lib. 8. Variæ hiſtoriæ cap. 3. in eandem ſententiam, ſed paulò clarius ita ſcribit:* Ἀτθικὸν τὸ τοῦ ἔθος, ὅταν ὁ βοῦς θύσωσι τῷ Διὶ τῷ Πολιεῖ, τὰ μὲν ἄλλα ἀποφέρονται, κείροντες ἕκαστον ἐν τῷ μέρει φόνου. καταγινώσκουσι δὲ τῆς μαχαίρας, καὶ λέγουσι ταύτην ἀποκτεῖναι αὐτόν. καὶ ἐν ᾗ ταῦτα ἡμέρᾳ δρῶσι, Διιπόλια τὴν ἑορτὴν καλοῦσι, καὶ Βυφόνια. *Hoc eſt: Atticis in more eſt, vt occiſo boue reliqua omnia à cæde libera pronuncient, ſingulis ordine iudicatis: ſolum autem enſem condemnent, & dicant illum cædis authorem extitiſſe. Et eius diei in quo hæc patrant, feſtum vocant* Dipolia & Buphonia. *Sacrum hoc fuit vetuſtiſſimum: vnde* διιπολιάδη *pro priſcis & obſoletis ponitur apud Ariſtophanem: ob vetuſtatem autem deſitum, nomen tantummodo retinuit. Siquidem quum priusquam boues cæderetur, mox popanon pro boue offerebant: poponon ipſum, id eſt, placentam, nuncupantes bouem, vt ex Heſychio liquet. Buphoniorum meminit Ariſtophanes in Nebulis, quo in loco plura Scholiaſtes annotat, & Suidas in ſuo Lexico. Cælius lib. 12. cap. 6.*

CAPVT XVI.

De Feſtis & Sacris quæ menſe MAIO à Romanis ſunt celebrata.

LARIVM feſtum.

Hoc feſtũ quo die celebratũ, & quare.

CALENDIS *Maijs fuit feſtum* Larium, *quòd ea die Ara ex Curibus Sabinorum Romam translata illis conſecrata fuiſſet. Hi, quòd omnia ſuis oculis tuta præſtarent,* Præſtiti *dicti ſunt. Et quia fideles ſunt ædium cuſtodes, ideo effingebatur apud Larium ſimulachrum canis, quòd is quoq; diligenter excubaret. Hinc Ouidius lib. 5. Faſt.*

Præſtitibus Maiæ Laribus videre Calendæ
Aram conſtitui, paruaq; ſigna deûm.
Ara erat illa quidem Curibus, ſed longa vetuſtas
Deſtruit, & ſaxo longa ſenecta nocet.

Cauſa

Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quòd præstant oculis omnia tuta suis.
Stant quoq; pro nobis, & præsunt mœnibus vrbis,
Et sunt præsentes, auxiliumq; ferunt.
Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat, quæ standi cum Lare causa fuit?
Seruat vterq; domum, domino quoq; fidus vterq; est
Compita grata deo: compita grata cani, &c.

BONAE DEAE festum.

Bona Dea quæ

Magna apud autores controuersia est, quæ sit Bona Dea, *cuius numen tantopere coluisse Romanos legimus. Cingius apud Macrobiũ lib. 1. Saturnal. putat, Maiam Vulcani vxorem esse, argumentoq; vtitur, quòd Flamen Vulcanalis Calendis Maijs huic deæ rem diuinam facit. Sed Piso vxorem Vulcani Maiestam, non Maiam vocari dicit. Cornelius Labeo igitur putat, aliam esse Maiam, & quidem eam quam Magnam matrem & Terram dixerint: eiq; ædem Calendis Maijs dedicatam, sub nomine Bonæ Deæ. Et eandem esse Bonam deam ac Terram, ex ipso ritu occultiore sacrorum doceri posse confirmat. Eandem alij Proserpinam crediderunt, porcaque ei rem diuinam fieri solitam, quia segetes, quas Ceres mortalibus tribuit, porca depasta est. Alij Hecaten Chthoniam. Boeotij Semelem crediderunt. Quidam præterea deam hanc Medeam putauere, quòd in eius æde omne genus herbarum esset, ex quibus antistites plerunque medicinam exhiberent: & quòd templum eius virum introire non licebat, propter iniuriam, quam ipsa ab ingrato viro Iasone perpessa fuisset. Eandem, Plutarcho autore in Cæsare, Phryges sibi asserentes peculiarem, Mydæ regis sui autumant matrem fuisse. Quidam Græcorum Liberi patris eam matrem, quam nefandum sit nominare: vnde & pampinis tentoria festum diem agentes mulieres contegunt, ac sacer draco ex fabula ad pedes deæ iacet. Alexander ab Alexand. lib. 6. cap. 8. mox ab initio dicit, multos existimasse Floram esse Bonam Deam, quæ Flauij quondam vxor fuerit. Sed hoc apud nullum veterem autorem reperitur. Deceptus est autem Alexander, & ij omnes ex quibus hoc habet, ex malè Latinè reddito exemplari Problematum Plutarchi: Vbi Problema 20. sic corruptè in Latino exemplari legitur: Quid est, quòd Floræ, quam Bonam deam nominant, omni florum genere templum exornantes, &c. Et paulò post, Floram Flauij cuiusdam vatis vxorem dicit. Sed nihil eiusmodi Plutarchus tradidit: nam si verba eius verè interpreteris sic habent: Cur matronæ domi suæ sacellum Gynæceæ seu muliebris deæ, quam Bonam vocant, ornantes, &c. Et mox: An credendum est Fabulæ, quæ perhibet, Faulij cuiusdam aruspicis vxorem, &c. Pleriq; Fauni filiam dixerunt, obstitisseq; voluntati patris in amorem eius lapsi, ita vt virga myrtea ab eo verberaretur, quum desiderio Patris nec vino ab eodem pressa cessisset. Demùm tamen in serpentem se transfiguraſſe Pater creditur, & cum filia coijsse. Horum omnium tale proferunt indicium, quòd virgam myrteam in eius templo haberi nefas sit: & quòd super caput eius extendatur vitis, qua maximè Pater eam decipere tentarit: vnde etiam vinum in templum eius non suo nomine soleat inferri, sed vas in quo vinum inditum esset, quam amphoram vocant, in sacris obuolutum apponi, quod Mellarium nominetur, & vinum lac: serpentesq; in templo eius nec terrentes, nec timentes indifferenter apparere. Sex. Clodius qui Græcè scripsit, vt Lactantius refert, hanc vxorem Fauni fuisse asserit: quæ quia contra morem decusq; regium clam vini ollam ebibisset, & ebria facta esset, virgis myrteis à viro vsq; ad mortem cæsa sit. Postea verò quum regem facti huius pœniteret, & vxoris desiderium ferre non posset, inter Deos illam retulisse, ideoq; in sacris eius obuolutam vini amphoram poni solitam. Plutarchus Problem. 20. hanc deam Flauij seu Faulij cuiusdam aruspicis & vatis vxorem fuisse perhibet, quæ clam quum vinum largius biberet, à viro deprehensa, flagris myr-*

Alex. ab Alex. error. Plutarchi locus emaculatur.

teis cæsa sit: ideoq; mulieres templum eius myrtum non inferre, licet omnibus germinantibus & florescentibus studiosè ad eam rem vtantur: & vinum ei sub lactis appellatione libare. Hanc verò Fauni coniugem, Lactantius lib. 1. de Falsa religione cap. 22. ex Varronis sententia, tantæ pudicitiæ fuisse perhibet, vt nemo eam quoad vixerit (præter virum suum) mas viderit, nec nomen eius audierit, ideoq; vbi mulieres in operto ei sacrificarint, Bonam deam nominasse. Macrobius autem lib. 1. Saturnal. hæc de Fauni filia ex eiusdem Varronis sententia refert recténe an secus, pronunciare non possum, sic enim scribit: Hanc Varro Fauni filiam tradidit adeò pudicam, vt extra γυναικωνιτιν nunquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum viderit, vel à viro visa sit: propter quod nec vir templum eius ingreditur.

Sacrorum Bonæ Deæ dies.

Celebrabatur autem huius deæ festum & sacrum Calend. Maijs, quòd ea die in monte Auentino virgo, quam alij Crassam nominant, alij Claudiam Vestalem esse putant, templum ei dedicarit: quod postea Liuia Drusilla vetustate collapsum restituit. Sic enim Ouidius lib. 5. Fast.

Est moles natiua loco, res nomina fecit,
Appellant saxum, pars bona montis ea est.
Hic Remus instituerat frustra, quo tempore fratri
Prima Palatinæ regna dedistis aues.
Templa Patres illic oculos exosa viriles,
Leniter accliui constituere iugo.
Dedicat hoc veteris Crassorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore passa virum.
Liuia restituit, &c.

Sacra Bonæ deæ quare & vbi celebrata.

Celebrabantur verò pro salute populi, non vbiq; & passim, sed in Maximi Pontificis ædiũ intimo recessu. Sunt tamen, qui arbitrentur, non in solius Pontificis, sed Consulis & Prætoris etiam ædibus celebrari consueuisse. Sic enim Plutarchus in Vita Ciceronis, Quotannis, ait, in domo Consulis, siue per eius coniugem, siue matrem familiàs cum virginibus Vestæ Bonæ deæ sacrificari mos est. Et in Cæsare ait: Cùm diei festi tempus instat, Consulem aut Prætorem marito agente, ipse quidem & omne masculum expellitur.

Sacra Bonæ deæ à solis mulieribus celebrata.

A solis autẽ mulieribus peragebantur, ita vt viro nulli interesse liceret. Mulieres quoq; castas esse oportebat, & quæ aliquot diebus à viris abstinuissent. Vnde Plutarchus putat Problem. 20. mulieres in hoc sacro myrtum abominari, quòd Veneri sacra sit. Ex Iuuenali tamẽ, Sipontinus in Latinæ linguæ Cõment. col. 572. Aldinæ æditionis, docet, viros eius poetæ tempore ita molles, lasciuos & effœminatos fuisse, vt non puduerit eos & muliebrem vestem induere, & frontem redimiculis ornare, & colla monilibus cingere, & quo nihil dici eo tempore fœdius potuerit, præter ius fasq; sacris Bonæ deæ interesse, ecclis etiam mulieribus, quibus tamen solis sacrũ locũ ingredi licebat. Mares, inquit Iuuenalis, nunc Bonæ deæ sacrificia persoluunt, ipsi litant, ipsi porcã immolant, ipsi vina offerunt: mulieres non patiuntur intrare, sed eas abigunt, & facessite hinc exclamant, non esse vobis amplius hic licet, non tibias, aut choreas exercere: & vt facto addant authoritatem, talia inquiunt sacrificia coluerunt mares Athenis, nocte exercentes Cocytia sacra. Versus poetæ hi sunt.

——— accipient te
Paulatim qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, & toto posuere monilia collo,
Atq; Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere deam: sed more siniſtro
Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ara deæ maribus patet, ite profanæ
Clamatur, nullo gemit hic tibicina cornu:
Talia secreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cocyttho.

Vbi igitur

Sacrorum Bonæ deæ ritus.

Vbi igitur dies festus instat, quicquid est masculum, domo expellitur: nec modò viri extra conspectum summouentur, licet vel in imperio Cõsulari, vel Prætoria dignitate sint, sed masculæ quoq; picturæ teguntur. Quod etiam in Mysiæ Cereris sacro fieri Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8. indicat, in quo quum septem operentur dies, tertia à templo exactis viris, pulsis etiam canibus maribus, mulieres celebrabãt. Vnde vicissim apud Romanos mulieribus sacro Herculis non licuit interesse. Nam Herculi sitienti, quum Geryonis boues per Italiæ agros duceret, respondit mulier, aquam se non posse præstare ei, quòd fœminarum deæ celebritas ageretur. Propter quod Hercules facturus sacrum, detestatus est fœminarum præsentiam: & Potitio ac Pinario sacrorum custodibus iussit, ne mulierem interesse permitterent: vt autor est Macrobius, Athenæus, Plutarchus, omniumq; copiosissimè elegantissimeq; Propertius lib. 4. Elegiarum ad Herculem. Mulieres igitur, domos, eiectis inde maribus, ornatissimè exornant ibiq; inter se multa Orphicis sacris non absimilia facere traduntur, & promiscua sonis & cantibus ioca longas exercere vigilias.

In ipsis porrò sacrificijs huius deæ canes immolabantur, quæq; huic supplicabant, maledictis & probris Deam incesserunt, neminemq; optabant bonum inueniri, qui dominascereturMacrobius suem prægnantem ei mactatam scribit: quod etiam Iuuenalis innuit Satyra 2. inquiens: Atq; bonam tenerae placant abdomine porcae Ac licet vino libarint Deae, illud tamen non suo nomine nuncuparunt, sed lac dixerunt esse: vni tamen amphoram in sacris obuolutam apposuerunt.

Sacra Bonæ deæ nocte celebrata.

Nocte deniq; non interdiu hæc sacra fiebant. Licet enim nocturna sacra prisco ritu mulieribus interdicta fuerint: in hoc tamen sacro, quod pro populi salute fecerunt, mulieres noctu conuenire, eiq; interesse non vetabantur. Quod etiam tantæ religionis est habitum, vt illud Vestales virgines obirent, & per illas sacrum fieret. Cumq; in omnibus sacris, qui rem diuinam facit, velare caput soleat, huic tamen deæ aperto capite, & inuelato sacrificat, vt refert Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8.

Sacrorum Bonæ deæ religio

Sacra Bonæ deæ violata.

Sed hac temporis opportunitate occasio frequens mœchandi, & adulteris facultas data est, vt Alex. ab Alex. loquitur. Extat eius rei notum vulgo exemplum P. Clodij apud Plutarchum in vita Cesaris. Fuit is nobili genere ortus, diuitijs & facundia præcellens, sed insolentia & audacia nulli improbissimorum secundus. Amabat is Pompeiam Cæsaris vxorem, neq; inuitam. Verùm mulierem Cæsar acri custodia sepserat, eiusq; mater Aurelia fœmina honesta perpetuò lateri adhærens Pompeiæ, arduum & periculosum eis congressum efficiebat. Sacra autem hæc nocturna agitante Pompeia, Clodius imberbis etiámnum, ideoq; fallere se existimans posse cæteras, vestitu & cultu sumpto psaltriæ, accessit ad ædes eius, iuuencullam facie referens. Cùm fores offendisset patefactas, ab ancilla conscia est citra impedimentum introductus. Dum autem illa properat, vt id Pompeiæ nunciet, mora interueniente, operiri vbi relictus erat non sustinenti Clodio, laxisq; in ædibus erranti, lumenq; declinanti, occurrit, pedissequa Aureliæ, atq; vt fœmina fœminam, prouocat ad lusum. Detrectantem in medium rapit: quæ sit & vnde, percunctatur? Cũ respondisset Clodius, Auram expectare se Pompeiæ ancillam (nam id nominis ei erat) voce est detectus. Ibi repentè pedissequa prosilit cum clamore ad lumen & cœtum, virum vociferans se deprehendisse. Obstupefactis mulieribus, sacra deæ Aurelia inhibet & obuelat. Mox iusso obserari fores, ad faces domum lustrat, Clodium quærens. Refugerat ille in ancillæ tabernaculum illius, cum qua congressus fuerat, atq; ibi deprehenditur. Cognitus à mulieribus exigitur foras. Hucusq; Plutarchus eo quem diximus loco.

LEMVRIA.

Lemuriorum dies.

SEptimo Idus Maias fiebant Lemuria: *quod Ouidius his versibus declarat libro quinto Fastorum.*

Scorpius in cœlo, cùm cras lucescere nonas
Dicimus, à media parte tenendus erit.

Hinc vbi propulerit formosa ter Hesperus ora,
Ter dederint Phœbo sidera victa locum:
Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri, &c.

Lemuria cur celebrata.

Celebrabantur autem ad placandos manes, eosq; ex ædibus abigendos. Vnde poeta superioribus mox subiungit: *Inferias tacitis manibus illa dabunt.* *Non igitur multùm à Feralibus sacris differebant, quæ mense Februario pro mortuis etiam agebantur. Nam quia mense Maio mortuis iusta soluebantur, antequam Ianuarius & Februarius anno additus fuisset à Numa, ideò postea quoque veterem hunc morem seruarunt. Quod Ouidius lib. 5. Fast. sic docet:*

Annus erat breuior, nec adhuc pia februa norant,
Nec tu dux mensum Iane biformis eras.
Iam tamen extincto cineri sua dona ferebant,
Compositiq; nepos busta piabat aui.
Mensis erat Maius maiorum nomine dictus,
Qui partem prisci nunc quoq; moris habet.

Lemuriorum ritus.

Ritu autem tali peragebantur. Surgebat nocte intempesta qui manes placaturus erat, nudis incedens pedibus: aqua fontana se abluebat: & iunctis digitis cum medio pollice, fabas nigras quas prius ore versauerit, à tergo iaciebat, dicebatq; quòd ijs se suosq; redimeret, & vbi pulsasset æra, rogabat vt ex ædibus vmbræ abirent. Hunc ritum Ouidius his verbis eleganter describit:

Nox vbi iam media est, somnoq; silentia præbet,
Et canis, & variæ conticuistis aues.
Ille memor veteris ritus, timidusq; deorum
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.
Signaq; dat digitis medio cum pollice iunctis,
Occurrat tacito, ne leuis vmbra sibi.
Cumq; manus purè fontana perluit vnda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Auersusq; iacit: sed dum iacit, hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meq; meosq; fabis.
Hæc nouies dicit, nec respicit, vmbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente sequi.
Rursus aquam tangit, Temesæaq; concrepat æra,
Et rogat, vt tectis exeat vmbra suis.
Cùm dixit nouies, Manes exite paterni,
Respicit, & purè sacra peracta putat.

Lemuria celebrata tribus noctibus, sed non continuis.

Cæterum notandum, celebrata quidem esse hæc sacra tribus noctibus, verùm non continuis, sed interueniente semper vna nocte: vt si prima sint celebrata 7. Id. Maias, altera 5. & tertia 3. Id. quod Ouidius his versibus docet:

Sed tamen hæc tria sunt sub eodem nomine festa,
Inter se nulla continuata die.

Fabarum vsus cur in Lemurijs.

Fabarum aũt vsus in his erat sacris, sicut & in Feralibus, quòd mortuorum animas in his esse crederent superstitiosissimi homines. Vnde Festus, Fabã, inquit, nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere. Varro etiam flamines ea nõ vesci tradit, quòd in flore eius literæ lugubres reperiãtur: quod etiã Pythagoras asseruit.

Lemuriorum tempore quæ prohibita.

Toto porrò tempore illo quo celebrabantur, templa deorum clausa erant, nuptiæq; omnes infaustæ putabantur. Quod Ouidius his versibus docuit lib. 5. Fast.

Fana tamen veteres illis clausere diebus,
Vt nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit non diuturna fuit.

Hac

Hac quoque de causa si te prouerbia tangunt,
Mense malas Maio nubere vulgus ait.

De hac & alijs causis, ob quas apud Romanos prohibitum fuit mense Maio celebrare nuptias, vide Plutarchum in Quæstionibus Rom. quæst. 86.

Instituta autem sunt primò à Romulo ad placandas tantum vmbras fratris Remi. Lemuriorum origo. *Cùm enim Remum occisum magnificentissimè, vt illis temporibus licebat, humasset, noctu per quietem visa est imago Remi astare lecto Faustuli & Larentiæ nutricis, conquerią de miseranda morte, & crudelitate Celeris, qui eum interfecerat: orareq3, vt à Romulo illud precibus impetrarent, quo suo nomine diem signaret. Romulus igitur ea de causa instituit illi festum, appellauitq3* Remuria: *mutata deinde est prima litera, &* Lemuria *dicta. Inde quoque postea Lemures appellatæ, quæ sunt vmbræ noxiæ, ac laruæ nocturnæ terrificationesque, & sugillatorum imagines, quas nos Heluetij* das Schrätteli / vnd deß Schrättelins vngeheür *nominamus. Sicut Lares boni spiritus dicuntur. Cùm verò incertum est, bonine an mali sint, Manes appellantur. De his Ouidius lib. 5. Fast. ita cecinit:*

Romulus vt tumulo fraternas condidit vmbras,
Et malè veloci iusta soluta Remo,
Faustulus infelix, & passis Acca capillis,
Spargebant lachrymis ossa perusta suis:
Inde domum redeunt sub prima crepuscula mœsti,
Vtq3 erat in duro procubuere thoro.
Vmbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atq3 hic exiguo murmure verba loqui:
En ego dimidium vestri, parsq3 altera voti,
Cernite sim qualis, qui modò talis eram
Qui modò si volucres habuissem regna iubentes,
In populo potui maximus esse meo.
Nunc elapsa rogi flammis, & inanis imago,
Hæc est ex illo forma relicta Remo. *Et mox:*
Noluit hoc frater, pietas æqualis in illo est:
Quod potuit, lachrymas manibus ille dedit.
Hunc vos per lachrymas, per vestra alimenta rogate,
Vt celebrem nostro signet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, & brachia tendunt:
Lubrica prensantes effugit vmbra manus:
Visaq3 confugiens somnos abduxit imago.
Ad regem voces fratris vterq3 ferunt.
Romulus obsequitur, lucemq3 Remuria dixit
Illam, qua positis iusta feruntur auis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum,
Hic verbi sensus, vis ea vocis erat.

MARTIS VLTORIS FESTVM, eiusq3 LVDI.

QVarto Idus Maias Martis Vltoris *festum & Ludi celebrantur. E plurimis enim operibus quæ Augustus Imp. extruxit, præcipua fuerunt, Suetonio teste, forum Augusti, & templum Martis Vltoris magnificentissimum, quod vouerat bella Philippensi, aduersus Brutum Cassiumq3 suscepto, ad vlciscendam mortẽ Cæsaris. Vnde & Vltorem Mar-* Festi huius dies & origo.

tem nominauit, eodem autore. Idq; hac die dedicauit: sanxitq;, vt in eo de bellis triumphisq; consuleretur Senatus: & prouincias petituri cum imperio deducerentur inde: quiq; victores redijssent, in id insignia triumphorum inferrent. Ibi etiam quarundam gentium reges & principes Augusto iuramentum fidelitatis præstare coacti sunt.

PERSICI LVDI.

Lazius lib.11.cap.16. Reipub. Romanæ ex fastis eiusdem refert, 3. Idus Maias, vsque ad 6. Cal. Mai. Ludos Persicos celebratos fuisse.

IDVVM MAIARVM FESTVM.

Iduum Maiorum ritus & origo.

IDibus Maijs scirpea simulachra iaciebantur Romæ è ponte in Tiberim, vnde prius solebant proijci homines. Sic enim Ouidius lib.5. Fast.

Idibus ora prior stellantia tollere taurum
Indicat, &c. Et mox:
Tum quoque priscorum virgo simulachra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Cuius rei etiam mentionẽ faciunt Dionysius lib.1. Antiquit. Rom. Lactantius lib.1. Diuin. Institut. Plutarchus in Problematibus, Macrobius in Saturnalibus, & Eusebius lib.4. de Euangelica Præparatione. Saturno in Italia priscis temporibus viuis hominibus sacrificatum fuit, quemadmodum etiam apud Carthaginenses, antequam vrbs eorum diueretur, & Celtas ferè omnes longo tempore, Eusebio teste. Hunc morem in Latio à Pelasgis fluxisse nonnulli crediderunt, qui sedibus suis pulsi, & incerti quibus in locis pedẽ figerent, apud Dodonam, Varrone autore, oraculum acceperunt, cuius vltimus versus talis est:

Καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Id est: Et capita Saturno, & patri mittite hominem.

Hoc oraculum paulò aliter recitat Ouidius lib.5. Fast. vbi sic canit:

Fama vetus, tunc cum Saturnia terra vocata est,
Talia fatidici dicta fuisse senis:
Falcifero libata seni duo corpora gentes
Mittite, quæ Thuscis excipiantur aquis.

Idem poeta mox aliam huius sacrificij horrendi originem refert: dicit enim iuuenes solitos fuisse antiquitùs senes suos de pontibus in aquas proijcere, vt ipsi soli pro arbitrio in comitijs suffragia ferre possent, nec à senibus impedirentur. Verba eius hæc sunt lib.5. Fast.

Pars putat, vt ferrent iuuenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

Verùm id genus sacrificij ab Hercule, cùm ex Hispania rediret, dicitur esse sublatum, ac primus fertur ea in regione in Saturno ara ædificata, intemeratas hostias immolasse. Ne tamen, quasi patrio ritu neglecto, superstitione inani turbarentur, simulachra pro viuis hominibus, quos in fluenta Tiberis proijciebant, hostiarum ornata modo in Tiberim immittere docuit. Hic ritus, temporibus quoq; nostris, inquit Dionysius Halicarnass. à Romanis Idibus Maijs diligenter fieri solet. Ea enim die Pontifices, animalibus primò secundum leges immolatis, virginesq; Vestales, Prætores, alijq; ciues, quos sacris adesse fas est, triginta simulachra hominum, quæ Argeos seu Argiuos vocant, è ponte sacro, vt vult Dionysius: vel è ponte sublicio, vt Epicadus & Plutarchus: vel è ponte roboreo, vt Ouidius: vel denique è ponte Miluio, vt Lactantius scribit, in Tiberim dimittunt. Vnde sic Ouidius:

Donec in hæc venit Tirynthius arua, quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta Deo.
Illum stramineos in aquam misisse Quirites,
Herculis exemplo corpora falsa iaci.

Epicadus

Epicadus autem refert, Herculem occiso Geryone, quum Victor per Italiam armenta duxisset, ponte sublicio ad tempus instructo, hominum simulachra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluuium demersisse, vt aqua secunda in mare deuecta, pro corporibus defunctorum, veluti patrijs sedibus redderentur: & inde vsum, talia simulachra fingendi, inter sacra mansisse.

Ouidius verò lib. 5. Fast. docet, comites Herculis, quum in Italiam venissent, vlterius progredi noluisse, sed ibi sedes suas fixisse, morientes tamẽ mandasse hæredibus, vt puluerem & cineres suos in Tiberim abijcerent, quo ita saltem ad patrios lares reuerterentur. Hæredes verò id inhumanum iudicantes, pro mortuorum corporibus, aut eorum puluere oscilla & scirpeas has imagines in flumen abiecisse quotannis. Sic enim canit:

Arcadis Euandri nomen tibi sæpè refertur:
Ille meas remis aduena torsit aquas.
Venit & Alcides turba comitatus Achiua.
Albula (si memini) tunc mihi nomen erat.
Excipit hospitio iuuenem Pallantius heros,
Et tandem Caco debita pœna fuit.
Victor abit, secumq; boues Erythreida prædam
Abstrahit: & comites longius ire negant.
Magnaq; pars horum desertis mansit in agris,
Montibus his ponunt spemq; laremq; suum.
Sæpè tamen patriæ dulci tanguntur amore:
Atque aliquis moriens, hoc breue mandat opus:
Mittite me in Tiberim, Tiberinis vectus in vndis,
Littus ad Inachium puluis inanis eam,
Displicet hæredi mandati cura sepulchri:
Mortuus Ausonia conditur hospes humo.
Scirpea pro domino Tiberi iactatur imago,
Vt repetat Graias per freta longa domos.

MERCVRII ET MERCATORVM FESTVM.

IDibus Maijs etiam Mercurij festum *agebatur: vel quòd is dies natalis esset Dei huius, vt Martialis refert: vel quòd ædes illi apud Circum maximum Appio Claudio & P. Seruilio Coss. dedicata esset. Posteriori sententiæ astipulatur Ouidius lib. 5. Fast. ita canens:* Id. Ma. cur etiam Mercurij festum celebratum.

Clare nepos Atlantis ades, quem montibus olim
Edidit Arcadijs Pleias vna Ioui.
Templa tibi posuere patres spectantia Circum
Idibus, ex illo est hæc tibi sacra dies.

Eodem quoque die Mercatorum festus dies celebrabatur, quo mercatores Mercurio sacrum facere, & suem prægnantem immolare, seq; & merces suas ex Mercurij fonte ad portam Capenam sito lustrare assuerant, ita magnos et vberes quæstus facere se posse opinantes. De quibus Ouidius lib. 5. Fast. sic cecinit: Mercatorum festum & eius ritus.

Te quicunque suas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas vt sibi lucra, rogant.
Est aqua Mercurij portæ vicina Capenæ:
Si iuuat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & vrna
Purus suffusam, quam ferat, haurit aquam.
Vda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab Vda,
Omnia quæ dominos sunt habitura nouos.

Spargit & ipsa suos lauro rorante capillos,
Et peragit solita fallere voce preces.
Ablue præteriti periuria temporis, inquit,
Ablue præterita perfida verba die.
Siue ego te feci testem, falsóue citaui
Non audituri nomina vana Iouis:
Siue Deum prudens alium, diúamue fefelli,
Abstulerint celeres improba verba noti.
Et pereant veniente die periuria nobis:
Nec curent superi, si qua loquutus ero.
Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro:
Et face vt emptori verba dedisse iuuet.

VVLCANALIA, SEV TVBILVSTRIA.

VNdecimo Calendas Iunias, vel, vt alijs placet, decimo tertio, Vulcani festum fuit, institutum ad lustrationem tubarum. Vnde Ouidius sic cecinit:

Proxima Vulcani lux est, quam Lustria dicunt:
Lustrantur puræ, quas fecit ille, tubæ.

REGIFVGIVM.

Regifugium repetitum.

SEptimo Calendas Iunias iterum Regifugium celebratur: & sacerdotibus eodem die sacrorum ritus tradebatur. Quod Ouidius his versibus indicat:

Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis,
Vel mos sacrorum, vel fuga regis inest.

Hoc idcircò factum suspicantur aliqui, quòd electo Tarquinio, qui absq; dubio Rex sacrorum fuit, alij creati sunt Consules, alij Reges sacrorum. Nisi per sacrorum morem intelligere velis consuetudinẽ & ritum sacrificandi eo die, vt agerentur dijs gratiæ ob reges exactos.

FORTVNAE PVBLICAE FESTVM.

SExto Calendas Iunias festum fuit Fortunæ publicæ: *quod his verbis Ouidius ad finem lib. 5. Fastorum testatur:*

Nec te prætereo, populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce sequente datum est.

Fortuna publica quæ.

Non est autem ea Fortuna, cui ædem dedicasse Q. Martium Ahalam, & voluisse eandem P. Sempronium Sophum, suprà retulimus: sed alia, cui sacratam ædem fuisse arbitrantur hoc die, vt in ea res diuina illi, mox post Regifugium, fieret, quòd eius beneficio populus Romanus sibi & libertatem publicam, & ablatam Tarquinij potentiam vendicasset.

CAPVT XVII.

Festa quæ IVNIO mense à Græcis sunt celebrata.

EKATOMBAIA.

Hecatombæa vnde dicta.

Hecatombæ quid.

EKATOMBAIA *festum erant apud Athenienses & reliquos Græcos, sic dictum* ἀπὸ τῆς ἑκατόμβης, *quod eo peragebatur, & celebre Græcorum sacrificium fuit, constans centum bobus: quale Conon Lacedæmonijs deuictis apud Cnidum, obtulisse dijs scribitur: vel etiam alijs pecoribus, partem capiendo pro toto: nam in* ἑκατόμβῃ *Homerus complectitur etiam* ἄρνας καὶ αἶγας, *oues seu agnos & capras. Alij intelligunt* θυσίαν ἐξ ἑκατὸν βοσίων, *id est, πδῶν, in qua immolarentur animalia quadrupeda viginti quinque,*

quinque, quorum pedes centum numero. Alij in hoc sacro per finitum numerum infinitum intelligi putant, vt ἑκατόζυγον pro πολύζυγον. Quidam etiam non à victimarum numero dictum putant, sed quòd centum Peloponnesi vrbes id facerent: vt Hecatombe à sacrificantium numero dicatur, non hostiarum: vt Eustathius autor est. Translatum à Græcis ad Romanos etiam fuit, apud quos paulò aliter, quàm apud Græcos fiebat. Colligitur id ex Iulio Capitolino, qui in vita Maximi & Balbini Impp. hoc sacrificium sic describit: Hecatombe, inquit, tale sacrificium est: Centum aræ vno loco construuntur cespititiæ, ad eas centum sues, centum oues mactabantur: inde si Imperatoris sacrificium fieret, centum leones, centum aquilæ, & cætera huiusmodi animalia centena feriebantur: quod quidem etiam Græci fecisse quondam dicuntur, quum pestilentia laborarent, & à multis Imperatoribus id celebratum constat: hæc ferè Capitolinus, & Cælius quoque lib. 20. cap. 6.

Hecatombea quando celebrata.

Celebrabatur autem potissimùm mense Hecatombæone, qui primus fuit Atticorum mensium, & Iunio nostro vt plurimùm respondet, qui & ab hoc sacrificio nomen accepit. Quia verò Solstitium in hunc mensem incidit, credibile est in die Solstitij aut circa festum hoc & sacrum Apollini celebratum fuisse, vnde & Hecatombæus appellatus fuit, Hesychio autore.

ΕΙΣΙΤΗΡΙΑ.

Isiteria quale festum.

Εἰσιτήρια festum fuit Athenis, quo magistratus noui inibant, vt Suidas habet. Fiebat autem hoc in principio mensis Hecatombæonis, qui primus mensium, & initium totius anni fuit. Plato lib. 6. de Legibus vult, vt omnes magistratus tam annui, quàm longioris temporis, pridie Calend. mensis illius, quo post Solstitium æstiuum nouus annus incipit, in vnum templum conueniant. Alij putant rectius per Εἰσιτήρια sacra intelligi, quæ Ioui βουλαίῳ fiebant, quum senatores iudicium ingressuri essent.

ΙΠΠΟΔΡΟΜΙΑ.

Hippodromia quale festum.

Ἱπποδρόμια fuerunt festum apud Boeotios, à cursu equorum nominatum, Romanorum ludis Circensibus & Curulibus non absimile. Celebrabatur mense ἱπποδρομίῳ, quem Iunio respondere suprà diximus, & nomen ab his Equirijs, quæ in eo fiebant, habet. Quinto huius mensis die Boeoti duas præclarissimas victorias consequuti sunt, vnam in Leuctris, alteram ad Gerastum, auctore Plutarcho in Camillo. Quod si dicam in rei tam benè & feliciter gestæ memoriam Equiria hæc à Boeotis hoc die instituta, à vero fortasse non procul aberrauero. Fuit & Athenis ἱππόδρομος, hoc est, certamen equestre institutum in honorem Thesei, vt docet Hesychius, sed incertum quo mense celebratum sit.

OLYMPII LVDI.

Olympia quando celebrata.

PLutarchus in vita Alexandri Magni refert, natum Alexandrum sexta die mensis Hecatombæonis, qui Iunio nostro respondet. Philippo verò eo ipso tempore nuntiatum, equum suum in Olympico certamine victorem extitisse. Mouet me hæc ratio, vt arbitrer, Olympicos ludos hoc mense celebratos. Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 1. indicat ex Pindari Scholiaste, actos hos ludos mense Parthenio, aut Apollonio, sed qui sit ille non pro certo comperi. Et quia ludorum quatuor genera apud Græcos præcipua fuerunt, Olympici, Pythij, Isthmij, & Nemei, quod etiam in primo Epigrammatum Archias hoc tetrasticho attestatur:

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροὶ,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο.
Ἄθλα δ' ἢ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς,

Ad quos vniuersum penè nomen Græcum confluxit, alij enim certorum oppidorum quasi priuati extiterunt: propterea Olympicorum occasione de Isthmijs simul quoque agemus, de Nemeis mense βοηδρομιῶνι, qui Augusto nostro respondet, in quo celebrati sunt, dicturi.

De Olympiorum origine variæ sententiæ.

De Olympiorum ludorum & certaminum origine, quibus cum voluptate ad immortalium Deorum cultum, & ad exercendas corporis vires homines excitabantur, magna est apud authores discrepantia. Sunt enim qui ad Pelopem, Tantali Phrygiæ regis & Taygetes filium, referant. Is enim relicta patria in Elidem, vbi adoleuisset, se contulit, quo loco id temporis regnabat Oenomaus, qui vnicam habebat filiam Hippodamiam, regni totius hæredem, & eo nomine à procis quàm plurimis ambitam. Verùm Oenomaus quum oraculo edoctus esset, fore vt generi opera interiret, durissimam hanc procis conditionem tulit, vt qui nuptijs filiæ potiri vellet, secum prius curuli certamine contenderet, ea lege, vt victorem filiæ suæ coniugium & regni hæreditas, victum mors sequeretur. Quum itaque iam tredecim iuuenes, vt docet Pindarus, quorum etiam nomina interpretes recensent, equorum, quos velocissimos habebat, celeritate superasset & interfecisset, Pelops, qui & ipse puellam adamabat, à Neptuno impetratis equis, & Myrtilo Oenomai aurigam pretio corrupto, vt fragiles currui axes subiungeret, Oenomaum vicit & virgine cum regno potitus est, certamenq; Olympicum victoriæ monumentum instituit, Strabone authore lib. 8. Isacius autem, cui adstipulari videtur Pindarus in Olympicis in Epinicio Theronis Agrigentini, Herculi Iouis et Alcmenæ filio id inuentum tribuit: is enim Augea Elidis rege superato, repurgatoq; eius stabulo, in campis Olympiæ vicinis iuxta Alphæum fluuium sacrum hoc certamen instituisse dicitur. Nonnulli Iouem cum Saturno hoc in loco colluctatum hos ludos dedisse aiunt. Alij debellatis Titanibus, eos à Ioue institutos, quibus Apollo Mercurium cursu superarit, Mars pugillatu superior fuerit: atq; inde seruatum esse, vt tibiarum moduli salientibus quinquertionibus accinerentur, quòd id genus carminis sacratum esset Apollini qui primus Olympicas palmas tulisset. Pausanias autem in Eliacis longè antiquiorem originem tradit. Refert enim, quinque fratres ex Dactylis Idæis, Iouis nutritoribus, in Elidem è Creta venisse, Herculem, Pæoneum, Epimedem, Iasium & Idam: Herculem vtpote natu maximum, fratribus certamen cursus per ludum proposuisse. Inde posteri nominis similitudine ducti, opinati sunt ab Hercule Alcmenæ ea certamina instituta fuisse, vt Diodorus Siculus lib. 6. indicat. Quinquagesimo autem post Deucalionis diluuium anno, Clymenum Cardis filium, vnum ex Herculis illius Idæi nepotibus, è Creta venisse, & Olympicum certamen quasi familiæ suæ prærogatiua instaurasse: aramq; tum Curetibus, tum suæ gentis authori Herculi statuisse, quem ὠλυμπιονίκην appellari iussit. Hunc postea Clymenum Æthlio satus Endymion exactum regno priuauit, liberisq; suis in cursus certamine regnum proposuit victori. Altero ab hoc seculo Pelopem quàm magnificentissimo apparatu eos ludos illustrasse. Pelopis filijs ex Elide per vniuersam dispersis Peloponnesum, Amythaon Cretheo genitus, nepos Endymionis Olympia indixit. Post eum Pelias, & Nelcus communi tum gloria tum authoritate. Postea Hercules Alcmenæ capta Elide. Secundum hos Oxylus, qui in Elide regnum obtinuit. Intermissa deinde vsque ad Iphiti tempora, qui ea instauranit, & singulis Olympiadibus postea noua certamina sunt addita, vel antiqua renouata. Nam sub Iphito primum cursus præmia posita fuerunt. Aliquot annis post in mentem venit δίαυλος, atque additus pristino cursui. Anno inde quinto decimo Pentathli ac luctæ memoria renouata. Quinta post eam Olympiade quæ 23. numerabatur, pugilatus redditus. Quinta & vicesimæ equorum cursus additus. Ab hinc Olympiade 8. excitatum de integro Pancration, & equus singularis. Ex quibus simul intelligitur, quinque potissimùm ludorum genera in Olympiacis fuisse, Cursum, Luctam, Discum, Saltum et Pugillatum, quos ludos singulos ex Idæis Dactylis fratres singulos instituisse volunt.

Olympijs quæ certamina addita.

Strabo lib. 8. refert, Olympia certamina post Troiana tempora incœpisse: cuius rei illud facit argumentum, quòd nullam de Olympicis mentionem fecit Homerus, quum meminerit tantum de nonnullis certaminibus funebribus.

Olympia vbi celebrata.

Agebantur igitur hi ludi in regione Elienſium non procul à Pisa ciuitate, & Alphæo flumine, vt testatur Vergilius lib. 3. Georgic.

Sin armenta magis studium, vitulosq; tueri,
Aut Alphæa rotis prælabi flumina Pisæ.

Puerorum

Puerorum verò certamina in his ludis ab initio planè in vsu non fuerunt, sed Elei pro arbitratu ea instituerunt. Cursus certamina & luctæ pueris proposita fuerunt Olympiade 37. Olympiade 41. pugiles pueros in certamen vocarunt. Armatorum verò cursus Olympiade 65. approbatus, propter exercitationem rerum militarium. Cursus præterea bigarum Olympiade 93. est propositus. Olympiade 99. pullorum curribus decertare visum fuit. Decreuerunt postea & bigas pullorum, pullum item solitarium. Olympiade 145. Pancratij certamina sunt instituta pueris. Fœminæ etiam in hoc certamine progressu temporis admissæ fuerunt: & quidem Cynisca Archidami filiam primam reportasse victoriam Pausanias in Laconicis testatur.

In Olympijs puerorum certamina quando instituta.

Etsi verò in his certaminibus Athletæ ab initio subligacula ferrent, quòd pudori ducerent nudatis corporibus apparere in ludis: postea tamen Lacedæmonij decertantium corpora nudari, mox oleo perfundi edocuere. Et primùm qui nudare corpus in Olympijs ausus fuit Alex. ab Alexandro lib. 5. cap. 8. Hacanthum Lacedæmonium, Dionysius autem Halicarnass. lib. 7. Neanthum nominat, factumq; id dicit Olympiade 15. Inde credo prohibitum, ne in his ludis ad spectandum admitterentur mulieres, præter vnam Pherenicem, quæ mater, filia, & soror Olympionicarum fuit, vt refert Ælianus lib. 10. variæ hist. cap. 1. & Cereris sacerdotes mulieres.

In Olympijs quando nudi certare cœperint.

In his etiam institutum, vt qui largitione corruptis aduersarijs, pugnarent, quiq; Athletæ ad præscriptũ tempus non venirent, multa plecterentur: vtq; nefario scelere conuicti, aut crimine damnati, nec in certamen venirent, neq; ante commissionem spectaculi, ad immolandum accederent: quippe Athletarum parentes, et omnem stirpem citra labem esse voluerunt. Neque barbaris etiam pugnare licere, lege similiter cautum fuit. Alex. ab Alexandro.

In Olympijs fraude & dolo vti non licebat

Iudices porrò horum certaminum erant, quos ἀγωνοθέτας appellarunt (ab initio vnus tantum extitit) author Hercules, Iphitus, Oxylus. Verùm Olympiade 50. duobus ex Elide eiuibus datus sortitò is fuit magistratus: qui numerus ab hoc tempore diutissimè durauit. Iudices autem nouem sunt electi Olympiade 25. quos ἑλλανοδίκας nominarunt, tres equorum curabant cursum: tres Pentathlum: reliquis certaminibus præerant reliqui. Altera deinde Olympiade additus & decimus. Quum autem essent Eleensibus tribus duodecim, Olympiade 103. è singulis tribubus singuli iudices electi sunt. Ab Arcadibus deinde bello petiti, victi, & agrorum parte mulctati, quatuor ex eo numero detraxerunt: tot enim tribus in hostium potestatem venerant Olympiade 104. vicesimo tandem pòst anno ad decem res redijt: Pausania in Eliacis auctore. Hi verò iudices etiam ἀβλοφόροι & αἰσυμνῆται, dicti sunt: à nonnullis verò ῥαβδοῦχοι quoq; appellatos inuenias. Referunt hæc etiam Scaliger lib. 1. poetices cap. 24. & Cælius lib. 13. Antiq. lect. cap. 17.

Olympicorum certaminum iudices.

Hi piaculare sue, & aqua lustrati ex fonte Piera, in vrna argentea calculos tot colloca bant, quot descendissent Athletæ pugnaturi, geminos, eadem litera signatos: duo enim inscriptum habebant A, duo B, & hoc modo reliqui. Singuli Athletæ Ioui supplicantes ex vrna calculũ extrahebant, quibus inspectis, qui eadem litera signatos haberent, eos iudices committebant. Si impar fuisset Athletarũ numerus, impares & calculi erant: atq; cui is contigisset, qui solus inscriptus erat, vltimo loco cũ iam defessis pugnabat. Quamuis sæpè nullũ cum quo certarent eligebant, sed cũ primo prodeunte congrediebantur, Alex. ab Alex. teste lib. 5. c. 8.

In Olympijs pugnaturi forte eligebantur.

Herodotus lib. 8. indicat præmium in his certaminibus propositum κότινον, oleaginam coronam, qua donati fuerint victores: Non tamen è quouis oleastro coronæ victoribus dabantur antiquitus, sed è vocata καλλιστεφάνῳ, vt testatur Aristophanis enarrator de sententia Aristotelis: cuius verba sic Latinè habent. Oliua quædam est in Panstethio, quæ vocatur Callistephanus, cuius folia è contrario se habent ipsa natura, atq; folia cæterarum oliuarum. Demittit ramos tanquam myrtus conficiendis coronis accommodatos. Ex hac cepit Hercules, atque in Olympicis plantauit, è qua dantur coronæ Athletis. Est verò ipsa circa Hilissum fluuium sexaginta stadijs distans ab ipso flumine, atq; circumsepta est. Proposita est magnæ pœnæ si quis illam attigerit, è qua capientes Elei Athletis coronas in Olympicis pro-

Victorum in Olympijs præmium.

ponebant. Hanc & ab Hercule ita fuisse portatam, & ea coronari in Olympicis Athletas consueuisse, etiam significauit Pindarus in Epinicio Theronis Agrigentini. Quapropter Tigranes Artabani filius, eo tempore quo Xerxes bellum cum Græcis gerebat, audiens præmium Græcis in his certaminibus oleaginam coronam esse, non pecuniam, dixisse fertur: Papè Mardoni (is enim Xerxi bellum contra Græcos suaserat) in quos viros induxisti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitant, sed virtutis? Herodoto autore in Vrania. Coronis tamen aureis & æneis donatos victores quandoq; in his ludis, Alex. ab Alexandro scribit lib. 5. cap. 8. Testis est Athenæus lib. 12. cap. 6. Olympicum conuentum Crotoniatas victis Sybaritis conatos fuisse ad se pertrahere, quum certamen opulentum argenti ipsi constituissent, eodem tempore quo celebrari Olympia consueuerant, vt hoc pacto Athletas ad se pellicerent. Alij tamen hoc voluisse Sybaritas malunt. Vitruuius lib. 9. & Xenophanes Colophonius scribunt, Olympionicas non modò in conuentu stantes cum palma & corona tulisse laudes, sed etiam quum reuerterentur in suas ciuitates, cum victoria triumphantes, disiecta parte muri per ruinas quadrigis inuectos, vt significaretur, non magnopere ciuitatem talem muro opus habere, habentem viros qui possint pugnare & vincere: & è Repub. perpetua vita constitutis vectigalibus vsos fuisse. Vnde à Solone etiam institutum fuisse Plutarchus scribit, vt drachmæ quingentæ darentur ei, qui Olympia vicisset: sin verò ter vicisset, statuæ, quas Iconas vocant, similitudine membrorum expressa dicarentur: adeò vt Græcis Olympionicem maius esse censeretur munus, quàm Romæ de hostibus triumphus: quamuis Romani etiã Athletas, qui sacris certaminibus coronã meruissent, vacationẽ munerum, curæ, tutelæq;, & perpetua immunitate donarent: sicut etiã Alex. ab Alex. lib. 5. c. 8. refert.

Olympia quomodo inchoata, & quandiu celebrata.

Hoc certamen solennibus quibusdam sacrificijs auspicabatur: essèq; literis proditũ Alexander eodẽ loco testatur, ab immolato tauro, Deo quem Myiodem vocant, dum Olympiorum celebritas manserit, muscas ad vnã cateruatim Pisas concessisse, rursusq; ludis absolutis, eodem reuersas. Eidem verò certamini quinto die finis imponebatur: quinq; diebus enim celebrabantur Olympia, postq; lunæ vndecimam quintadecima tenus, quo die qui vicisset pronunciabatur: veràm præludia erant diebus triginta, vt Cælius scribit.

Olympia quinto quoque anno celebrata.

Fiebant etiam non quotannis, sed quinto quoq; anno, quòd fratres quinq; numero Idæi Dactyli fuissent. Quod etiam Aristophanes in Pluto sic testatur:

Ὁ Ζεὺς δῆπτε πένεται· καὶ τοῦτ' ἤδη σαφῶς σε διδάξω.
Εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ποιῶν αὐτὸς τὸν ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα,
Ἵνα τὰς ἄλλως ἅπαντας ἀεὶ δι' ἔτους πέμπτου ξεναγείρῃ,
Ἀνεκήρυττεν τῶν ἀθλητῶν τὸς νικῶντας, στεφανώσας
Κοτίνου στεφάνῳ, καὶ τι χρυσῷ μᾶλλον ἐχέλῳ, εἴπερ ἐπλούτει.

Iupiter sanè pauper est: quod te palàm profectò docebo.
Nam si diues sit quo pacto faciens is certamina Olympi
Illic, quo Græcos omnes quinto quoq; anno coëgit,
Per præconem nuntiaret Athletas victores, vbi coronasset
Oleastri corona? nam magis auro decuit, si diues is esset.

Hoc tamen vt rectius intelligatur, obseruandum, Olympiada non quinque, sed quatuordun taxat complecti annos. Qua de re Glareanus in Chronologia quam in Dionysij Halicarnassæi libros Antiquitatum Rom. scripsit, sic refert: Olympias est spacium quatuor annorum: quod puto apud Romanos vocari lustrum. Et paulò pòst: Fefellit autem quosdam hic loquendi modus apud Latinos, Quinto quoq; anno agon gymnicus totius Græciæ celebrabatur, vt Olympiada spatium quinq; annorum crediderint, atq; adeò etiam scriptis prodiderint: non intelligentes, annum quo sequens Olympias incipit, quintum dici annum, qui tamen est primus sequentis Olympiadis. Quatuor itaque anni interiacent, exceptis ijs quibus luditur mensibus. Hæc ille. Similiter alij quidam Olympiadibus quaternos tantùm annos ex Solino & Eusebio tribuerunt. Ita etiã apud Suidam Olympias quatuor annos habet: qui tamen non τέσσαρα ἔτη λέγει, verùm τέσσαρα ἐνιαύσια ἀγῶνα exponit. Per has autem Olympiades deinceps apud Græcos tempora numerata sunt, veluti apud Romanos per Consules, quorum

magistratus annuus erat. Quocirca miror Natalem Comitem lib.7. Mythologiæ cap.1. scripsisse, quinquagesimo quoque anno ludos hos celebratos: nisi erratum sit typographicum, & pro mense anni nomen positum: nam vt idem auctor lib.5. cap.1. scribit, agebantur Olympica certamina quinquagesimo quoq; mense. Natalis Comes corrigitur.

Olympicos autem ludos propter Olympij Iouis templum, & Olympiam campum, qui templo adiacet, & in quo isti fiebant, dictos accepimus. Vnde Strabo lib.8. sic scribit: Est in agro Pisano templum ab Elide stadijs 300. absens. Ante illud verò lucus agrestis vestitus olea surgit, in quo stadium iacet: Alphæus autem alluit ex Arcadia labens. Initio quidem ex Olympij Iouis oraculo ingentem sibi claritatem vendicauit: eoq; deficiente nihilominus templi fama remansit. Et quantum ipsi nouimus adaucta est, & celebritatis gratia, & ludorum Olympicorum causa, &c. Olympia vnde dicta.

Syracusis etiam & Athenis alia agebantur Olympia: alia Herculi in agro Leontino, quæ si quando intermissa fuissent, loqui non poterant ante Sacerdotes lingua impediti, quàm ludos repetissent, vt Sardus refert lib.3. Olympia alia.

HPAIA.

AD ludos Olympicos pertinet etiam Ἀγὼν muliebris, quem Ἡραῖαν Iunonium *dixere: nam progressu temporis etiam mulieres ad hos ludos admissas iam indicauimus. Celebrabatur autem in honorem Iunonis ἡραίας, quæ templum in Elide habuit, quod Scilluntij ex Triphylia struxisse creduntur, octo ferè annis posterius quàm Eleis imperare cœpit Oxylus. De hoc certamine Pausanias in Eliacis & Cœlius lib.13. cap.24. ita scribunt: Quinto quoq; anno Iunoni peplum contexebant mulieres decem ac sex numero, quæ ipsæ agoni præficiebantur, singulæ ex singulis vrbibus Elidis: & cum octo tribus Eleorum fuissent, duæ ex singulis delectæ, sue & aqua ex Piera prius lustratæ. Currebant verò virgines ætatis vtiq; non vnius, prodibant principes natu omnium minimæ, sequebantur grandiores paulò, postremis quæ cæteras anteirent ætate. Currebant autem sic: demittebatur illis coma, tunica subsistebat paulùm suprà genua, dexter vsque ad pectus retegebatur humerus. Stadium Olympicum erat cursui destinatus locus, sexta tamen parte dempta. Victoriæ præmium oleagina fuit corolla, & bouis portio Iunoni immolatæ. Certaminis vetustatem ad Hippodamiam producunt, quæ Pelopis adepta coniugium, sic Iunoni gratam se ostenderit, sex & decem allectis mulieribus, cum quibus ἡραῖα statuerit prima: tuncque vicisse Chlorin Amphionis filiam. Afferuntur & alia, quæ huc prorsum spectant, sed ambustis Græcorum codicibus, in lubrico haudquaquam luctabimur. Illud apertius omninò ac certius, à mulieribus ijsdem duos constitutos choros, alter quorum Physcoæ dicatur, Hippodamiæ alter.* Heræa cui celebrata & eorum ritus. Heræorum origo.

HPAIA alia, quæ & ΑΣΠΙΣ ἐς Ἄργως dicta.

CElebrata & apud Argos Panagyris Iunonis *honori legitur, quam itidem ἡραίαν vocarunt, & ἑκατομβαίαν, quia Deæ centum in ea immolarentur boues. Sed & certamen in ea celebratum, in quo præmium fuit χαλκῆ ἀσπὶς, æneum scutum, quod significat Pindarus, corona item myrtea: vt refert Cœlius lib.13. cap.34. Hyginus in Fabulis poeticis, Argis, inquit, facti sunt ludi à Lynceo Ægypti filio Iunoni Argiuæ, qui vocantur Ἀσπὶς ἐς Ἄργως: quibus qui vicit, accepit pro corona clypeum: ideò quòd Abas Lyncei & Hypermnestræ filius nuntiauit Danaum parentibus periisse: cui Lyncæus de templo Iunonis Argiuæ detraxit clypeum, quod Danaus in iuuenta gesserat, & Iunoni sacrauerat, & Abanti filio muneri dedit. In his ludis qui semel vicit, et iterum descendit ad certamen: vt nisi iterum vincat, sæpè descendat: refert etiam Gyraldus de Dijs Syntag.3.* Festi & certaminis huius ritus.

ΘΗΣΕΙΑ.

ΘΗσεῖα festum in honorem Thesei celebratum fuit Athenis octauo ἑκατομβαιῶνος, Festi huius dies, origo & ritus.

quo rediens ex Troëzene interfectis in itinere aliquot latronibus primùm Athenas ingressus est salutaturus patrem Ægea, quem eousq; ignorauerat: vt Plutarchus tùm à principio, tùm etiam in fine vitæ eius ex Diodoro Periegeta indicat. In hoc verò celebri festo dabatur populo congiarium, & conuiuia luxuriosissima celebrabantur, teste Cælio lib. 7. cap. 23. Eiusdem festi apud Aristophanem in Pluto etiam fit mentio, vbi Scholiastes annotat, omnes in illo festo gratis ἀθάραν, id est, farinam siue pultem, & alia quædam comedisse.

Theseo octauo quoque die mensium honores exhibiti.

Refert Plutarchus eodem loco, alijs etiam mensibus octauo quoq; die honores & cultus Theseo exhibitos, & festa celebrata fuisse. Vel, quòd octauo die Hecatombæonis ex Troëzene Athenas se contulisset: vel, quòd hic numerus magis quàm alius illi conueniret. Nec uno enim, cuius Theseus filius existimabatur, octauo quoq; die singulis mensibus feriatos nouimus.

Festum aliud Connidæ.

Idem author est in initio vitæ Thesei, Connidæ cuidam θητρότῃ & παιδαγωγῷ Theseiusq; ad suam ætatem Athenienses proximo ante Θησεῖα die festum celebrasse, in eoq; arietem immolasse: hocq; pacto ait, memoria beneficij & honoribus Connidam multò iustius eos prosequi, quàm Silanionem & Parrhasium, qui imaginis Theseiq; pictores ac fictores fuerint. Vnde intelligitur his duobus quoq; Athenienses cultum & honorem quendam ob Theseum publicè tribuisse.

KRONIA.

Cronlorum dies.

Κρόνια Cronia celebrata esse Athenis duodecima die mensis ἑκατομβαιῶνος. Demosthenes contra Timocratẽ testatur, his verbis: τὰ ἑκατομβαιῶνος δωδεκάτῃ τὸν νόμον εἰσιώγειν δύσε. καὶ ταῦτα ὄντων Κρονίων Hesyc. quoq; Κρόνια refert celebrata mense Hecatombæone, qui inde antiquitùs Κρόνιος appellatus fuit, vt ex Plutarcho colligitur, qui in Theseo sic inquit: ἡμέρα ἣ δὴ Κρονίων μὴν ὀνομάζουσιν ἑκατομβαιῶνα καλοῦσι. Latinè Saturnalia appellantur. Et quia Athenæus scribit, Romanos sua Saturnalia à Græcis mutuatos esse, vnde & Κρονίων ἡμέρας ea nominat, absq; dubio ijdem ritus in Cronijs sunt obseruati, quorum in Romanorum Saturnalibus meminimus. Versus tantùm L. Accij, antiquissimi poëtæ, ex suis Annalibus adscribam de Athenienſium Κρονίοις:

Cronlorum ritus.

Maxima pars Graium Saturno, & maximè Athenæ,
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis,
Cumq; diem celebrant per agros, vrbesq; ferè omnes,
Exercent epulis læti, famulosq; procurant
Quisq; suos, nostriq; itidem: & mos traditus illhinc
Iste, vt cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

METOIKIA.

Metœciorum origo.

Μετόικια siue συνοίκια apud Plutarchum in Theseo sacrum esse tradunt, à mutatis ciuium sedibus: alij autem Ferias fuisse volunt, ob receptos in vrbem incolas, decimo sexto die Hecatombæonis celebratas. Quum enim Plutarchus eo loco ostendisset, Atticæ incolas, ex diuersis oppidis municipijsq; in vnam ciuitatem à Theseo coactos, hæc verba subijcit: ἔθυσε δὴ καὶ Μετοίκια τῇ ἕκτῃ φθίνοντος ἑκατομβαιῶνος, ἃ νῦν ἔτι τοῖς θύουσι. Thucydides lib. 2. hoc festum vocat Συνοίκια.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ ΜΕΓΑΛΑ.

Panathenæa M. quando celebrata.

Panathenæa duplicia fuisse supra ostendimus, Parua scilicet & Magna: de Paruis diximus: de Magnis nunc agemus. Celebrata sunt illa non quotannis, sed quinto quoque anno, vt Suidas annotat, & in argumento Orationis Demosthenis contra Midiam indicatur, solita ea fuisse τελεῖσθαι κατὰ πεντατηρίδα. Annuis longè fuerunt celebriora, & propterea μεγάλα nuncupata: à Latinis rectè Quinquatria appellari possent.

Quo mense

Quo mense & die acta sint, ego quidem disertè expressum non reperi, coniecturis tamen non leuibus id demonstrare conabor. Thucydides lib.1. refert, Harmodium & Aristogitonem nactos Hipparchum, Pisistrati tyranni filium, ad fanum Leocorium, in Panathenaica pompa adornanda occupatum, obtruncasse. Rursus lib.6. dicit, in festis quæ dicantur Magna Panathenæa id perpetratum ab ipsis. Vbi notandus obiter error Lazij, qui lib.10. Reip. Romanæ cap.7. dicit, Thucydidem referre, Hipparchum fuisse occisum ab Harmodio & Aristogitone, dum pompa MINORVM *Panathenæorum ordinaretur ab Hipparcho. Collocat autem Adrianus Iunius in suis Fastis cædem Hipparchi ad diem vigesimum octauum mensis Iunij.* Lazij error.

Inducta primò fuerunt, vt Cælius testatur lib.11. cap. 27. ab Erichthonio Vulcani filio, quum vicatim disiectum populum Atheniensem in vnam ciuitatem euocasset. Scriptum autem reliquit Apollodorus lib.3. Erichthonium à Minerua in templo educatum fuisse, cumq; adoleuisset, regnumq; Athenarum accepisset, Mineruæ altricis signum in arce erexisse, & Panathenæa solennitatem in honorem Mineruæ instituisse: vt etiam Natalis Comes lib. 9. Mythologiæ cap.11. refert. Postea verò à Theseo sunt renouata. Is enim, vt in eius vita Plutarchus scribit, postquam Atticæ incolas εἰς ἓν ἄστυ συνῴκησε, καὶ μιᾶς πόλεως ἕνα δῆμον ἀπέφηνε τέως ἀποροῦντας ὄντας καὶ δυσανακλήτους πρὸς τὸ κοινὸν πάντων συμφέρον. Κατέλυσέ τε τὰ παρ' ἑκάστοις πρυτανεῖα καὶ βουλυτήρια καὶ ἀρχὰς, ἓν δ' ἐποίησεν ἅπασι κοινὸν πρυτανεῖον καὶ βουλυτήριον. Τὸ ἄστυ τε νῦν πόλιν Ἀθηνᾶς προσηγόρευσε, καὶ παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν: hoc est, in vnam vrbem congregauit, & vnius vrbis vnum populum effecit, quum antea sparsim varijs habitarent locis, & difficulter pro communi omnium libertate conuenire possent. Quumq; singulorum Prytanea, curias ac magistratus sustulisset, vnumq; & commune omnibus Prytaneum & Curiam constituisset, ciuitatem Athenas appellauit, & Panathenæa communem celebritatem decreuit. Ante enim nominatam fuisse hanc solennitatem Ἀθήναια, *Ister tradidit Atticorum lib.5. id est, Minerualia, seu Mineruæ sacra, vt quæ in honorem Mineruæ agitarentur: postea verò παναθήναια, διὰ τὴν τῶν πάντων τὴν Ἀττικὴν κατοικούντων εἰς ἓν Ἀθηνῶν ἄστυ συνοίκισιν, vt iam dictum est: fuit enim mos Græcis addere vocem illam πᾶν nominibus & verbis quum vniuersitatem significare vellent: vt παμβασιλῆς, πανδοκεύς, παμπόνηρος, πανέλληνες. Potest & inde nomen hoc natum esse, quòd ad Panathenæorum ludos ex omnibus Atticæ oppidis & vicis conuenirent. Eandem originem Thucydides etiam lib.2. huius celebritatis refert: Suidas quoq; cum Scholiaste Aristophanis scribit, fuisse ἑορτὴν ὅτι τῷ ὑπὸ Θησέως γενομένῳ συνοικισμῷ: eum enim συναγαγεῖν τοὺς δήμους εἰς ἄστυ.* Panathenæorũ M. origo. Athenæa. Panathenæa vnde dicta.

Posis libro 3. Μαγνητικῶν, *apud Athenæum libro 12. cap.16. testatur, Themistoclem apud Magnesios inito magistratu, quem στεφανηφόρον Coroniferum appellant, Panathenæa ibi instituisse.* Panathenæa institutа apud Magnesios.

In his solenni carmine per tibicinem & præconem ludicrum indicebatur. Ac gestabant in ijs senes venusti ad id delecti oleaginas frondes, quos ob id θαλλοφόρους *nominabant: quod Xenophon innuere videtur in Sympos. inquiens:* Θαλλοφόρους δὴ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας αἱροῦνται, ὡς συμπαραμαρτυροῦντας πάτριον ἡλικίαν καὶ καλήν. *Aristophanis Scholiastes in Vespis refert ex Dicæarchi Panath.* καὶ τὰς χρηὰς ἐν τοῖς παναθηναίοις θαλλοφορεῖν: *miratur autem vnde id acceperit.* Panathenæorũ ritus.

Auctor Orationis Demosthenis contra Midiam testatur, consueuisse fieri ἐν τοῖς μεγάλοις, γυμνασιάρχημα τι, καὶ προβάλλεσθαι ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕνα γυμνασίαρχον, λαμβάνοντα χρήματα εἰς τὸ γυμνάζειν τοὺς ὅπλα τελέσοντας τῇ ἑορτῇ, καὶ δόσαντας τούτων δαπάνας τοῖς τῆς ἑαυτοῦ φυλῆς, hoc est, in Magnis Panathenæis, exercitationes quasdam, & è singulis tribubus vnum gymnasiarchiam constitutum, datamq; ei pecuniam ad exercendos eos, qui festum peracturi essent, & ad earum rerum sumptus suis tribulibus suppeditandos.

Erant verò γυμνάσια seu exercitationes illæ duplicis generis: Poetarum videlicet, comœdorum & tragœdorum, vt ex Demosthenis Oratione aduersus Midiam luculenter intel- Γυμνάσια in Panath. quæ-lia.

ligi potest. Hinc etiam Ælianus lib.8. variæ historiæ scribit, Pisistrati filium Hipparchum primùm Homeri versus Athenas importasse: & Rhapsodos Panathenaicis festiuitatibus eos canere instituisse: quod tamen ipsum lib.13. non Hipparcho sed Pisistrato tribuit.

Erant & certamina curulia, palæstræ, & id genus alia in his Panathenæis vsitata: vnde Athenæus lib. 4. de quodam Phoco homine intemperantissimo scribit, quòd in Panathenæis equo vicerit, paterq; eius socios ad conuiuium vocarit. Et lib.5.cap.3. cuiusdam Autolyci meminit, qui in Panathenæis ob Pancratium coronatus sit. Sic etiam Xenophon in Symp. dicit, ὧν γὰρ παναθηναίων τὴν μεγάλην ἱπποδρομίαν. Et Demosthenes pro Corona, αὐτὸς ἐστησε παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις ἐν τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι. Ita Eusebius in Chron. Agonem, inquit, gymnicum, quem Panathenæon vocant, Athenis celebratum extitisse. Hinc est illud in historijs celeberrimum, de sene quodam ingresso in hoc genus spectaculi, qui quum à nullo reciperetur, postremò à Lacedæmonijs fuisse receptum, & dixisse cum lachrymis: Heu me miserum, vt Græci omnes nouerunt quæ honesta sunt, sed his soli vtuntur Lacedæmonij.

In hac verò celebritate neque senes, neque ignobiles, neque viros, sed pueros tantùm certasse, Gyraldus Syntag.17. de Dijs ex Aristophanis Commentarijs refert.

In Panathenæis quoq; armati pueri saltarunt: in quibus, vt in ludis Iuuenalibus Romæ, pueri puellæq; forma conspicui, manibus amplexi, nunc in orbem, nunc in obliquum per diuersos flexus Pyrrhicam in theatro saltabant: de quo saltationis genere in ludis Iuuenalium plura diximus. Referunt autem hoc Alex. ab Alexandro lib.6.cap.19. Scaliger lib.1. poëtices cap.27. Cœlius lib.5.cap.4.

Indicat etiam Alexander Sardus lib.2. de Gentiũ moribus, in Panathenæis maioribus consecrasse Mineruæ peplũ, Deorum victoria intexta, quam retulerint de Gigantibus, Typhonis cæde, Enceladiq; imagine, quos Dea interfecerat, & eorũ, qui aliquid fortiter egissent.

Victorum in Panathen. præmium.

Eum verò qui his Ludis vicisset, præmium asportasse ferunt velut amplum precium Κεράμιον seu amphoram olei octo & quadraginta sextarios continentem, & coronam oleaginam plexam.

Ad Panathen. coloniæ Athenien. bouem mittebant.

Ad Panathenæorum denique solennitatem singulæ Athenienſium coloniæ bouem mittebant, vnde omnes propter carnium magnam copiam supra modum se cibis ingurgitabant, vt testatur Aristophanis interpres in Νεφέλαις.

CAPVT XVIII.

Festa & Sacra quæ IVNIO mense ab Romanis sunt celebrata.

CARNAE DEAE FESTVM.

Carneorum origo.

CALENDAS Iunias Carnæ Deæ sacrauit antiquitas. Nam Iunius Brutus, qui primus Consul Romæ factus est, Calendis Iunijs, pulso Tarquinio, huic Deæ templum dedicauit, & sacra in Cœlio monte voti reus fecit. Hanc Deam vitalibus humanis præesse crediderunt. Ab eaq; petierunt, vt iecinora & corda, quæq; sunt intrinsecus viscera, salua conseruet. Ob eamq; causam Brutus ei templum consecrauit, quòd cordis beneficio, cuius dissimulatione idoneus habebatur, statum publicum emendasset, Macrobio teste lib.1. Saturnal.cap.12. & Alex. ab Alex. lib.2.cap.22. Ouidius lib.6. Fast. Nympham fuisse fabulatur, & dictam Carnam, quasi Cardinam putat, à Cardinibus nimirum, quibus præsit. Compressam enim à Iano, pro mercede concubitus, accepisse potestatem aperiendi clausa, & aperta claudendi: atque insuper virgam Ianalem, qua striges à foribus pellerentur. Sic enim canit:

Carnea dea quæ.

Prima dies tibi Carna datur: dea Cardinis hæc est,
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

Et quum

Et quum stuprum ei à Iano illatum descripsisset, hæc Ianum loquentem introducit:

Ius pro concubitu nostro tibi Cardinis esto,
Hoc precium positæ virginitatis habe.
Sic fatus, virgam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Moris autem fuit sacrificare & gustare hoc die in honorem Carnæ deæ lardum, & pultem fabaceam, hoc est, fabas mixtas cum calido farre: Vnde & Calendæ fabaceæ *dictæ sunt. Factum hoc docet Ouidius, quod vetustissimam deam prisca frugalitate delectari crederent: sic enim lib. 6. Fast. canit:* Carnearum ritus.

Pinguia cur illis gustentur larda Calendis,
Mixtaq; cum calido sit faba farre rogas?
Prisca dea est, alitursq; cibis, quibus ante solebat,
Nec petit ascitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illis populis sine fraude natabat,
Ostreaq; in conchis tuta fuere suis. *Et mox:*
Sus erat in precio, cæsa sue festa colebant.
Terra fabas tantum, duraq; farra dabat.
Quæ duo mista simul sextis quicunq; Calendis
Ederit, huic lædi viscera posse negant.

His duobus vltimis versibus, aliam causam afferre videtur, ob quam Calendis Iunijs, quæ sextæ sunt à Ianuarijs Calendis, lardo, farre & faba Carnæ sacrificatum fuerit, quòd nimirum vires corporis his rebus maximè roborentur, nec lædrentur: cuius etiam Macrobius meminit lib. 1. Saturnaliorum: ob eamq; causam, has fabas, nisi Calendis Iunijs adultæ forent, sacris adhibere non licebat, vt Alex. ab Alex. testatur lib. 2. cap. 22. In quo authore obiter mendum exemplaris notandum videtur, nam quòd sacrum Carnæ deæ Calendis Iulij factum scribit, de Calendis Iunij intelligendum est. Alex. ab Alex. error.

IVNONIS MONETAE festum.

CAlendis Iunijs etiam dedicata est ædes Iunonis Monetæ. *Vouerat eam M. Furius Camillus dictator in ipso prælio cum Auruncis facto. Romam quum reuersus esset, Senatus Duumuiros ad eam ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari iussit, locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlij Capitolini fuerat. Is Manlius direpta penitus & incensa vrbe à Gallis Senonibus, & arce Capitolina obsessa, quum nocte arcem Galli ascenderent, clangore anserum expergefactus, primus Gallos adortus est, & inde vi propria repulit, vnde & Capitolinus appellatus. Sed postea affectati regni conuictus damnatusq;, è saxo Tarpeio præcipitatus est, vt Varro & Liuius referunt. Plutarchus addit, Romanos, diruta eius domo, ædem Iunonis Monetæ ibi dedicasse. Facta est ea dedicatio anno postquã vota erat, C. Martio Rutilio, T. Manlio Torquato Consulibus: Prodigiumq; extemplò dedicationẽ sequutũ est, quòd & nox interdiu visa intendi, & lapidibus pluit. Meminit huius ædis Solinus his verbis: Tatius in arce, vbi nũc est ædes Iunonis Monetæ 27. Olympiade hominem exuit. In Romuli vita Plutarchus inquit, incoluisse Tatium eam vrbis partem, vbi nunc Monetæ templum sit, qua ex Palatio in Circum maximum itur, iuxta quem locum sunt quos Pulchræ Monetæ gradus vocant. De huius deæ templo eiusq; festo die ad eundem modum Ouidius canit lib. 6. Fast.* Festi huius origo.

Arce quoq; ex summa Iunoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta Camille tuo.
Antè domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino repulit arma Ioue.

Valerius Maximus lib. 1. de Miraculis, & Lactantius lib. 2. Institut. Iunonem Monetam

eam vocant, quæ captis Veijs Romam translata est. Sed Liuius lib. 5. ab vrbe condita, eam Iunonem Reginam verbis Furij Camilli nominat, eiq; non in Capitolio, sed in Auentino templum locasse scribit Dictatorem illum.

Dea Moneta vnde dicta.

Dictam autem hanc deam Monetam à monendo, Ciceroni in lib. de Diuinatione placet. Nam quum nouo motu tota vrbs contremisceret, & quibus piamentis, cuiue Deo sacrum fieret, non dignoscerent, ex arce vocem auditam ferunt monentem, vt sue plena sacrum Iunoni & procuratio fieret: refert etiam Alexander ab Alex. lib. 6. cap. 4. Suidas huius nominis aliam reddit causam & originem. Cùm Romani, inquit, pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, Iunonem inuocarunt: quæ illos monuit, si iustitiæ armis vterentur, pecuniam eis non defuturam. Id quum Romanis rectè contigisset, Monetam Iunonem venerati sunt. Sed potius credendum Ciceroni arbitror, præsertim quum diu ante Pyrrhum huius deæ & templum Romæ, & nomen Monetæ fuerit.

MARTIS EXTRAMVRANI festum.

APud Romanos Mars duo templa habuit: alterum intra vrbem, ad tranquillitatem custodiendam, & vrbis defensionem: alterum verò extra vrbẽ, in via Appia, ad portam Capenam, cuius sæpè meminit Liuius. Huic Marti qui in templo extramurano colebatur, festum diem agebant etiam Calendis Iunijs, vt Ouidius lib. 6. Fast. indicat, nam superioribus de Iunone Moneta hæc subijcit:

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extrà
Appositum tectæ porta Capena viæ.

Hoc enim die ædem hanc Martis Gallico bello votam, dedicatam esse à T. Quintio Duumuiro sacris faciundis, Liuius autor est lib. 6. ab vrbe condita. Paulus Marsus verò indicat, non tamen adnotato autore, Syllam in ædilitate sua templum hoc Martis consecrasse extra muros, supra centum columnas, dictumq; Martis Extramurani. Iuxta hanc ædem lapis erat: quem quum in nimia siccitate in vrbem pertraxissent, mox pluuiæ sequebantur: eumq;, quòd aquis manaret, Manalem lapidem dixerunt, authore Festo.

TEMPESTATIS festum.

Festi huius origo.

CAlendis quoq; Iunijs Tempestas dea colebatur Romæ, eiq; templum extructũ fuit, & consecratum hoc die, quòd seruasset classem Romanorum, quæ penè apud Corsicam interierat. Vnde Ouidius sic cecinit:

Te quoq; Tempestas meritam delubra fatemur,
Cùm penè est Corsis obruta classis aquis.

Factum hoc alij volunt in primo, alij in secundo bello Punico, quũ sæua tempestas Claudij Consulis classem in vastissimis locis adorta dissiecit, quem Liuius ait è Corsica in Sardiniam traiecisse.

BELLONAE festum.

Bellonæ festi dies & origo.

PRidie Nonas Iunias, hoc est, quarto die mensis huius, festum est Bellonæ, eo enim die dedicatum est ei templum, non quidem extra vrbem, vt quibusdam placet, id nimirum, in quo Scipioni reuerso ex Hispania, pulsis Carthaginensibus, senatus datus est, Plutarcho authore: sed in vrbe, non procul à Circo maximo, vbi columnella fuit, quæ Bellica dicebatur. Cui proximam fuisse Bellonæ ædem Festus his verbis docet: Bellona dicebatur, ait, dea bellorum, ante cuius templum erat columnella, quæ Bellica vocabatur: super quam hastam iaciebant, quum bellum indicebatur. Huius ædis author Appius Claudius fuit, quum Hetruscos bello vicisset. Est autem hic Appius Claudius, quem postea luminibus captum ferunt, quũ à Potitijs ad seruos Herculis sacra transtulisset, quiq; & cæcus & senex dissuasit

pacem

pacem cum Pyrrho faciendam. Nam Plinius alterius Appij Claudij meminit, qui primus clypeos in sacro vel publico dicari priuatim instituit, Consulq; fuit anno vrbis 259. eumq; altera in æde Bellonæ posuisse maiores suos refert, quum placeret in excelso spectari, ac titulos honorum legi. De his Ouidius lib. 6. Fast. ita cecinit:

Manè vbi bis fuerit, Phœbusq; iterauerit ortus,
Factaq; erit posito rore bis vda seges,
Hoc sacrata die Thusco Bellona duello
Dicitur, & Latio prospera semper adest.
Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata,
Multum animo vidit, lumine captus erat.
Prospicit à tergo summum breuis area Circum,
Est ibi non paruæ parua columna notæ.
Hinc solet hasta manu belli prænuncia mitti,
In regem & gentes cum placet arma capi.

Bellonæ festi ritus.

Huius deæ sacerdotes non animali hostia, nec victima, sed suo cruore sacrificabant: gladios enim districtos vtraq; manu tenentes, humeros sibi & lacertos tanquam fanatici dissecabant: hoc sanguine litari & crimina expiari putantes: ac pro vulneribus stipes recipiebant, vt testatur Alex. ab Alexan. lib. 3. cap. 12. Meminit etiam Lucanus, quum inquit:

——— Tunc quos sectis Bellona lacertis
Saua mouet, cecinere deos, &c.

HERCVLIS festum.

Herculis festi origo.

AD Circum maximum ædificatum erat Herculis templum à L. Sylla, & à Senatu dedicatum, probante id Sylla, monitu Sibyllinorum oraculorum. Celebrabatur autem consecrationis eius festum Pridie Non. Iunias. Sic enim Ouidius lib. 6. Fast. canit:

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est.
Quod deus Euboico carmine munus habet.
Muneris est tempus, qui Nonas lucifer ante est.
Si titulos quæris, Sylla probauit opus.

Herculis in festo conuiuia celebrata.

Eodem die Sylla dictator, Plutarcho authore, ex vniuersis fortunis Herculi decimam sacrificans, opipara populo conuiuia fecit. Inde fortasse consuetudo inualuit, Athenæo lib. 4. teste, vt etiã posterioribus temporibus triumphantes in hoc templo conuiuati sint magnifico apparatu. Potio mulsum administrabatur, atque cibi erant magni panes, carneq; fumosæ elixæ, & nuper iugulatarum victimarum carnes assatæ multæ.

Herculis festi antiquitas.

Sed diu ante hæc tempora Herculi Græco festa & sacra in Latio ab Euandro instituta fuisse Dionysius Halicarnass. lib. 1. & Liuius ab initio mox suæ historiæ indicant. Herculem, ait Liuius, in ea loca Geryone interempto, boues mira specie abegisse commemorant, ac propè Tiberim fluuium, quà præ se armentum agens nando traiecerat, loco herbido, vt quiete & pabulo læto reficeret boues, & ipsum fessum via, procubuisse. Ibi quum eum cibo, vinoq; grauatum sopor oppressisset, pastor, accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum, quum auertere eam prædam vellet, quia, si agendo armentum in speluncam abegisset, ipsa vestigia quærentem dominum eò deductura erant, auersos boues eximium queq; pulchritudine, caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus, quum gregem perlustrasset oculis, & partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si fortè eò vestigia ferrent. Quæ vbi omnia foras versa vidit, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi, ex loco infesto agere porrò armentum occæpit. Inde quum actæ boues quædam ad desiderium, vt fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem conuertit. Quem quum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset, ictus claua, fidem pastorum nequicquam inuocans,

morte occubuit. Euander tum ea, profugus ex Peloponneso, authoritate magis quàm imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo literarum, rei nouæ inter rudes artium homines, venerabilior diuinitate credita matris Carmentæ, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum miratæ hæ gentes fuerant, concursu pastorum trepidantium circa aduenam manifestæ cædis reũ, excitus, posteaquam facinus, facinorisq; causam audiuit, habitũ formamq; viri aliquantum ampliorem, augustioremq; humana intuens, rogitat qui vir esset? Vbi nomen, patremq;, ac patriam accepit, Ioue nate Hercules salue, inquit, te mihi mater veridica, interpres deũm, auctlurum cœlestium numerum cecinit, tibiq; aram hîc dicatum iri, quam opulentissima olim in terris gens Maximam vocet, tuoq; ritu colat. Dextra Hercules data, accipere se omen, impleturumq; fata, ara condita & dicata ait. Ibi tum primùm boue eximia capta de grege, sacrum, adhibitis ad ministerium, dapemq; Potitijs & Pinarijs, quæ tum familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant, factum. Perfecto autem matutino sacrificio, quum circa solis occasum sacra essent repetenda, Potitij priores aduenerunt, ijsq; exta apposita sunt, Pinarij verò extis iam adesis ad cæteram venerunt dapem. Vnde iratus Hercules statuit vt Pinariorum familia tantùm ministra esset, epulantibus Potitijs, & cõpicentibus sacra. Hæc verò sacra Romulus vna ex omnibus peregrina suscepit, & Romæ peragenda decreuit: adeoq; etiam sub Romanorum imperio per multas ætates Potitij antistites his sacris præfuerunt: donec tradito seruis publicis solenni familiæ ministerio Potitiorum ac Pinariorum omne genus perijt: Id enim Appius Claudius quum esset Censor effecit, hisce familijs infensus: ob idq; ira deorum (vt creditur) luminibus priuatus est.

Eodem modo originem Herculis festi & sacri recensetipse Rex Euander Æneæ apud Vergilium lib 8. Æneid. sic inquiens:

Non hæc solennia nobis
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,
Vana superstitio, veterumúe ignara Deorum
Imposuit: sæuis, hospes Troiane, periclis
Seruati facimus: meritosq; nouamus honores.

Et vbi commemorasset ordine historiam Herculis & Caci, hæc subiungit:

Ex illo celebratus honos, lætiq; minores
Seruauere diem. Primusq; Potitius author:
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc aram luco statuit, quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.

Herculis festi ritus.

Quibus autem ritibus hæc solennia Herculis celebrata fuerint, ex Vergilio non obscurè intelligitur, qui lib. 8. Æneid. sic canit:

Fortè die solennem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno, diuisq; ferebat
Ante vrbem in luco: Pallas huic filius vnà,
Vnà omnes iuuenum primi, pauperq; senatus
Tura dabant, tepidusq; cruor fumabat ad aras. Et mox:
Hæc vbi dicta, dapes iubet & sublata reponi
Pocula: gramineoq; viros locat ipse sedili.
Præcipuumq; thoro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioq; inuitat acerno.
Tunc lecti iuuenes certatim, aræq; sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantq; canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumq; ministrant.
Vescitur Æneas simul, & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis. Et mox:
Deuexo interea propior fit vesper Olympo:

Iamq;

Iamq; sacerdotes, primusq; Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasq; ferebant.
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt: Cumulantq; oneratis lancibus aras.
Tum salij ad cantus, incensa altaria circum
Populeis adsunt euincti tempora ramis.
Hic iuuenum chorus, ille senum: qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt: vt prima nouercæ
Monstra manu, geminosq; premens eliserit angues: &c.
Etmox: *Exin se cuncti diuinis rebus ad vrbem*
Perfectis referunt.

In sacrificijs etiam Herculis nullus alius Deus nominabatur, neq; intra sepimenta canis conspiciebatur, Varrone teste: vel quia semideus habitus fuit Hercules: aut quia adhuc inter homines degenti Euander, vti diximus, aram posuit, & victimam obtulit. Omnium autem animalium nullum infestius habuit Hercules cane, vt qui ei plurimum negotij exhibuit: & Cerberus canis fuit: præterea cùm Licymnij filium Oeonum canis causa interfecissent Hippocoontidæ, coactus pugnam committere, cùm multos alios sociorum, tum Iphiclum amisit, vt Plutarchus narrat in Quæst. Romanis, quæst. 90.

SANCTI FIDII SEMIPATRIS festum.

Sancti Fidij Semipatris festum *Nonis Iunijs colebatur. Erat is Sabinorum deus, re quidem vnus, sed diuersis nominibus appellatus. Ei in colle Quirinali Sabini, quum in communem ciuitatem asciti essent, templum condiderunt, & hunc diem in eius honorem celebrarunt festum. Quod Ouidius his versibus docet lib. 6. Fast.*

Sancti Fidij Semipatris festi origo.

Quærebam, Nonas Sancto, Fidióne referrem,
An tibi Semipater. Tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunq; ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina trina fero, sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inq; Quirinali constituere iugo.

Per hunc deum Iusiurandum si fieret, magnam vim habere putabatur. Vnde Plautus in Asinaria: Per deum Fidium quæris? iurato mihi video necesse esse eloqui quicquid roges. Sunt qui esse hunc deum Herculem Iouis filium arbitrentur. Vnde Mediusfidius dicebant iurantes per Iouem, filiumq; Iouis Herculem, Seruio teste. Veteres enim Romani, vt Festus docet, pro litera l. vtebantur sæpè litera d. Vocabatur autem Sanctus, quòd eum minimè corrumpi oporteret. Sanctum enim aliquando incorruptum significat. Vt autem Semipater vocaretur, hanc rationem afferunt, quòd Hercules vnus deorum, quos Apuleius Medioximos vocat, studuit hominum commodis ac tutelæ, cõsueuitq; etiam non rogatus laborantibus subuenire. Vel quod magis placet, quia Hercules Sol est, vt Macrobius ex aliorum sententia docet: à quo & homine constat gigni hominem, vt Aristoteli placet.

Sanctus fidius semipater cur Iupiter appellatus.

PISCATORII Ludi & feriæ.

Septimo Idus Iunias celebrabantur Piscatorum feriæ & Ludi *in campo Martio ad flumen Tiberis, vt fauente eo, abunda piscatio, & proinde vberior quæstus fieret, vt habetur in fragmento Festi nuper reperto & excuso. De quo Ouidius etiam lib. 6. Fastorum sic cecinit:*

Tertia post Nonas remouere Lycaona Phœbe
Fertur, & à tergo non habet vrsa metum.

Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Aspicere, & dici lubrice Tibri tuos.
Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quiq; tegunt paruis ara recurua cibis.

MENTIS sacrum.

Mentis festi origo.

SEptimo quoq; Idus Iunias deæ Mentis festum colebatur. Nam huic deæ templum votum est secundo bello Punico ab Attilio Crasso Prætore, C. Flaminio Consule insidijs ab Hannibale circumuento, cæsoque ad lacum Thrasimenum: eo autem postea victo à Romanis dedicata fuit hoc die. Vide Liuium li. 2. de Bello Punico. Ouidius de hoc festo ita canit lib. 6. Fast.

Mens quoq; numen habet, Menti delubra videmus
Vota metu belli perfide Pœne tui.
Pœne rebellabas, & letho Consulis omnes
Attoniti Mauras pertimuere manus.
Spem metus abstulerat, cum Menti vota senatus
Suscipit, & melior protinus illa venit.
Aspicit instantes medijs sex lucibus Idus
Illa dies, qua sunt vota soluta deæ

Lactantius, vbi meminisset consecrationis Virtutis & Honoris, hæc subijcit: Eadem vanitate Mentem quoque inter deos collocauit senatus: quam profectò si habuisset, eiusmodi sacra nunquam suscepisset: lib. 1. Diuinarum institut. cap. 20.

VESTALIA.

Vestaliorum dies. Vesta quæ.

SExto vel iuxta alios quinto Idus Iunias est festum VESTAE. Hanc deam nonnulli pro terra quandoq; sumunt, eò quòd rebus omnibus terra vestiatur, seu quia vi sua stet. Vnde sic Ouidius lib. 6. Fast.

Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur,
Causaq; par Graij nominis esse potest.

Nam sunt qui ἀπὸ τῆς ἑστίας nomen Vestæ deductum putent, aspiratione in V. consonantem mutata. Cui sententiæ Cicero subscribit lib. 1. de Natura deorum: Vestæ (inquit) nomen sumptum est à Græcis. Interdum ponitur pro igne. Sic Ouidius lib. 6. Fast.

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam.

Veteres enim duas Vestas esse dixerunt. Vnam Saturni matrem: alteram eius filiam, de qua sic Ouidius lib. 6. Fast.

Ex Ope Iunonem memorant, Cereremq; creatas,
Semine Saturni: tertia Vesta fuit.

Confundunt verò has poetæ, alteram pro altera ponentes. Id tamen obseruandum est, quum Vestam pro Terra accipiunt, de matre Saturni id esse intelligendum: quando verò virginem nominant, de filia eius accipiendum, quam ignem esse voluerunt. Hanc vnam ex Dijs penatibus esse affirmant, quos Æneas ex Asia in Italiam secum aduexerit: Vergilius enim lib. 2. Æneid.

Sic, ait, & manibus vittas, Vestamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Vestæ sacra vetustia.

Cui sententiæ non obscurè astipulatur Liuius, quum Vestæ sacra vetustissima esse asserit, & ab Albanis accepta, à Numa Pompilio autẽ primùm Romæ instituta: multisq; ceremonijs venerabiliora effecta. Primus enim ille Sacerdotes ei sacrauit, stipendio publico donauit, perpetua virginitate, alijsq; ceremonijs venerabiliores effecit. Harum potissima cura erat,

vt ignem

vt ignem perpetuum conseruarent: qui si fortè per negligentiam fuisset extinctus, alio ex igni reparare fas non erat, sed accensa per fomites ex sole flamma purus & cœlestis ignis elicieba tur: & virgines, quarum negligentia extinctus esset, virgis à Pontifice cædebantur.

Templum quoq; huic deæ conditum & dedicatum fuit Romæ, in quo sacrificatum ei, & inde etiam dies festus celebratus est. Sed non conuenit inter authores à Romulóne, an verò à Numa Pompilio id factum fuerit. Meminit huius litis Dionysius Halicarnass. lib. 2. Antiquit. Romanarum, eamq; omnium optimè composuisse videtur. Quidam, inquit, Romulum huius templi conditorem existimant: absurdum rati, si vir rerum diuinarum peritus non ante omnia publicum vrbis larem sacraret, præsertim educatus Albæ, vbi vetus eius deæ sacrariũ fuerat, & penes ipsius matrem sacerdotium. Cumq; duo sint sacrorum genera, publica & gentilitia, necesse aiunt vtroq; nomine illa non neglecta esse Romulo. Nihil enim publico lare magis necessarium, & ipse nulla sacra magis habuit familiaria, quippe oriundus à maioribus per quos illa transportata fuerant ab Ilio, atq; etiã natus ex huius deæ sacrifica. Sed isti qui hoc templum malunt Romuli esse quàm Numæ ædificium, quod ad Remp. attinet rectè existimant oportuisse primum aliquem focum esse communem omnium ciuium, nec hoc ignorasse conditorem vrbis pro sua sapientia: cæterum quod priuatim ad huius templi apparatum spectat & ad sacratas deæ virgines, videntur mihi parùm intelligere. Neque enim locum in quo sacer ignis asseruatur huic deæ dicasse Romulũ, argumento certissimo id est, quòd situs is est extra quadratam Romam quam ille munijt: publici autem laris focum omnes solent in præcipua parte vrbis locare, nemo extra mœnia. Neq; etiam virgines deæ Sacerdotes instituit, memor fortasse materni dedecoris, quæ inter illius ministeria virginitatem amisserat: haudquaquã idoneus futurus vltor iuxta leges patrias, si quam violasse pudorem deprehendisset, ne sibimet refricaret probrum domesticum. Quapropter nullum fecit publicum Vestæ templum, nec virgines sacerdotes optauit vt illam colerent: sed per singulas curias focum dicauit, vbi curiales rem diuinam facerent: eisq; sacris curiones ipsos præposuit, iuxta morem qui adhuc seruatur in antiquissimis Græcorum vrbibus: in his enim Prytanea quæ vocantur sacrata sunt, & ad summum magistratum cura eorum pertinet. At Numa regno potitus relictis suo loco focis curiatim positis, vnum insuper omnibus communem esse voluit medio Capitolium inter & Palatium spacio, cùm iam hos colles idem murorum ambitus cingeret, quà inter vtrunq; situm erat forum templi sedes. Hæc omnia Dionysius. Cui sententiæ subscribere videtur etiam Ouidius lib. 6. Fast. ita canens:

Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
Cùm flammæ custos æde recepta dea est.
Regis opus placidi, quo non metuentius vllum
Numinis ingenium, terra Sabina tulit.

Nec dissentit Plutarchus in Numa. Ædem autem hanc rotundam Numa condidit, imitatus terræ, vel totius mundi figuram, cuius medium ignis à Pythagoricis putabatur. Simulachrum in hoc nullum Vestæ seruabatur, sed ignis tantum in medio eius, cuius simulachrum non datur. Vnde & Ouidius:

Esse diu stultus Vestæ simulachra putaui,
Mox didici curuo nulla subesse tholo.
Ignis inextinctus templo celatur in illo,
Effigiem nullam Vesta nec ignis habet.

Alij tradunt præter ignem occulta quædã sacra in hoc fano etiam fuisse, solis ædituis & virginibus cognita: de quibus vide Dionysium lib. 2. Antiquitat.

Vestæ sacra & festa à quo Romæ instituta.

Hoc autem die, quo Vestæ rem diuinam faciebant Vestales, eo cultu ornatuq; erant, vt licet vittatæ iam antè essent, tunc tamen album vestimentum, quod suffibulum vocant, oblongum, prætextum, quadrangulum in capite sumerent, illudq; fibula subnecterent: Castaq; mola, & sale tuso, ac in ollam fictilem misso, & mox in furno percocto, sacra facerent, calicibusq; fictilibus, qui Cululi dicti sunt, Vestæ libarent: vt refert Alex. ab. Alex. lib. 5. cap. 12.

Vestalium ornatus in Vestæ festo & eius ritus.

Neq; olim, nisi aqua de fluuio Numico libabant ei, quòd in eo corpus Æneæ repertum esset. In eiusdem deæ sacro, quia piaculum erat, si aqua hausta ad sacra in terra poneretur, vtebantur vase, quod à Seruio Futis, à Donato Futile appellatur. Id erat acuto fundo, & ore patulo, nec stare poterat, sed positum statim effundebatur.

In Vestæ festo asini coronabantur.

Eadem die in honorem Vestæ asini molas vertere consueti, coronati floribus, & è pane veluti monilia quædam gerentes ad focos ducebantur à pistoribus: molæ etiam sertis & floribus ornabantur. Nam Vesta domina est focorum, vbi olim panes cineri suppositi coquebantur, cum in furnis tantum farra torrerent, vt in Fornacalibus dictum est. Hunc ritum ita describit Ouidius lib. 6. Fast.

Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florida serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et Fornacali sunt sua sacra deæ:
Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataq; erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum seruat pistor, dominamq; focorum,
Et quæ pumiceas versat asella molas.

Recenset ibidem poeta fabulam, qua etiam docet, vnde mos coronandorum in Vestalibus asinorum originem habuerit. Nam quum Cybele ad conuiuium Deos vocasset, & post epulas alij ludis, alij quieti sese dedissent, Priapus dormientem Vestam compressisset, ni rudens Sileni asinus illam excitasset. Ob meritum igitur excitatæ Deæ in Vestalibus capita eis panibus redimibant.

In Vestalibus matronæ nudis ibant pedibus ad ædem Vestæ

In his deniq; Vestalibus ad ædem Vestæ matronæ nudis ibant pedibus, Nam olim ea parte lacunæ fuerunt, vt sicco pede templum id adiri non potuerit. Etsi verò progressu temporis siccatæ sint illæ, in memoriam tamen veteris consuetudinis hic ritus obseruabatur: de quo poeta noster ita cecinit:

Fortè reuertebar festis Vestalibus illac,
Qua via Romano nunc Noua iuncta foro est.
Huc pede matronam nudo descendere vidi:
Obstupui tacitus, sustinuiq; gradum.
Sensit anus vicina loco, iussumq; sedere
Alloquitur, quatiens voce tremente caput.
Hoc, vbi nunc fora sunt, vdæ tenuere paludes,
Amne redundanti fossa madebat aqua.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus: sed lacus antè fuit.
Quà Velabra solent in Circum ducere pompas,
Nil præter salices, erassaq; canna fuit. *Et mox:*
Hic quoq; lucus erat iuncis & arundine densus,
Et pede velato non adeunda palus.
Stagna recesserunt, & aquas sua ripa coercet,
Siccaq; nunc tellus: mos tamen ille manet.

MATRALIA siue MATVTAE Deæ festum.

Matraliorum dies

Matuta quæ.

QVi Vestalia ad 6. Id. Iun. ponunt, Matralia, *seu* Deæ Matutæ *festum ad 5. Id. referunt: qui verò illa ad 5. Id. Iun. referunt, hoc ad 4. Id. ponunt. Fuit autẽ Matuta Leucothea, Plutarcho teste in Camillo & in Quæstionibus Romanis, quæst. 16. Cicero quoq; sic ait: Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à nostris, & Aurora. Ad eundem prorsus modum Ouidius lib. 6. Fast. ait:*

Leucothee Graijs, Matuta habebere nostris.

Quod

Quod autem Matuta sit Aurora, patet ex Lucretij lib. 5. vbi sic canit:

Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit.

Dicta est primò Ino, fuitque Cadmi ex Hermione filia, vxor autem Athamantis Thebarum regis, quo furente, & Learcho ab eo interfecto, cum Melicerta altero filio & ipsa furens se in mare præcipitem dedit: vbi deorum miseratione in numen marinum conuersa, à Græcis Leucotheæ, hoc est, albæ deæ nomen accepit. Fabulam hanc pluribus describit Ouidius lib. 4. Metamorph. & lib. 6. Fast. vbi etiam indicat, hanc Matutam Euandri tempore in Latium venisse, eamq; Carmentam matrem Euandri fatidicam incolas eius regionis vnà cum filio pro Dijs marinis colere iussisse.

Fuit autem ædes deæ Matutæ in foro boario Romæ, quam Seruius Tullius hac ipsa die posuit, vt Ouidius his verbis lib. 6. testatur Fast. Matutæ templum Romæ.

Pontibus & magno iuncta est celeberrima Circo
Area, quæ posito de boue nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ sacra parenti
Sceptriferas Serui templa dedisse manus.

Verum postea à Camillo ex voto refecta & consecrata est. De quo Plutarchus sic in eius vita scribit: primo vouit si felicem exitum bellum haberet, magna spectacula se facturum, & templum deæ, quam Matutam matrem Romani vocant, consecraturum. In eandem etiam sententiã Liuius lib. 5. ab vrbe condita, Ludos, inquit, magnos ex senatusconsulto vouit, Veijs captis, se facturum, ædemque Matutæ matris refectam dedicaturum, iam antè ab rege Seruio Tullio dedicatam. Et paulò post: Tum Iunoni Reginæ templum in Auentino locauit, dedicauitq; Matutæ matris. Hoc templum rotundæ formæ, erectis in ambitu columnis, integrum adhuc esse in ripa Tiberina, extremaq; parte fori, sub titulo S. Stephani martyris, Paulus Marsus testatur.

Huic deæ in hoc templo (vt Varro inquit) in Matralibus matronæ testuaceum faciebant, sic dictum, quòd in testa calida coqueretur: cùm idem libum nominatũ existimet, quòd, priusquam coctum esset, libaretur. Hinc Ouidius lib. 6. Fast. Matraliorum ritus. 1.

Ite bonæ matres, vestrum Matralia festum
Flauaq; Thebanæ reddite liba deæ.

Horum autem liborum offerendorum mos ab ijs libis, quæ Carmenta ei obtulit, quum hospitio eam suscepisset, originem habuit. Id Ouidius his versibus docet:

Liba sua properata manu Tegeæa sacerdos
Traditur, & subitò cocta dedisse foco.
Nunc quoq; liba iuuant festis Matralibus illam,
Rustica sedulitas gratior arte fuit.

Currebant autem circa hæc sacrificia, vt Plutarchus in Camillo clarè atteſtatur, & inde hanc deam Leucotheam esse cognosci posse. Sic enim ait: Τάυτῃ αὖ τις ἀπὸ τῶν Ῥωμαίων ἱεραῖς μάλιστα Λευκοθέαν νομίσειεν εἶναι. 2.

In sacris porrò huius deæ, fratrum ac sororum liberos in vlnis sub brachio ferentes ab ea non suis liberis, sed nepotibus bona petebant matronæ: vel, quòd Ino sororiũ studiosa, filiũ eius Bacchum enutrijt, adeoq; in aliorum filijs felicior, quàm in suijpsius fuit liberis, quũ alterum extinctum à patre viderit, cum altero verò seipsam in mare præcipitem dederit: vel, quòd hic mos pulcherrimus multum inter consanguineos & necessarios beneuolentiæ compararet: vt Plutarchus Quæstione 17. docet. De eodẽ quoq; ritu sic Ouidius lib. 6. Fast. cecinit: 3.

Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adoret,
Ipsa parùm felix visa fuisse parens.
Alterius prolem melius mandabitis illi,
Vtilior Baccho quàm fuit illa suis.

Ancillis denique ad hæc sacra nullus aditus, imò ne in templum quidem deæ huius in- 4.

greſſus conceſſus fuit: vnam tantum matronæ introduxerunt, eamque alapis cecîderunt, poſtea eiecerunt. Sic enim Plutarchus in vita Camilli: θεράπαιναν εἰς τὸν σηκὸν εἰσάγουσαι, ῥαπίζουσιν, εἶτα ἐλαύνουσι. Et Problem. 16. Faciunt, inquit, hoc in ſignum, ſeruas aditu prohiberi. Ino enim fertur ex æmulatione aduerſus maritum, quem ancillam ex Ætolia oriundam, nomine Antipheram, amare ſuſpicabatur, in inſaniam prolapſa filium ſuum perdidiſſe, & inde odio habere cœpiſſe ſeruas. Quod etiam Ouidius his verbis recenſet:

Cur vetet ancillas accedere quæritis? odit,
Principiumq; odij, ſi ſinat ipſa, canam.
Vna miniſtrarum ſolita eſt Cadmea tuarum
Sæpè ſub amplexus coniugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit, ab illa
Comperit agricolis ſemina toſta dari.
Ipſa quidem feciſſe negat, ſed fama recepit,
Hoc eſt cur odio ſit tibi ſerua manus.

Vnde rurſum Plutarchus in Camillo inquit: Δρῶσι περὶ τὰ θυσίαν ἃ τοῖς διὰ τὰ παλαιὰ πάθεσι τῆς Ἰνοῦς προσέοικε.

FORTVNAE feſtum.

Fortunæ feſti dies.

EOdem Matraliorum die, hoc eſt, 10. menſis Iunij feſtum eſſe Fortunæ Ouidius his verſibus teſtatur lib. 6. Faſtorum:

Lux eadem Fortuna tua eſt, &c.

Fortunæ feſti origo.

Nam Seruius Tullius huic deæ ædem condidit, & hac die dedicauit: quam poſtea Nero aurea domo complexus eſt, quam à Palatio Exquilias vſque fecit, Suetonio teſte. Plinius de eo lib. 36. ca. 22. ita ſcribit: Nerone Principe in Capadocia repertus eſt lapis, duricia marmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fuluæ inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Seiani appellatione dicebat, à Seruio rege ſacratam aurea domo complexus eſt. Quare etiam foribus apertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quàm ſpecularium modo, tanquam incluſa luce non tranſmiſſa.

CONCORDIAE feſtum.

Concordiæ feſti origo.

AEdem Concordiæ à Camillo votam & dedicatam, cuius dedicationis feſtum 17. Calend. Februar. agi ſupra diximus, Liuia Druſilla æra & ſimulachro exornauit, & Tiberius Germanicus rurſus conſecrauit: cuius dedicationis feſtum 4. Idus Iunias celebrari Ouidius lib. 6. Faſtorum innuere videtur.

IOVIS INVICTI feſtum.

Iouis Inuicti feſti dies & origo.

IDibus Iunijs celebrabatur Iouis Inuicti feſtum, quòd tunc deo huic templum conſecratum eſſet, quod alij ad Auguſtum referunt, nonnulli ad Senatum, poſt tot Auguſti & Tiberij victorias. Ouidius lib. 6. Faſt.

Idibus Inuicto ſunt data templa Ioui.

QVINQVATRES Minuſculæ.

Quinquatres minores quo die celebratæ.

IDibus Iunijs etiam celebrabantur Quinquatres minores, quas minuſculas appellat Varro: ſic enim inquit: Quinquatres minuſculæ dies, Iuniæ Idus, ab ſimilitudine maiorum, quòd tibicines tum feriati per vrbem vagantur, & conueniunt ad ædem Mineruæ.

Quinquatr. minorum origo.

De his tibicinibus eorumq; die feſto Valerius Maximus lib. 2. de Inſtitutis antiquis, ſic ſcribit: Tibicinum quoq; collegium ſolebat in foro vulgi oculos in ſe conuertere, quum inter publicas

blicas priuatasq; ferias & actiones personis tecto capite, variaq; veste velatis, cõcentus edidit: inde tracta licentia, quondã vetiti in æde Iouis, quod prisco more facitauerãt, vesci, Tybur irati se contulerunt. Quorum ministerio senatus deserta sacra non æquo animo ferens, per legatos à Tyburtibus petijt, vt eos gratia sua Romanis templis restituerent: quos illi in proposito perseuerantes, interposita festæ epulationis simulatione, mero somnoque sopitos plaustris in vrbem deuehendos curauerunt: quibus & honos pristinus restitutus, & huiusce lusus ius est datum. Personarum vsus pudorem circumuentæ tumulentiæ causam habet. Et Liuius lib. 9. ab vrbe condita, Eiusdem, inquit, anni rem dictu paruam præterirem, nisi ad religionem visa esset pertinere. Tibicines qui prohibiti à proximis Censoribus erant, in æde Iouis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægrè passi, Tybur vno agmine abierunt, adeò vt nemo in vrbe esset, qui sacrificijs præcineret. Eius rei religio tenuit senatũ, legatosq; Tybur miserunt, vt darent operam, vt hi homines Romanis restituerentur. Tyburtini benignè polliciti, primùm accitos eos in curiam hortati sunt, vt reuerterentur Romam. Postquã perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingenijs hominum eos aggrediuntur. Die festo alij alios per speciem celebrandarum cantu epularum causa inuitant, & vino, cuius auidum genus est, oneratos sopiunt, atq; ita in plaustra vinctos conijciunt, ac Romam deportant. Nec prius sensere, quàm plaustris in foro relictis, plenos crapulæ eos lux oppressit. Tunc concursus populi factus, impetratoq; vt manerent, datum, vt triduum quotannis ornati cum cantu, atq; hac quæ nunc solennis est licentia, per vrbem vagarentur. Restitutumq; in æde vescendi ius ijs qui in sacris præcinerent.

Eandem originem huius festi & lusus recitat Ouidius lib. 6. Fast. vbi aliam porrò causam indicat discessus tibicinum Roma. Sic enim canit:

Temporibus veterum tibicinis vsus auorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor: tempusq; secutum est,
Quòd subitò gratæ frangeret artis opes.
Adde quòd ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices solos iusserat esse decem.
Exilio mutant vrbem, Tyburq; recedunt.
(Exilium quodam tempore Tybur erat.)
Quæritur in scena caua tibia, quæritur aris:
Ducit supremos nænia nulla choros.
Seruus erat quidam quantolibet ordine dignus
Tybure, sed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille suo, turbamq; canoram
Conuocat, ad festas conuenit illa dapes.
Nox erat, & vinis oculiq; animiq; natabant,
Cum præcomposito nuncius ore venit.
Atq; ita: Quid cessas conuiuas soluere? dixit,
Auctor vindictæ iam venit ille tuæ.
Nec mora, conuiuæ valido titubantia vino
Membra mouent, dubijq; stantq; labantq; pedes.
At dominus, Discedite, ait: plaustroq; morantes
Sustulit, in plaustro scirpea lata fuit.
Alliciunt somnos tempus, motusq;, merumq;:
Potaq; se Tybur turba redire putat.
Iamq; per Exquilias Romanam intrauerat vrbem,
Et manè in medio plaustra fuere foro.

Claudius vt posset specie numeroq; senatum
Fallere, personis imperat ora tegi.
Admiscetq; alios: & vt hunc tibicina cœtum
Augeat, in longis vestibus ire iubet.
Sic reduces benè posse tegi, ne fortè notentur
Contra collegæ iussa redisse sui.
Res placuit, cultuq; nouo licet Idibus vti,
Et canere ad veteres verba iocosa modos.

Plutarchus emendatur.

Idem ferè à Plutarcho refertur Problemate 55. vbi tamen mendum videtur esse, vn decunque irrepserit. Dicit enim, Idibus Ianuarij hoc festum celebrari, quum legi debeat, Idibus Iunij, auctoritate Varronis & Ouidij. Quod mendum Plutarchi codicis etiam Alexandro de Alexand. lib. 3. cap. 18. & Lazio lib. 10. de Rep. cap. 9, imposuit.

STERCORIS deportatio ex æde Vestæ.

Festi huius dies.

EA die, quæ sequitur noctem tertiam post Idus Iunias, hoc est, 17. Calend. Iulias, fuit quædam solennitas, qua ex æde Vestæ stercus euertebatur, & in fluuium Tiberinum deijciebatur. Id Ouidius his verbis docet lib. 6. Fast.

Tertia nox veniet, qua tu Dodoni Dione
Stabis Agenorei fronte videnda bouis.
Hæc est illa dies, qua tu purgamina Vestæ
Tibri per Hetruscas in mare mittis aquas.

Varro auctor est, diem hunc vocari, Quando stercus delatum fas. *A Calendis Iunijs vsque in hunc diem infaustum erat nubere, post eum verò licebat. Id Ouidius lib. 6. Fast his versibus testatur:*

Est mihi sitq; precor nostris diuturnior annis
Filia, qua felix sospite semper ero.
Hanc ego quum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæq; cauenda forent.
Tunc mihi post sacras monstratur Iunius Idus,
Vtilis & nuptis, vtilis esse viris.
Primaq; pars huius thalamis aliena reperta est.
Nam mihi sic coniunx sancta Dialis ait:
Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta
Detulerit flauis in mare Tibris aquis:
Non mihi detonsum crinem de pectore buxo,
Non vngues ferro subsecuisse licet.
Non tetigisse virum: &c. *Et mox:*
Tu quoq; ne propera: melius tua filia nubet,
Ignea cum pura veste nitebit humus.

PALLADIS festum.

Palladis festi dies & origo.

DEcimoquarto, Calendas Iulias Palladis festum *celebrabatur: quòd hoc die ædes in Auentino ei dicata, eaque ibi primo coli cœpta esset. Quod Ouidius his versibus retulit:*

Iam sex & totidem luces de mense supersunt,
Huic vnum numero tu tamen adde diem.
Sol abit è Geminis, & Cancri signa rubescunt,
Cœpit Auentina Pallas in arce coli.

SVMANI CELEBRITAS.

DEcimo tertio Calend. Iulias Sumani festum agebatur, quòd ea die templum ei dicatum fuisset Pyrrhi bello, qui Tarentinis aduersus Romanos auxilio fuit. Hinc Ouidius lib. 6. Fast. sic cecinit: Sumani festi dies & origo.

Iam tua Laomedon oritur nurus, ortaq; noctem
Pellit & è pratis vda pruina fugit.
Reddita, quisquis is est, Sumano templa feruntur,
Tunc cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Erat hæc ædes non longè ab æde Iuuentutis: inter has singulis annis canes viui cruci affixi circumferebantur, anserе puluino insidente: quia Capitolio à Gallis obsesso, canes fuerant anserum vigilia superati. Plinius lib. 29. cap. 4. Dicitur autem Sumanus, vel Summanus, nam vtrunq; legitur, quasi Summus manium, vt docet Capella. De hoc Deo sic Plinius lib. 2. cap. 54. Thuscorum literæ nouem deos emittere fulmina tradiderunt: eaq; esse vndecim generum, & Iouem trina iaculari. Romani autem ex his duo tantum seruauere, diurna attribuentes Ioui, nocturna Sumano. Idem etiam de eo refert Festus. Nonnulli, ex quibus est Martianus Capella, eum Plutonem esse suspicantur. Romani veteres, inquit Augustinus lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 23. nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quàm Iouem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Sed postquam Ioui templum insigne & sublime constructum est, propter ædis dignitatem sic ad eam multitudo confluxit, vt vix inueniatur, qui Summani nomen, quod audire iam non potest, se saltem legisse meminerit. Ex his verbis Augustini, & versibus Ouidij suprà citatis apparet, non satis certum fuisse apud ipsos etiam Romanos, quis hic Deus esset. Non ignorabant vnum esse ex dijs qui præessent nocti, sed nomen eius proprium in obscuro erat. Sumanus quis & vnde dictus.

Fuisse eius simulachrum aliquando in fastigio Iouis Opt. Max. templi ex Cicerone intelligitur, qui lib. 1. de Diuinatione, Nonne, inquit, cùm multa alia mirabilia, tum illud in primis, quum Summanus in fastigio Iouis Opt. Max. qui tum erat fictilis, cælo ictus esset, nec vsquam eius simulachri caput inueniretur, aruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt, &c.

FORTIS FORTVNAE FESTVM.

OCtaua Calend. Iulias Fortis fortunæ festum celebrabatur. Hoc enim die Seruius Tullius huic deæ templum dedicauit. Non autem id fuit, quod Rex hic in vrbe condidit, & quod Nero aurea domo complexus est, de quo supra diximus: sed hoc, de quo nunc agimus, fuit extra vrbem, secundum Tiberim, vel trans Tiberim, vt Donatus loquitur, quo & pedibus iri poterat per pontes, & per fluuium lyntribus vehi. Hoc festo die ex plebe qui arte aliqua viuebant, & serui in nauibus coronatis super Tiberim conuiuia celebrarunt. Vnde sic Ouidius lib. 6. Fastorum: Festi huius dies & origo. Festi huius ritus.

Quàm citò venerunt Fortunæ fortis honores,
Post septem luces Iunius actus erit.
Ite, deam læti fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba:
Ne pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lyntres,
Multaq; per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.
Conuenit & seruis, serua quia Tullius ortus,
Constituit dubiæ templa propinqua deæ.

LARIVM FESTVM.

Larium festi dies & origo.

QVinto Calend. Iulias festum alterum fuit Larium, quòd eo die esset eis consecrata ædes in ea parte vrbis, vbi habitabant puellæ, quæ coronas texere consueuerant. Augustus autem, Suetonio teste, Compitales lares ornare bis in anno instituit, vernis floribus & æstiuis. Ouidius sic cecinit:

Lucifero subeunte, Lares delubra tulerunt,
Hic vbi fit docta multa corona manu.

IOVIS STATORIS FESTVM.

Festi huius dies & origo.

EAdem die, hoc est, 27. Iunij fuit Iouis Statoris festum, quòd ea sacrata esset huic deo ædes, quam Romulus bello Sabinorum vouit, & condidit ad radices montis Palatini. Vnde Ouidius lib. 6. Fast. cecinit:

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Romulum enim, aduersus Tatium pugnantem, quum suos fugientes conspexisset, arma ad cœlum sustulisse dixisseq; Liuius tradit lib. 1. ab vrbe condita: At tu pater Deûm hominumq;, hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugamq; fœdam siste: hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monumentum sit posteris, tua præsenti ope seruatam vrbem esse, voueo. Quibus verbis Liuius innuit, à sistendo Statorem vocatum. D. Hieronymus verò lib. 2. contra Iouinianum, quòd nunquam otiosus sederet, sed ad ferendam semper omnibus opem paratus esset, dictum Statorem existimat. Seneca autem lib. 4. de Beneficijs, quòd eius beneficio omnia starent, Statoris sibi nomen vsurpasse scribit. Liuius lib. 10. ab vrbe condita præterea refert, M. Attilium Consulem quum aduersus Samnites atrox bellum esset, similiter manus ad cœlum tulisse, & voce clara, ita vt exaudiretur, templum Ioui Statori vouisse, si constitisset à fuga Romana acies. Sed templum Deo huic à Romulo votum & conditum Neronis incendio totum perijt, nec deinceps restitutum est, authore Marliano lib. 1. cap. 11.

Iupiter vnde Stator dictus.

QVIRINI FESTVM.

Quirini festi dies & origo.

QVarto Calend. Iulias festum Quirini, hoc est, Romuli, cui est ædes hoc die dicata in monte Quirinali, cui à templo nomen datum multi existimant, quod constitutum est, postquam Romulus adijsse ad deos creditus est. Ouidius sic:

Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,
Cùm data sunt trabeæ templa Quirine tuæ.

HERCVLIS ET MVSARVM FESTVM.

Festi huius dies.

VLtimo die Iunij Herculis & Musarum agitur celebritas: quod Ouidius his verbis testatur:

Tempus Iulæis cras est natale Calendis.

Sensus est: Festum Herculis & Musarum, vbi ventum est ad diem Iunij mensis extremum, hoc est, pridie Cal. Iul. celebrari: quo tempore dicere solemus, Cras Calendæ Iuliæ orientur. Horum deorum ædes Romæ structa est, vt inquit, Suetonius, à Martio Philippo, qui Augusti Vitricus fuit. Vnde Ouidius in fine lib. 6. Fastorum:

Dicite Pierides, quis vos addixerit isti,
Cui dedit inuictas victa nouerca manus.
Sic ego: sic Clio, clari monimenta Philippi
Aspicis, vnde trahit Martia casta genus.

Colebatur autem Hercules in eadem æde cum Musis, quia constat eum Saturni temporibus, vti Plutarchus et Macrobius referunt, primùm in Italia literas docuisse, quas posteà Euandrum ab

drum ab eo didicisse, Iuba tradidit: authore Plutarcho in Quæstionibus Romanis, quæst. 59.

CAPVT XIX.

Festa quæ mense IVLIO à Græcis sunt celebrata.

METAΓΕΙΤΝΙΑ.

METAΓΕΙΤΝΙΑ celebritas fuit apud Athenienses, quæ nomen dedit Μεταγειτνιῶνι secundo Athenienſium menſi, in quo agebatur: idq; in honorem Apollinis Μεταγείτνιε Metageitnij, vt referunt Hyperides in Oratione pro Xenippo: Lysimachides in libro de Athenienſium menſibus, & Suidas. Meminit huius festi & Plutarchus in libello De exilio, vbi & cauſam ob quam inſtitutũ ſit indicare videtur. Sic enim ſcribit: Ergóne tibi peregrini atque extorres videbuntur Athenienſes, qui ex Melita in Diomeam commigrauerunt? Illi verò & menſem Metageitnionem appellarunt, & ſacrificia Metageitnia peragunt, commigrationem in viciniam è ſuis ſedibus (vnde illis nomen) æquo hilariq; animo ferentes. Metagitniorũ origo.

ΑΔΩΝΙΑ.

ADoniorum ſacra et celebritatẽ Adrianus Iunius in Faſtis ad Idus Iulias ponit. D. Hieronymus quoq; in caput 8. Ezechielis menſe Thamuz, qui Iulio noſtro reſpondet, Adonia celebrari ſcribit, inquiẽs: Thamuz menſe Iunio amaſius Veneris pulcherrimus iuuenis occiſus, & deinceps reuixiſſe narratur: eundem Iunium menſem eodem appellant nomine, & anniuerſariam ei celebrant ſolennitatem. In eo tamen errat Hieronymus, quòd Thamuz Iunio confert, Niſan primum Hebræorum menſem Martio tribuendo: quum rectius Aprili deputetur, vt lib. 1. oſtendimus, & tunc Thamuz Iulio reſpondebit. Adonia quando celebrata.

Celebrabantur autem in memoriam Adonidis, vt nomen ipſum indicat. Miror igitur cur Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 19. ſcribat, Adonia Cereris fuiſſe ſacra. Refert idem in Latina verſione Plutarchi Donatus Acciaiolus, qui in vita Alcibiadis ſic reddidit: Nuntiantibus cunctis feſta Cereris, quæ appellantur Adonia (eo enim tempore celebrabantur) multa fœda horrendaq; portendere. Sed hæc verba, Feſta Cereris, non habentur in Græco exemplari, in quo ſic legitur: ὰ χρὴ τὰ παρὼν, ἀλλὰ τὰ τῆς ἑορτῆς: Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἡμέρας ἐκείνας καθιστηκότων, &c. interpres igitur Cereris nomen de ſuo addidit. Fuit autem Adonis filius Cinyræ Cypriorum regis, & Myrrhæ, quod multis verſibus indicat Ouidius lib. 10. Metamorph. quem ob formæ excellentiam Venus in delicijs habuit. Hic aprideute ſub inguine percuſſus, interfectusq; dicitur. Eum Venus defleuit, et ſacra ſolenniaq; feſta in eius honorem inſtituta ſunt, à diuerſisq; nationibus ac populis celebrata. Quin & ipſum Dei populum diem hunc feſtum coluiſſe ex cap. 8. Ezechielis intelligitur. Indicat eo loco Dominus prophetæ, populum ſuum atrociſſima quæq; perpetrare, & inter alia quoque mulieres ad Ethnicorum prorſus imitationem plangere Thamuz. Vbi D. Hieronymus Thamuz Adonidem interpretatur, & annotat, Hebræos menſem Iunium (Iulium legendum) eodem nomine appellaſſe, & anniuerſariam in eo ſolennitatem celebraſſe. Adonia in cuius honorem celebrata. Alex. ab Alex. & Acciaioli error. Adonis quis. Adoniorum origo.

Agebatur autem hoc feſtum à mulieribus tantum magna cum mœſtitia & planctu, circum ſepulchra & paſſim, vt ſic referrent planctum & luctum Veneris ob Adonis mortem. Vnde ſic Ouidius lib. 10. Metamorph. Adonia à ſolis mulieribus celebrata.

——Vtq; æthere vidit ab alto
Exanimem, inq; ſuo iactantem ſanguine corpus,
Deſilijt, pariterq; ſinum, pariterq; capillos
Rupit, & indignis percuſſit pectora palmis.

Quæstaq; cum fatis : & non tamen omnia vestri
Iuris erunt, dixit: luctus monimenta manebunt
Semper Adoni mei, repetitaq; mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.

Adoniorum ritus.

Vt autem ritus in hoc festo obseruati rectius intelligantur, aliquot authorum loca adducam, in quibus eorum non obscura fit mentio. Lucianus igitur in Dialogo de Dea Syria copiosè eos sacrorum ritus describit, vel potius suo more deridet, ad hunc modum: εἶδον καὶ ἐν βύβλῳ μέγα ἱερὸν Ἀφροδίτης βυβλίης: ἐν τῷ καὶ τὰ ὄργια ἐς Ἀδώνιν ὅπη τελέεται. ἐστὶν δὲ ὧν καὶ τὰ ὄργια. Λέγεται γὰρ δὴ ὧν τὸ ἔργον τὸ ἐς Ἀδώνιν ὑπὸ τοῦ συὸς, ἐν τῇ χώρῃ τῇ σφετέρῃ γενέσθαι. καὶ μιμέεται τοῦτο πάντα, τύπτονταί τε ἑκάστοτε ἔτεος, καὶ θρηνέουσι, καὶ τὰ ὄργια ὅπη τελέεται. καὶ σφισι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵστανται. ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνταί τε, καὶ ἀποκλαύσωνται, ὡρῶτα μὲν κατοίζουσι τῷ Ἀδώνιδι, ὡς ἐόντι νέκυϊ. Μετὰ δὲ, τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ, ζώειν τέ μιν μυθολογέουσι, καὶ ἐς τὸν ἀέρα πέμπουσι, καὶ τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὡς Αἰγύπτιοι, ἀποθανόντι ἅπαξ. Γυναικῶν δὲ, ὁκόσαι οὐκ ἐθέλουσι ξυρέεσθαι, τοιήνδε ζημίην ἐκτελέουσι: ἐν μιῇ ἡμέρῃ ὡθὶ πρήσσει τῆς ὥρης ἵστανται: ἡ δὲ ἀγορὴ, μέγιστοι ξείνοισι παραπέπαται, καὶ ὁ μισθὸς ἐς τὴν Ἀφροδίτην, θυσίη γίγνεται. Hoc est: Dicunt in sua regione contigisse, vt Adonis ab apro ictus fuerit: atq; ad eius rei memoriam singuli quotannis se plectunt, & lamentantur, & diem celebrant, & magnos luctus in illa regione per id tempus exoritur. Vbi verò se percusserint & luxerint, primum Adonidi inferias persoluunt tanquam vita defuncto: deinde altero die ipsum viuere inquiunt, & in cœlum mittunt, &c. De Adonia celebritate Plutarchus in vita Alcibiadis, Adonia sacra, inquit, in eos ipsos dies incidebant, quibus mulieres simulachra quasi mortuorum cadauera frequentes efferebant, pro more festiuitatis eius, funeraq; & sepulturas imitabantur, plangebantq;, & feralia carmina concinebant. Hunc locum citat etiam Alex. de Alexandro lib. 6. cap. 19. vbi Adoniorum mentionem facit. Alexandriæ Adonidis imago cum magna pompa in eius festo ferebatur. Ammianus Marcellinus lib. 22. Euenerat, inquit, iisdem diebus annuo cursu completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, vt fabulæ fingunt, apri dente feriali deleto, quod in adulto flore sectarum est indicium frugum, & visum est triste, quòd amplam vrbem (Antiochiam) primum domicilium introeunte Imperatore (Iuliano) & nunc primùm vlulabiles vndiq; planctus & lugubris sonitus audiebantur. Libro 19. de funere filij regis Cynomolgorum scribens, dicit: Fœminæ miserabili planctu in primæuo flore succisam spem gentis, solitis fletibus conclamabant, vt lachrymare cultrices Venereæ sæpè spectantur in solennibus Adonidis sacris, &c. Iulius Maternus Firmicus, in lib. de Errore profanarum religionum, In plurimis, inquit, Orientis ciuitatibus (licet hoc malum etiam ad nos transitum fecerit) Adonis quasi maritus plangitur Veneris, & percussor eius vulnusq; monstratur circumstantibus. Mars enim in porci syluestris speciem formamq; mutatus, vt sibi primas partes in amore Veneris vendicaret, incautè contra se ruentem percutit iuuenem. Addit, nocte quadam simulachrum in lectica poni, & per numeros digestis fletibus plangi: deinde quum se ficta lamentatione satiauerint, lumen inferri: tunc à sacerdote omnium qui fleuerant fauces vngi: quibus perunctis, sacerdos hoc lento murmure susurret:* Θαῤῥεῖτε τῷ θεῷ, σῴζει γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία: *atq; ita cum gaudio idolum de sepultura proferri. Cælius lib. 12. cap. 1. Antiq. Lect. Adonia, ait, quum celebrarent Athenis mulieres, passim vrbe tota excitabantur idola, in quorum ambitu etiam visebantur sepulchra, audiebanturq; muliebres planctus: quare sub classis profectionem contingente, Siculi belli exitialem ciuitati calamitatem coniecturarunt nonnulli.*

Natalis Comes lib. 5. Mytholog. cap. 16. indicat, Adonidem fluuium, qui per Libanum defertur, cruentum fluxisse, quo tempore Adonia agerentur.

ΑΣΙΝΑΡΙΑ.

Asinariorum origo.

DEuictis aliquoties Athenienſibus à Syracuſanis, tùm verò reliquijs copiarum penitùs deletis

deletis ad flumẽ quod Ασίναρον Asinarum vocant Eurycles Syracusanorũ prætor, totius populi, necnon et sociorum aduocata concione, rogationẽ huiusce modi tulit: Vt dies in quo Nicias superatus esset, sacer atque ab omni opere immunis haberetur: vtq; sacra dijs immortalibus quotannis eius victoriæ gratia fierent: & celebritatem hanc à fluuij nomine Asinariam nuncuparent. ὧν ἡ ἡμέρα τετάρτη φθίνοντος τοῦ καρνείου μηνὸς, ὃν Ἀθηναῖοι Μεταγειτνιῶνα προσαγορεύουσιν: id est, dies autem quartus is erat supra vigesimum eius mensis, quem illi Carnium, Athenienses autem Metagitnionem vocant. Plutarchus in vita Niciæ: meminit etiam Cœlius lib. 30. cap. 21. L. A. Asinariorum dies.

ΟΦΘΑΛΜΩΝ ΩΡΟΥ ΓΕΝΕΘΛΙΟΝ.

PLutarchus in libro de Osiride indicat τῇ τριακάδι trigesima die mensis Epiphi, qui Iulio nostro aliqua ex parte respondet Sole & Luna in eadem linea coëuntibus ferias agere Ægyptios ὀφθαλμῶν ὥρου γενέθλιον Oculorum Hori natalitias: quippe non Lunam modò, sed & Solem oculum lumenq; Hori censentes.

CAPVT XX.

De festis & sacris quæ fiunt apud Romanos mense IVLIO.

CALENDAE IVLIAE.

PRAETERQVAM quòd omnes Calendæ Iunoni consecratæ erant, vt supra monuimus, etiam annuæ domorũ locationes, et commigrationes ex veteribus in alias fiebant Cal. Iul. Romæ: quod hodiè in aliquibus locis Italiæ in festo D. Michaelis fieri solet, & apud nos Tigurinos die Fœlicis & Reguiæ Thebeæ legionis martyrũ. Colligitur hoc non obscurè ex Ciceronis epistola ad C. Memmiũ, quæ est secunda lib. 13. vbi ita scribit: propter opera instituta multa multorum, subitum est ei remigrare Calend. Quintil. In quæ verba Paulus Manutius hæc annotauit: Calendæ, inquit, Quintiles, quo die domo tua, in quam venerat, exeundum est, nimis subitæ sunt, & propius adsunt, quàm vt ipse possit operibus, quæ instituit, perfectis suo commodo discedere. Hinc & epist. 3. lib. 2. ad Quintum fratrem, Domus (inquit) tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est: sed, vt spero, paucis mensibus post Calend. Quintiles in tuam commigrabis. Post Calendas Quintiles dixit, id est, finito locationis tempore, demigrantibus ijs, quibus eam locaueras. Suetonius autem in Tiberio, Senatori, inquit, latum clauum ademit, quem cognouisset sub Calend. Iulij demigrasse in hortos, quò vilius post diem ædes in vrbe conduceret. Quòd igitur Euandro, quem statuarium fuisse conijcimus, & pro quo Cicero apud Memmium intercesserat, subitũ erat, id est, propter breuitatem temporis incommodum remigrare Calend. Quintil. ad quam diem opera, quæ multa multis instituisset, absolui non posse intelligebat: quæ moueri loco, & aliò transferri, quum perfecta non essent, commodè non poterant: idcirco petit à Memmio Tullius, vt ei de habitatione accommodet, ne cogatur Calend. Quintil. vt moris erat, remigrare: quod sine damno facere non posse videbatur. Calendarum Iul. ritus.

FORTVNAE MVLIEBRIS FESTVM.

FOrtunæ muliebris festum agebatur Romæ pridie nonas Quintiles, quod eo die consecratum esset ei templum, hac occasione: Quum anno 18. post libertatem adeptam, Coriolanus cognomento Martius exul, Romanis bellum intulisset, nec armis ei resistere possent, nec precibus, mulierum tandem, & præsertim matris Veturiæ ac Volumniæ vxoris lachrymis supplicationibusq; placatus est. Senatus igitur matronis ob promptè nauatam Rei- Fortunæ muliebris festi dies & origo.

pub. operum decreuit laudationem in æs inciſam referendam in ærarium ad perpetuam poſteritatis memoriam: præterea præmium ipſis quod foret gratiſſimum. Illæ verò de communi conſilio nihil aliud petierunt, quàm vt ſibi ſenatus permiſſu liceat templum Fortunæ muliebri ædificare, quo loco incolumitatem vrbis impetrauiſſent, eoq; ad ſacrificium, redeunte die quo pax data eſſet, quotannis conuenire. Senatus autem populusq; Romanus decreuit locum emi pecunia publica qui dedicaretur deæ, in eoq; templum & ara ex præſcripto Pontificum: ſumptuq; publico ſacrum anniuerſarium ibi fieri, cui præſit matrona quam ipſæ delegerint ad id miniſterium. Itaque prima creata eſt ſacerdos Valeria, Publicolæ eius qui cum primis vrbem à tyrannide liberauerat ſoror, quæ mulieribus legationis autor fuerat, et Martij matri perſuaſerat, vt ei legationi intereſſe ac præeſſe vellet. Qua præeunte, primum ſacrificium mulieres peregerunt pro populo in ara recens facta, priuſquam abſolueretur templum aut deæ ſimulachrum, Calendis Decembribus anni ſecuti proximè: nam ea die bellum finitum fuit. Anno deinde ſequente hoc primum ſacrificium, ædes quæ publicè locata fuerat, dedicata eſt pridie nonas Quintiles à Conſule Proculo Virgineo, iſq; poſtea feſtus fuit. Refert hæc ferè Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 8. Antiquit. Romanarum. Quocirca miror Gyraldum & Adrianum Iunium in Faſtis ſuis ad pridie Idus Quintiles, hoc eſt, ad 14. diem Iulij referre hoc feſtum. Sic enim verba Dionyſij habent: ἐνιαυτῷ ὕστερον ἑτέρῳ μετὰ τοῦτο πρώτῳ θυσίαν ὁ κατασκευασθεὶς ἐκ τῶν δημοτικῶν χρημάτων νεὼς συνετελέσθη τε καὶ καθιερώθη, κοϊντιλίοις μησὶ ἑβδόμῃ μάλιστα κατὰ σελήνην: αὕτη δὲ καὶ ῥωμαίοις ἔστιν ἡ προηγουμένη κοϊντιλίων Νονῶν ἡμέρα.

Gyraldi & Iunij error.

Feſtum muliebris fortunæ miraculo confirmatum.

Fertur quum ex ſenatusconſulto publicè locatum eſſet deæ templum & ſimulachrum, ſeorſum ex collatitia matronarum pecunia locatam aliam effigiem: quumq; vtraq; conſecraretur, eo ipſo die dedicationis eam quæ mulierum ſumptu parata fuerat, Latinè loquutam in mulierum præſentia, voce clara ac diſerta, RITE me matronæ dedicaſtis. Quumq;, vt ferè fit, in nouis & inopinatis vel vocibus vel viſionibus, multæ dubitarent ne fortè non ſimulachrum eſſet quod humanam vocem ediderat, præſertim quæ tum aliud agentes non ſatis attentè viderant loquentem effigiem, nec ſatis crederent iis quæ ſe etiam vidiſſe aiebant: paulò pòſt iam referto templo, quum fortè fortuna maximum eſſet ſilentium, maiore voce iterum totidem verba ſimulachrum edidit, vt nulla relinqueretur ambiguitas. His cognitis Senatus decreuit annua ſacra cæterumq; cultum ex Pontificum ſententia. Mulieres antè primæ ſacerdotis monitu inſtituerunt, ſimulachrum hoc nec à bis nuptis coronari debere, nec à viduis, ſed ſolis recens nuptis tribui hoc honoris & miniſterij. Dionyſius vt ſuprà. Plutarchus in Coriolano, & libro de Fortuna Romanorum. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. Meminit & Lactantius lib. 2. diuin. Inſtitut. cap. 8. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 19. & Valerius Maximus lib. 1. de Miraculis. Liuius autem lib. 2. ab vrbe condita, deæ huic templum ædificatum & dedicatum tantum ſcribit, quòd ſimulachrum eius loquutum ſit non habet.

APOLLINARES LVDI.

Apollinares ludi quando inſtituti Romæ.

QVos Romani in ſecundo bello Punico inſtituerunt Apollini ſacros Ludos, hos Græci iampridem habuerunt, et in Parnaſſo monte ſub nomine Pythiorum celebrarunt, quos à nomine perdomitæ ſerpentis nominatos fuiſſe, Ouidius lib. 1. Metamorph. his verſibus teſtatur:

Néue operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

Apollinarium ludorum origo

Originem eorum Liuius lib. 5. Decadis 3. in hæcce verba refert. Religio noua obiecta eſt ex carminibus Martianis. Vates hic Martius illuſtris fuerat, & quum inquiſitio ex ſenatusconſulto talium librorum fieret, in M. Æmilij Prætoris vrbis, qui eam rem agebat, manus venerant: is protinus nouo Prætori Sullæ tradiderat. Ex Liuius Martij duobus carminibus alterius poſtea aucta declarato authoritas euentu, alteri quoque, cuius nondum

tempus

tempus venerat, asserebat fidē. Priore carmine Cannensis prædicta clades in hæc fermè verba erat: Amnem Troiugena Cannam Romane fuge, nec te alienigenæ cogant in campo Dio medis conserere manus: sed neq; credes tu mihi, donec compleris sanguine campum, multaq; millia occisa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera piscibus, atq; auibus, ferisq;, quæ incolunt terras, ijs fiat esca caro tua. Nam mihi ita Iuppiter fatus est: Et Diomedis Argiui campos, & Cannam flumen qui militauerant, in ijs locis iuxta atq; ipsam cladem, agnoscebant. Tum alterum carmen recitatum, non eo tantum obscurius, quia incertiora futura præteritis sunt, sed perplexius etiam scripturæ genere. Hostes Romani si expellere vultis, vomicamq;, quæ gentium venit longè, Apollini vouendos esse censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant, quum populus dederit ex publico partē, priuati vti conferant pro se, suisq;. Ijs ludis faciendis præerit Prætor is, qui ius populo plebiq; dabit summum. Decemuiri Græco ritu hostijs sacra faciant. Hæc si rectè faxitis, gaudebitis semper, fietq; res nostra melior. Nam is diuus extinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascit placidè. Ad id carmen explanandum, diem vnum sumpserunt. Postero die senatusconsultum factum est, vt Decemuiri libros de Ludis Apollini, req; diuina facienda inspicerent. Ea quum inspecta, relataq; ad senatum essent, censuerunt Patres ludos Apollini vouendos, faciendosq;: & quando ludi facti essent, duodecim millia æris Prætori ad rem diuinam, & duas hostias maiores dandas. Alterum senatusconsultum factum est, vt Decemuiri sacra Græco ritu facerent: ijsq; hostijs Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ fœmina boue aurata. Ludos Prætor in Circo maximo quum facturus esset, edixit, vt populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret. Hæc est origo Ludorum Apollinarium: factosq; populus spectauit coronatus: matronæ supplicauere: vulgo apertis ianuis in propatulo epulati sunt, pueri, quos manibus amplexati sunt, hymnos Apollini cantarunt, celebrq; dies omni ceremoniarum genere fuit. Refert etiam Polydorus de Inuent. lib. 4. cap. 14. Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 26.

Seruij Grammatici error.

Quæ autem Liuius supra de origine horum ludorum refert, errati arguunt Seruium Grammaticum, qui ad illud Vergilij Æneid. 5. Instituam festosq; dies de nomine Phœbi, annotat: hos ludos secundum alios bello Punico secundo institutos, secundum alios tempore Sullano ex responso Martiorum fratrum.

Apollinares ludi à quo primùm celebrati.

A quo autem primùm celebrati sint, idem Liuius lib. 7. eiusdem Decadis his verbis indicat: Ludi, inquit, Apollinares Q. Fuluio, Appio Claudio Coss. à P. Cornelio Sylla Prætore vrbis primùm facti erant: inde omnes deinceps Prætores vrbani fecerant, sed in vnum annum vouebant, dieq; incerto faciebant. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 17. narrat, quum hi ludi primò Romæ celebrarentur, repentino hostis aduentu plebem ad arma excitatam hosti occurrisse: eoq; tempore nubem sagittarum in aduersos visam ferri, & hostem fugasse, ac victores Romanos ad spectacula Dei sospitalis reduxisse. Ex his, & ijs quæ ex Liuio adscripsimus, intelligitur, victoriæ, non valetudinis et pestilentiæ causa, vt pleriq; arbitrantur, hos ludos institutos esse, sicuti Liuius & Macrobius citatis locis admonent.

Apollinares ludi cur instituti.

Apollinares ludi quo mense & die celebrati.

Refert tamen Liuius lib. 7. Decadis 7. eodem anno quo primùm ludi hi celebrati sint, pestilentiam grauem incidisse in vrbem & agros, quæ tamen magis in morbos longos, quàm in perniciales euaserit: eius igitur pestilentiæ causa & supplicatum per compita tota vrbe esse, & P. Licinium Varum Prætorem vrbis legem ferre ad populum iussum, vt hi ludi in perpetuum in statum diem vouerentur: ideoq; ipsum primum ita vouisse, feciseq; ante diem tertium Non. Quintil. quem diem deinde solennem seruatum fuisse. Hinc duo colligimus: primò, victoriæ quidem causa ab initio hos ludos institutos, postea verò pestilentiæ ergò certo diei quotannis destinatos: secundò, quarto die Iulij celebratos esse. Volunt aliqui ad quintum Idus Quintiles factos, idque ex Liuio probare conantur, qui Decade quarta libri septimi ita scribit: Per eos dies quibus profectus est ad bellum Consul, Ludis Apollinaribus, ad 5. Idus Quintilis cælo sereno, interdiu obscurata lux est, cum luna sub orbem solis

Liuij locus explicatur.

subisset. Sed hæ sententiæ facilè conciliari possunt, si verum est, quod Adrianus Iunius in Fastis suis dicit, à P. Licinio Varo Ludos Apollinares per octo dies institutos: nam hoc pacto vltimus horum ludorum dies in 5. Id. Quintil. incideret.

Apollinares ludi vbi Romę celebrati.

Hos autem ludos, si quando Circus maximus Tiberis alluuione inundasset, extra portam Collinam ad ædem Veneris Erycinæ celebrarunt, quod Liuius lib. 10. Decadis eiusdem his verbis indicat: Inter quæ, inquit, etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa. Nam ita abundauit Tiberis, vt ludi Apollinares Circo inundato, extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris portati sint. Cæterum ludorum ipso die serenitate subita orta, pompa duci cœpta ad portam Collinam, reuocata deductaq; in Circum est, quum decessisse inde aquam nunciatum esset, lætitiamq; populo & ludis celebritatem addidit, sedes suo solenni spectaculo reddita.

Atqui nec illud nobis silentio prætereundum est, Ludis Apollinaribus Lentulum Spinterum Carbasina vela primùm duxisse. Ad euitandum nanq; solis æstum in omnibus ludis et spectaculis, etiam in foro, vela à parte superna ducebantur. Hoc postea à Pontificijs in suam religionem translatum est, quando in Corporis Christi festo, sub velo portatili triticeum suum Deum circumferunt.

CAPROTINAE NONAE, QVAE ET TVRBAE seu POPVLIFVGIA, ac ANCILLARVM festum dicuntur.

Festi huius origo & ritus.

HVius solennitatis duplex origo affertur. Sunt enim qui ad Romuli casum referant. Nam quum is ad exercitum recensendum concionem in campo ad Capreæ paludem haberet, repentè exorta est tempestas sæuissima cum tonitribus, ac ingenti ventorum fragore terram vndique grandine operuit, sol quoque velut intempesta nocte defecit. Interea populus omnis fuga elapsus, & præ nimio metu in varia loca dissipatus est. Postea verò quam sedata tempestas ac lux reddita est, coacta rursus in vnum multitudo sollicita regis desiderio scrutari omnia cœpit, sed nusquam eum inuenit, ac raptum eum à patre Marte in tempestate illa credidit: vt Plutarchus in Romulo & Liuius indicant. Dionysius tamen hos fabulosa tradidisse affirmat. Vt igitur populo hæc in memoriam reuocarentur, Nonis Quintilibus, quibus ista accidisse memorant, exeuntes ex vrbe ad Capreæ paludem sacrificia solennia peragunt. Exeuntes autem multa ex patrijs nominibus, vt Marcelli & Caij, cum clamore recitant, Plutarcho eodem in loco authore.

Festi huius etymon.

Ob fugam autem populi seu turbæ, quæ in raptu Romuli facta dicitur, dies hic Populi vel Turbæ fugia appellabatur. Et quia nonis Iulijs ad Capreæ paludem sacrificabatur, Caprotinæ vel Capratinæ nonæ etiam dicebatur. Varro autem Populi fugia ad mensem Iunium refert: Iunio, inquit, mense dies Populifugia videtur denominatus, quòd eo die repentè tumultu fugerit populus, &c. Huic sententiæ Plutarchus in Romulo & Camillo aliam, & quidem probabiliorem subnectit. Nam post vrbem captam à Gallis, sed inde rursum à Camillo pulsis fugatisq;, quum Respublica ad tenue deducta esset, Latini finitimi, siue in speciem, vt occasionem belli quærerent, siue reipsa, vt de integro inter vtranq; gentem affinitas contraheretur, legatos miserunt, qui ingenuarum puellarum à Romanis pudicæ poscerent connubia. Macrobius li. 1. Saturnal. refert, Latinos, ex tenui fortuna Romanorum, opportunitatem inuadendi eos, aucupatos, mandatis ad senatum missis, postulasse, vt si vellent reliquias suæ ciuitatis manere, matres familiâs & virgines sibi dederentur. Cùm igitur Patres in ancipiti deliberatione essent suspensi, quod nondum cruentum bellum suscipere auderent, neque enim vires recuperarant: timerentq; ne Latini, dum Romana connubia peterent,

Festi huius origo & nominis ratio alia.

rent, obsides per insidias quærerent, ancilla nomine Tutela, vel, vt alij dicunt, Philotis, patribus suasit, secum vt mitterent ancillas, quæ ætate florenti, & liberali essent forma, in virginum ingenuarum forma morem excultas, reliqua sibi curæ fore. Patres probato consilio, delegerunt ex ancillis, quas ad eam rem probasset illa, easq; auro & veste ornatas Latinis, qui statiua non procul ab vrbe habebant, tradiderunt. Eæ quum à Liuio Posthumio in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino prouocauerunt, diem festum apud se esse simulantes. Quibus soporatis, nocte cæteræ gladios hostibus subtraxerunt: Tutela verò, vel Philotis conscensa edita caprifico, & stola aduersus castra obtensa, facem Romam versus sustulit: quod ei cum patribus signum alijs insciis ciuibus conuenerat. Quapropter tumultuariè à ciuibus excursum fuit, cùm instarent duces, sese mutuò appellantibus, vix vt instrui possent in aciem. Vallum, nec opinantibus hostibus sopitisq;, adorti cœperunt, castraq; expugnarunt, atq; maxima ex parte hostes obtruncarunt nonis Quintilibus, quas nunc vocant Iulias. Memor beneficij senatus, omnes ancillas iussit manu emitti, dotemq; eis ex publico fecit, & ornatum, quo tunc erant vsæ, gestare concessit. In rei quoq; huius memoriam festum agi, & sacrificium annua solennitate celebrari statuit senatus, cui lac, quod ex caprifico manat, propter præcedentis facti memoriam, adhibetur. In die festo etiam primùm agmine erumpentes vrbe nomina plurima patria & vulgaria cient, Caium, Marcum, Lucium, & his similia: referentes mutuam illam in properando compellationẽ. Deinde splendidè comptæ vrbem circumeunt ancillæ, dicteria in obuium quemq; iacientes. Pugnam quoq; inter se conserunt, vt quæ etiam tum in prælio cum Latinis inito, suam nauauerint operam. Ad epulum considentes ficulneis inumbratæ ramis. Eum diem, Nonas Capratinas à caprifico, vt arbitrantur, ex qua facem edidisse ferunt ancillam illam, nominant.

Fuit autem dies hic Iunoni sacer, vnde & Caprotina Iuno dicta est. Plinius tamen lib. 11. cap. 15. initium Caprificiorum Vulcano sacrum fuisse ait, ita scribens: Vindemiæ mellis Attici signum dedere Caprificiorum diem; Vulcano sacrum. Pleriq; putant Caniculares dies Caprifici dies esse: Gyraldus de Dijs gentium Syntag. 17.

VITVLAE DEAE FESTVM.

Vitulationis dies & origo. Vitulatio quid.

POstridie nonas Iulias re benè gesta, quum pridie populus in fugam versus esset, post victoriam certis sacrificijs agebatur festus dies, & fiebat Vitulatio. Hoc nomen, sicut et verbum vitulari primo Pontificij iuris libro apud Pictorem inuenitur. De cuius verbi significatione Titius ita retulit, Vitulari est voce lætari. Varro etiam lib. 15. rerum diuinarum ita refert, quòd Pontifex in quibusdam sacris vitulari soleat, quod Græci παιανίζειν vocant. Hyllus in libro quẽ de Dijs composuit, ait, Vitulam vocari deam, quæ lætitiæ præsit: eamq; ob causam magno cultu semper habuisse Romanos hanc deam, vt Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. scribit. Piso autem dicit, Vitulam victoriam nominari, cuius rei argumentum profert diem hunc festum. Quidam nomen eius interpretantur, quòd potens sit vitæ tolerandæ. Ideò huic deæ pro frugibus sacra fieri dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. Vnde hoc esse animaduertimus quod Vergilius ait:

Vitula dea quę

Cùm faciam vitula pro frugibus ipse venito.

Vt vitula dixerit pro vitulatione, quod nomen esse sacrificij ob lætitiam facti superius expressimus. Meminerimus tamen sic per Ablatiuum legendum, Cum faciam vitula pro frugibus, id est, cum faciam rem diuinam, non oue, non capra, sed vitula: ac si dicat, quum vitulam pro frugibus sacrificauero: quod est, quum vitula rem diuinam fecero: vt docet Macrobius lib. 3. Saturnaliorum, & ex Macrobio Gyraldus de Dijs gentium Syntagmate 10.

IVLII CAESARIS FESTVM.

Festi huius dies & origo.

DVodecimus dies Iulij Natalis est Iulij Cæsaris, Adriano Iunio & Gyraldo in Fastis testibus. Decretum autem est à senatu, vt is dies propterea festus haberetur vniuerso populo, vtq; laureas gestarent, diraq; imprecatus est omnibus diem negligentibus.

CASTORIS ET POLLVCIS FESTVM: AC LVDI qui in eo celebrabantur.

Festi huius dies & origo.

IDibus Quintilibus in honorem Castoris & Pollucis festum agebatur, ob dedicatum eis hoc die templum, idq; hac occasione: In ancipiti illo prælio quod A. Posthumius cum Latinis commisit, qui Tarquinium Superbum in regnum reducere conabantur, Posthumianis equitibus apparuisse dicuntur duo primæ lanuginis iuuenes præstantiore statura & forma, quàm quæ videri posset mortalium, præcedentes Romanum equitatum, hostemq; hastis ferientes cominus, & in fugam agentes. Ac rursum post fusos fugatosq; Latinos & castra eorum capta, ferè iam finito prælio in Romano foro visos esse adolescentes duos militari cultu proceriſsimos & pulcherrimos, vultu adhuc retinente quam in pugna habuerant speciem, & equis sudore madentibus. Cumq; de equis descendissent ambo, lauissentq; fontana quæ ad ædem Vestæ profluens paruam sed profundam facit lacunam, multis eos circumsistentibus, rogantibusq; ecquid ab exercitu noui afferant? pugnam indicasse & victoriam: digressosq; è foro nusquã comparuisse postea, quamuis anxiè à præfecto vrbis quæsitos. Postero die quum Senatus ex Dictatoris literis inter cætera eius prælij memorabilia cognouisset de hac quoq; visione, ratus vtrobiq; eorundem spectra obuersata oculis, verisimili coniectura credidit Castorum eas fuisse imagines: Dionysius lib. 6. & Valerius Max. lib. 1. cap. 98. In memoriam rei huius mirificæ, in foro templum Castorum publicè à Senatu ædificari iussum, dedicatumq; est Idibus Iulijs ab A. Posthumij filio Duumuiro ad id creato, vt placet nonnullis. Liuius lib. 2. ab vrbe condita ædem vouisse Posthumium scribit: Dionysius autem non ædis, sed ludorum meminit quos vouerit Dictator ille: Tum, inquit, Posthumius laudata eorum alacritate, votisq; factis, si felix pugnam sequatur exitus, sacra se dijs facturum magnificè, & anniuersarios ludos instituturum splendidè, dimisit militem ad suos ordines, &c. Ad hunc modum quum se voti reum fecisset, Senatus, ob rem feliciter gestam, sacrificium magnificum dijs instituit, quod quotannis populus Romanus per primarios equestris ordinis Idibus Quintilibus peregit, qua die victoria hæc illi contigit. Hæc Dionysius lib. 6. vbi & ludos, quos Dictator vouerat, sic paucis perstringit: Præter omnia, inquit, post sacrificium transuectio eorum qui equos habent ex publico, qui per tribus & centurias distincti, ordine in equis vehuntur omnes quasi è pugna redeant, coronati fronde oleagina, & togis palmatis amicti, quas vocant trabeas, initio pompæ facto ab æde Martis quæ extra vrbem sita est, & pertranseuntes cùm cæteras vrbis partes, tum forum ædemq; Castorum, nonnunquam quinq; virorum millia, gerentes quicquid donorum militarium acceperunt à ducibus, egregium sanè spectaculum, dignumq; imperij magnitudine. In fine autem libri septimi idem author pluribus hos Ludos, qui die hac agebantur, describit ad hunc ferè modum: Ludos, inquit, hos decreuit Senatus Romanus, vt suprà quoque dictum est, bello Latino votos à dictatore A. Posthumio, priusquam signa conferret cum Latinis populis, qui violato fœdere desciuerant, volebantque Tarquinium in regnum reducere. In horum simul sacrificiorum impensas assignatæ fuere quingentæ argenti minæ annuæ, quod obseruatum est vsque ad bellum Punicum. Per eos dies agebantur multa more Græcanico circa mercatus, & excipiendos hospites communesq; inducias, quæ operosum esset commemorare. Pompa autem, sacraque, ex quibus licet æstimare reliqua, habebant se hoc modo: Priusquam spectaculum committeretur, viri potestate ac dignitate præminentes pompam ducebant dijs à Capitolio per forum in Circum maximum, in qua primi erant eorum filij pubertati proximi, qui iam per ætatem interesse possent, equis inuecti, quorum patres erant Romani equites, cæteri pedites in pedestrem accensendi militiam, distincti per alas & centurias, classiumque ordines, ac si ludum literarium peterent, vt appareret hospitibus futura iuuentus vrbana, quàm esset egregia forma & numero. Hos sequebantur quadrigarij, bigarij, singulorumque equorum agitatores, post quos Athletæ grauiorum leuiorumque certaminum, nudi cætera, pudenda tantum tecti subligaribus campestribus, cursu, palæstra, cæstibus certaturi.

Castoris & Pollucis ludorum ritus.

Athletas

Athletas sequebantur saltatorum chori trifariam diuisi: primo virorũ, deinceps imberbium, postremo puerorum: post quos tibicines instantes antiqui moris breues tibias, citharistæq; lyras septichordes eburneas, & quæ barbita nuncupata sunt habentes. Saltatorum habitus erat, tunicæ puniceæ baltheis æreis strictæ, enses lateribus pendentes: gestabantq; tela breuiora viris: viri verò etiam æreas galeas cristis pinnatis insignes. Præibant choris viri singuli saltationis & tripudij modum præmonstrantes, bellicos motus atq; vehementes proceleumaticis & rhythmis imitantes. Id genus exercitij apud Græcos olim cumprimis erat celebre, armata nimirum saltatio, quæ pyrrhica vocatur, à Pallade, vt creditur, reperta: alij Curetas eius saltationis authores arbitrati sunt. Armatos saltatores, Satyricorum cœtus ponè sequebatur, sicinnen referentes Græcanicam. Habitus horum Silenos repræsentantium erant hirsutæ tunicæ, quas quidem appellant scorteas, amiculaq; conserta ex omni florum genere: alius item Satyrorum, ex hircinis tergoribus campestria, setæq; horrentes in vertice, & alia his similia: hi serias illas saltationes ridiculè imitabantur. Atq; hunc demùm ordinem tibicines alij & citharoedi vario sequebantur concentu. Post hos omnis generis Pontifices, sacerdotes, flamines, sodales ac augures gestantes acerras argenteas aureasq; tam sacras quàm publicas, suffitumq; facientes. Extremum agmen claudebant simulachrorum baiuli, habentium quales apud Græcos finguntur effigies, eundem habitum, eademq; insignia & munera quorum inuentores & donatores traduntur: nec solùm Iouis, Iunonis, Mineruæ, Neptuni, aliorumq; quos Græci inter 12. numerant, sed antiquiorum etiam quorum duodecim illi sunt progenies, Saturni, Themidis, Latonæ, Parcarum, Memoriæ: adhæc Proserpinæ, Lucinæ, Nympharum, Musarum, Horarum, Gratiarum, Liberi, Semideorumq;, Herculis, Æsculapij, Castorum, Helenæ, Panis, & aliorum innumerorum. Quæ omnia à Christianis postea per κομοζηλίαν in solennitatem festi Corporis Christi translata sunt. Peracta pompa hac confestim sacrificabant Consules sacerdotesq;, quibus fas erat, & victimarij: lotisq; manibus, & lustratis aqua pura victimis, molaq; consperſis earum capitibus, votisq; nuncupatis, tum ministros eas mactare iubebant: quorum alij stantem etiam tum hostiam vecte feriebant in tempora, alij cadentem cultris excipiebant, ac mox direpto tergore concidebant membratim, delibatasq; ex singulis extis alijsq; membris primitias farre obuolutas in canistris offerebant sacrificantibus: qui aris impositas succendebant, & vinum affundebant insuper: quæ singula quoque in sacrificijs Græcorum factitari solita apud Homerum videre est.

Supersunt pauca de certaminibus dicenda, quæ à peracta pompa spectabantur. Primus erat quadrigarum, bigarum, singulorumq; equorum cursus, sicut olim in Olympia. In his equestribus certaminibus, duo quædam priscorum instituta seruabantur à Romanis, alterum, trigariorum, quod defecit in Græcia, vsitatum heroum temporibus, vt Homerus testatur, describens eorum prælia: quo duobus equis bigarum in morem iunctis adiungebatur tertius funalis loramentis adnexus, quem inde παρήορον Græci vocabant: alterum, vectorum cursus, finito enim equorum certamine, viri qui prius cum aurigis eodem curru vehebantur, quos poëtæ Parabatas, Athenienses Apobatas nominant, desilientes in pedes cursu certant in stadio. Post equorum cursum Athletæ inducebantur, cursores, luctatores, pugiles. Cæterùm medio inter certamina tempore benè de Repub. meriti coronabantur, voceq; præconis celebrabantur ex more Græcorum laudatissimo, sicut Athenis per Liberalia factitatum est: & ostentabantur spectatoribus relata ex hoste spolia. Dionysius Halicarnass. in fine lib. 7. Cornelius Tacitus lib. 2. Sabellicus lib. 9. Enne. 2. Meminit etiam Valerius Max. lib. 2. cap. 154. sed ad alium refert authorem: Trabeatos, inquit, equites Idibus Iulij Q. Fabius transuehi instituit. Ad quæ verba Oliuerius Arzignanen. hæc annotauit: Plinius, ait, iunior tradit Q. Fabium Rullum primum ex ea familia ob virtutem maximam instituisse, vt equites Romani Idibus Quintilibus ab æde Honoris equis insidentes in Capitolium transirent. Lazius lib. 11. cap. 16. de Rep. Rom. hos ludos Francicos videtur appellasse, sed quam ob causam incertum est: inquit enim, Francici ludi Idibus Iulij dati sunt.

COENAE PONTIFICALIS CELEBRITAS.

Cœnæ Pontif. dies eiusq; ritus.

COEnam Pontificalem *magna cum solennitate bis in anno dari solitam fuisse legimus, nimirum nono Calend. Augusti, & decimo tertio Calend. Nouemb. teste Lazio. Extat autem Cœnæ Pontificalis vetustissimæ, omniq; lautitiarum genere instructissimæ descriptio apud Macrobium lib. 3. Saturnal. cap. 13. ex indice quarto Metelli Pontificis Maximi in hæc verba: Ante diem nonum Calend. Septemb. quo die Lentulus Flamen Martialis inauguratus est, domus ornata fuit. Triclinia lectis eburneis strata fuerunt. Duobus triclinijs Pontifices cubuerunt, Q. Catulus, M. Æmilius Lepidus, D. Syllanus, C. Cæsar rex sacrorum, P. Scæuola Sextus, Q. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinouanus, & L. Iulius Cæsar augur, qui eum inaugurauit. In tertio triclinio Popilia, Perpenia, Licinia, Arruncia Vestales virgines, & ipsius vxor Publicia Flaminica, & Sempronia socrus eius. Cœna hæc fuit. Ante cœnam echinos, ostreas crudas quantum vellent, peloridas, spondylos, turdum, asparagos, subtus gallinam altilem, patinam ostrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos. Iterum spondylos, glycomaridas, vrticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos, altilia ex farina inuoluta, ficedulas, murices & purpuras. In cœna, sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, amylum, panes picentes. Vt non immeritò hæ cœnæ Pontificales prouerbij loco pro quibusuis luxuriosis & magnificis cœnis* σωσικδοχικῶς *crebrò apud auctores vsurpentur. Sic enim Horatius Ode 14.*

Absumet hæres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimento superbo
Pontificum potiore cœnis.

Lautissimis his cœnis Pontifices Romani adhuc hodiè certo die quotannis, tum verò maximè in sua inauguratione vtuntur, vt suo loco indicabitur.

OPIGENAE DEAE SACRVM.

ADrianus Iunius in Fastis suis indicat, die 23. mensis Iulij mulieres prægnantes Opigenæ deæ cereas imagines obtulisse auxilium in partu deprecantes. Item, die 28. Cereri lacte, vino, & melle sacrificasse.

CANARIVM AVGVRIVM.

GYraldus refert, eodem mense, non tamen die adnotato, Neptunalia celebrata, & rutilas canes caniculæ sacrificatas. De quo Alex. de Alexandro lib. 3. cap. 12. Ad placandum, ait, Caniculæ sidus, frugibus inimicum, etiam canes mactabantur: quas si rufæ non essent, putas non putarunt: idq; sacrum Canarium augurium nuncuparunt.

CAPVT XXI.

Festa quæ mense AVGVSTO à Græcis sunt celebrata.

BOHΔPOMIA.

Boedromiorũ origo.

BOHΔPOMIA Boedromia festum *quoddam fuit Athenienſium, cuius duplex origo affertur ab authoribus. Philochorus enim & Harpocration in Ionem (non Iouem, vt in Gyraldi de Armis & mensibus exemplari habetur) Xuthi filium*

filium hoc referunt, quòd is multo studio opem Athenienſibus tulerit, quo tempore ſub Erechtheo rege ab Eumolpo Neptuni filio oppugnabantur. Suidas id Xutho ipſi, non eius filio tribuit. Sic enim ſcribit: Βοηδρομία ἐστι ἑορτή τις Ἀθηναίοις καλουμένη, καθ' ἣν ἡμέραν ἐβοήθησεν ὁ Ξοῦθος πολλῇ σπουδῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ ποσειδῶνος. Græci Grammatici, vt refert Gyraldus Syntag. 7. in Apolline, tradunt, Athenienſes, ob hanc victoriam Ionis opera partam, Apollinem, de voce currentis ad vrbem exercitus, βοηδρόμιον dixiſſe, & ſolennitatem βοηδρόμια, & menſem βοηδρομιῶνα. Sed enim Apollinis Boedromij meminit & Callimachus in hymno:

ὦ πόλλων, πολλοί σε βοηδρόμιον καλέουσι: id eſt,
Phœbe Boedromion multi te nomine dicunt.

Alij ex Plutarcho indicant, hoc feſtum Athenis celebrari ſolitum, ob prælium à Theſeo aduerſus Amazones feliciter geſtum: vnde & nomẽ menſi, in quo illud geſſit, inditum. Plutarchi tamen verba ſunt hæc in Theſeo: ἡ μὲν οὖν μάχη βοηδρομιῶνος ἐγένετο μηνὸς ἐφ' ἣ τὰ βοηδρόμια μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι θύουσι. Id eſt, Pugna hæc facta eſt Boedromione menſe, quo Boedromia vſq; nunc Athenienſes celebrant. Lalamantius verò poſterius membrum ſic reddidit: Cuius pugnæ cauſa in hunc vſq; diem Athenienſes ſacra Boedromia peragunt.

Erat autem hæc celebritas cuidam veluti excurſioni ſimilis, quæ cum exclamatione fieret: vnde & vocabulum deflexum videtur, à voce ſcilicet & curſu. Vnde Suidas ait, βοηδρομεῖν ἐστι μετὰ βοῆς ὅπλοις μάχην δραμεῖν. Boedromiorũ ritus.

ΔΕΥΤΕΡΑ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ βοηδρομιῶνος.

DE ſecunda Boedromionis menſis die Plutarchus in libello De fraterno amore ſic ſcribit: Athenienſes, quanquam fabulam de Deorum contentione abſurdè finxerunt, inſeruerunt tamen iſtius abſurditatis correctionem minimè ineptam: τῇ γὰρ δευτέραν ἐξαιροῦσιν ἀεὶ τοῦ βοηδρομιῶνος, ὡς ἐν ἐκείνῃ τῷ ποσειδῶνι πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν γενομένης τῆς διαφορᾶς: hoc eſt, Secundam enim diem menſis Boedromionis ſemper eximunt: quòd ea die cum Minerua Neptuno fuerit contentio. Id deinde moraliter explicans, Quid ergo obſtat, inquit, quo minus & nos aliquandò cum domeſticis, cognatiſq; altercati, iſtum diem obliuioni conſecremus, ac pro atro cenſeamus?

ΤΕΤΑΡΤΗ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ βοηδρομιῶνος.

INgenti Perſarum exercitu, quem poſt fugam Xerxis in Boeotia ad ſubigendam Græciam retinuerat Mardonius victo ac fœda ſtrage cæſo ad Platæas duce Pauſania quarta die Boedromionis, quotannis deinceps totius Græciæ Concilium eo die celebratum fuit, eoq; nomine is dies ſolennis habitus. Sic enim Plutarchus in Ariſtide: Ταύτῃ τῇ μάχῃ ἐμαχέσαντο τῇ τετράδι τοῦ βοηδρομιῶνος ἱσταμένου κατ' Ἀθηναίους, κατὰ δὲ βοιωτοὺς τετράδι τοῦ Πανέμου φθίνοντος, ἣν καὶ νῦν ἔτι τὸ ἑλληνικὸν ἐν πλαταιαῖς θεραπεύεται συνέδριον, καὶ θύουσι τῷ ἐλευθερίῳ Διὶ πλαταιεῖς ὑπὲρ τῆς νίκης. In libello autem de Gloria Athenienſium, hoc feſtum ad tertiam diem menſis huius refert. Sic enim verba eo loco habent: Τρίτῃ δ' ἱσταμένου ἐν Πλαταιαῖς μάχῃ ἐνίκων. Feſti huius origo.

ΕΚΤΗ ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ βοηδρομιῶνος.

SExtam diem Boedromionis Athenienſes feſtam celebraſſe, Plutarchus teſtatur in libello, cui titulus, Bellone an Pace clariores extiterint Athenienſes: quòd ea Medorum exercitus maximus, quem exul Athenienſis Hippias Piſiſtrati tyranni filius in Atticam adduxerat, ab exiguis Athenienſium copijs ad Marathonem duce Miltiade fuſus fugatuſque eſſet. Sic enim ſcribit: ἕκτῃ ἱσταμένου βοηδρομιῶνος, ἐσθ' ὅτε νῦν τῇ ἐν Μαραθῶνι νίκῃ ἡ πόλις ἑορτάζει. Refert idem in Camilli vita. Feſti huius origo.

XAPIΣTHPIA.

Festi huius origo.

DVodecima dies Boedromionis solennis Athenienſibus fuit, quòd ea gratiarum agendarum causa ob receptam libertatem ſacrificarent: tunc enim à Phyla in vrbem redierunt: Plutarcho teſte in lib. Bellone an pace clariores fuerint Athenienſes.

NEMEI Ludi.

Nemeorum etymon & origo

NEMEI Ludi à Nemea regione & ſylua, inter Phlyuntem & Cleonas Achaiæ ciuitates ſita, dicti ſunt. In ea, quum Argiui Thebas peterent, ſiti fatigatus exercitus, Hypſipylen habuit obuiam Lemni reginam, geſtantẽ Opheltem puellum, Eurydice & Lycurgo ſatum, qui Iouis Nemæi filius, & flamen Dialis erat: quanquam Ophelten alij Creuſæ & Eupheti prodidere filium. Hypſipyles ductu atq; indicio inuentis aquis, dum ſoluunt ad fontem ſitim, relictum ab ea in pratis infantem Draco necat. Illi reuerſi belluam interficiunt: & certamen indicunt funebre triennale, quod Nemea appellarunt, à loco, qui ſic appellabatur, ſicut diximus, vel à Luna & Ioue, vel ab armentis Iunoni ſacris, quæ ibi paſcerentur, quod eſt νεμέειν: vel quòd regionem ſortiti eſſent Danai filij, idenim Græcis dicitur κατα νέιμασθαι. Ophelten autem fatali nomine appellauit Archemoron vates Amphiaraus. Alij euenisſe hoc Talao Adraſti regis, qui exercitum ducebat, fratri, prodidêre. Æſchylus putauit Archemorum fuiſſe Nemeæ filium, qui hunc ad modum vita functus ſit; certamenq; illud Thebano bello fuiſſe longè vetuſtius. Quidam ab Hercule, aut à Molorcho, qui Herculem ſuſcepit hoſpitio, cuius filius à leone Nemeæo interfectus fuerat, origenem habuiſſe docent. Non deſunt, qui in honorem Archemori Lycurgi filij primùm inſtituta fuiſſe concedunt Nemea, quòd in illa ſylua à ſerpente morſus interiiſſet, ſed ab Hercule fuiſſe in melius correcta, quum leonem Nemeum occidiſſet, qui illa poſtea Ioui conſecrarit, & poſt triennium tempus peragendis ſtatuerit diem duodecimum eius menſis, qui Πάνεμος à Corinthijs, ab Athenienſibus autem Βοηδρομιὼν dicebatur, quia eo menſe Theſeus Amazonas debellauit. Alexander Sardus verò lib. 3. ſcribit, hos ludos circa brumæ dies factos.

Nemeorum ritus.

In his ludis maiorum imagines, ſicut in funebri pompa, longo ordine repreſentabant, atque equorum curſu, ſimul Diſco, Ceſtu & Palæſtra dimicabant. Primùm autem ſoli certabant milites & militum filij: deinde etiam populus admiſſus. Ac falſò negarunt quidam, vel curru, vel equo ſingulari hos ludos celebratos: curru inquam διφρῳ: nam altero currus genere, quod appellant ἅρμα, non negant: in illo ſella erat, in hoc non erat. Pindarus meminit in Nemeis expreſſè pancratij, & luctæ, & quinquertij, & ſtadij, & ἅρματος.

Nemeorũ præſides.

Certamini præſidebant Corinthij, Argiui & Cleonæi: demùm Certenſes ſunt iudices electi.

Victorum in Nemeis præmium.

Per initia ex olea coronam factam & victori datam tradunt: duraſſeq; hunc morem ad Medici belli tempora vſque. Deinde oleam cum apio viridi commutatam: quòd ſuper hanc herbam reptantem puerum Opheltem à dracone interemptum exiſtimarent, eamq; funeribus conuenire putarent, in honorem quoque eorum qui Medico bello occubuerant. Iccirco iudices pullati ſedebant, ſtolis circumamicti phæis. Inde fuit Græcis in vniuerſum apij corona funeralis, maiorumq; ſepulchris ex apio coronas apponi, illoq; ornari & tegi ſeruatum eſt, quæ ſepulchrales dictæ. Qui præparabant etiam infantes ad hoc certamen, ſtatim natos in apio, quo extremus hortorum ambitus conſeritur, collocabant. Referunt hæc quæ hucuſque de ludis Nemeis diximus, Polybius lib. 2. Strabo lib. 8. Cœlius Rhodig. lib. 23. cap. 8. Alex. ab. Alex. lib. 5. cap. 8. Natalis Comes Mythologiæ lib. 5. cap. 3.

ΔIONΥΣIA, ſeu MΥΣTHPIA Μεγάλα Διονύσια.

Myſteria M. Bacchi quando celebrata.

ΔIONΥΣIA, quæ Bacchi myſteria magna appellarunt, quæque ab Orpheo in Græciam primo introducta fuerunt, Natali Comite teſte libro ſeptimo Mythol. cap. 14.

cap.14.mense Boedromione celebrata esse, Plutarchus testatur in Dometrio, his verbis: Τὰ μικρὰ Μυστήρια τῷ Ανθεστηριῶνι ἐτέλουν τὸ: Τὰ δὲ μεγάλα τῷ Βοηδρομιῶνι. Et Demosthenes Olynthia.3.de Boedromione loquens: Τέτε τῦ μὴνὸς μόνις μετὰ Μυστήρια δέκα ναῦς ἀπεστείλατε. Rursus Plutarchus in Alexandri vita sic scribit: ἡ μὲν ἐν σελήνη τῷ Βοηδρομιῶνι ἐξέλιπεν, ὀγδόῃ τὴν τῶν Μυστηρίων τῶν Αθήνησιν ἀρχήν: id est, Luna mense Boedromione defecit, circa Athenienſium myſteriorum initium. Quæ ſimul indicant, non vno tantum, ſed pluribus diebus acta fuiſſe. A ſexta decima autem die Boedromionis vſq; ad vigeſimam celebrata hæc ſolennia, ex Plutarcho rurſus probatur, qui de victoria nauali, ab Athenienſibus circa Naxum parta, in Phocionis vita ſic ſcribit: ἐνίκων δὲ μεγάλοις μυστηρίοις, καὶ παρεῖχεν οἰνοχόημα, Χαβρίας Αθηναίοις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῇ ἕκτῃ φθὶ δέκα Βοηδρομιῶνος: id est, Vicerunt magnis myſterijs, & dedit vini effuſionem Chabrias Athenienſibus quotannis decima ſexta die Boedromionis. Qua de re ſic etiam ſcribit in libro, Vtrum bello an pace clariores fuerint Athenienſes: Sexta vltra decimam Boedromionis vinum funditur ob victoriam naualem Chabriæ apud Naxum ea die partam. Adhæc idem author in Alexandro refert, eclipſin illam, quæ acciderit circa myſteriorum initium menſe Boedromione, vndecim dies cladem Perſarum, in Gaugamelis acceptam, anteceſſiſſe. Conſtat autem ex Plutarchi Camillo, Perſas victos die 26. Boedromionis: ſic enim inquit: Πέρσαι ἡττήθησαν πέμπτῃ τῷ φθίνοντος Βοηδρομιῶνος ἐν Αρβήλοις. Vbi obiter error Plutarchi deprehenditur: nam quod hic dixit, victos Perſas in Arbelis, id in Alexandro falſum eſſe dicit, factumq; in Gaugamelis. Verba eius hæc ſunt: Τῷ μεγάλῳ μάχῃ πρὸς Δαρεῖον, οὐκ ἐν Αρβήλοις, ὥσπερ οἱ πολλοὶ γράφουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαυγαμήλοις γενέσθαι συμπίπτουσιν. Apparet igitur hinc eclipſin hanc factã decima quinta die Boedromionis, quod tempus initium Myſteriorum eſſe dicit. De vigeſima autem die idem author in Camillo ſic ſcribit: Οὐκ ἀγνοῶ δὲ, ὅτι θεῷ τῷ τῶν Μυστηρίων καιρὸν ἄυδις Θηβαίοις κατασκάψασιν ὑπὸ Αλεξάνδρου: καὶ μετὰ ταῦτα φρυρὰν Αθηναῖοι Μακεδόνων ἐδέξαντο περὶ αὐτὸν τὸν εἰκάδα τῦ Βοηδρομιῶνος, ἣν τὸν μυστικὸν Ἴακχον ἐξάγουσιν: hoc eſt, Non me fugit per ea tẽpora quibus Myſteria agebantur, Thebas rurſum ab Alexandro dirutas eſſe: & poſt hæc præſidium Athenienſes Macedonum receperunt circa eandem vigeſimam diem Boedromionis, quo myſticum Bacchum educunt. Et in vita Phocionis ita habet: Οὐ μικρὸν ἦν τῷ πάθει προσθήκην ὁ καιρὸς, εἰκάδι γὰρ ἡ φρυρὰ Βοηδρομιῶνος εἰσήχθη, Μυστηρίων ὄντων, ἣν τὸν Ἴακχον ἐξάγουσι Ἐλευσῖνα δὲ πέμπουσιν: id est, Auxit autem non parùm luctum & mœrorem tempus ipſum: nam vigeſima die Boedromionis introductum eſt præſidium, qua myſteria agebantur, & Bacchus ex vrbe in Eleuſinam mittebatur.

Plutarchi error.

Horum ſacrificiorum & feſtorum tempus, inſtrumenta, & habitum Baccharum demonſtrauit ferè totum Ouidius lib.6. Metamorph. ita canens:

Myſteriorum M. Bacchi ritus

Tempus erat, quo ſacra ſolent trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus, nox conſcia ſacri.
Nocte ſonat Rhodope tinnitibus æris acuti.
Nocte ſua eſt egreſſa domo Regina: Deiq;
Ritibus inſtruitur, furialiq; accipit arma.
Vite caput tegitur: lateri ceruina ſiniſtro
Vellera dependent, humero leuis incubat haſta.

Nam his armis inſtructæ cum vociferatione diſcurrentes crinibus paſſis diuinare, ac res futuras prædicere credebantur.

Solebant etiam comici, tragici, eorumq; hiſtriones, & tibicines in his myſterijs & ludis Bacchanalibus certare carminibus in Bacchi laudem canendis: & eam ob cauſam finita ſolennitate eligebatur continuò ex ſingulis tribubus ædilis, qui cœtus puerorum & virorum aleret, & ad eam rem pecunia ei ex publico dabatur. Feſto igitur præſente certabant & contendebant inter ſe ædiles, quisque cum ſuo cœtu tragicorum, comicorum & tibicinum: vt author argumenti Orationis Demoſthenis cõtra Midiam indicat. Vnde etiam Plutarchus

in Alexandri vita de Athenodoro histrione scribit, quòd ab Athenienſibus mulctatus ſit, quia Dionyſiorum certamini non interfuiſſet: Ζημιωθεὶς, *inquit,* ὑπὸ Ἀθηναίων ὅτι πρὸς τὸν ἀγῶνα τῶν Διονυσίων οὐκ ἀπήντησε. *Apud eundem quidam Menandro Comico dicit,* ἐγγὺς τὰ Διονύσια, καὶ σὺ τὴν κωμῳδίαν οὐ πεποίηκας: *propè ſunt Dionyſia, & tu Comœdiam nondum feciſti.*

Scribit Athenæus lib.11.cap. 3. vbi certamen hoc adfuiſſet, Athenienſes primùm quidem pranſos: poſtea verò acceſsiſſe ad ſpectaculum, coronatosq; ſpectaſſe: atque per totum certaminis ſpatium vinum infuſum, allataq; bellaria, chorisq; ingredientibus potum datum: ac rurſus poſt certamen idem factitatum. Philochorus ex Pherecrate Comico refert, ad ſua vſq; tempora non fuiſſe in his ſpectaculis ſine cibo ſpectatores.

Victori tripos præmium erat.

Certamina Myſteriorum M. vbi celebrata.

Λίμναι *Limnæ locus fuit Athenis, & in eo templum, in quo colebatur Dionyſius ſeu Bacchus, vt Harpocration teſtatur: vnde & Limnæus cognominatus fuit, ſic enim Callimachus,* Λιμναίῳ χορεσάμας ἄγον ἑορτὰς *id eſt, Limnæo ſolennia peragebant ſacra. Apud hoc templum, vt Phanodemus ſcribit, Athenienſes in his etiam myſterijs muſtum ferentes Deo, miſcuerunt ex vaſculis, ipſiq; poſtea biberunt. Scribit Heſychius Lenæum, id eſt, Bacchum ambitum ſeu circuitum, id eſt,* περίβολον *magnum Athenis habuiſſe, in ipſo fuiſſe templum, in quo certamina hæc peracta fuerint, antequam theatrum conſtructum eſſet.*

Iacchus Eleuſinem portatus.

Vigeſima autem die menſis Boedromionis, Iacchum, hoc eſt, Bacchum ex vrbe Eleuſinem portabant, vt ex Plutarchi teſtimonijs, ex Camilli & Phocionis vitis citatis ſupra, intelligitur. Hinc ſcribit Heſychius, non ſolùm Iacchi nomine Bacchum vocari, ſed & eam myſteriorum diem, in qua in myſterijs Iacchum exportarint. Fiebat autem hoc ingenti cum ſolennitate, quin magna & execrabili cum inſania. Incedebant mulieres viriq; ornati hedera, crine fluxo, cum thyrſis & tympanis, velut inſanientes, & obuios quosq; furore afflati ferientes: aderant Sileni & Satyri: cantus vlulatusq; audiebatur. Sed hanc pompam egregiè deſcribit Ouidius, ſic canens:

Liber adeſt, feſtisq; fremunt vlulatibus agri.
Turba ruit, mixtæq; viris matresq;, nurusq;.
Et vulgus, proceresq; ignota ad ſacra feruntur. lib.3. Metamorph.

Rurſus ab initio lib.4.

Feſtum celebrare ſacerdos
Immunes operum famulas, dominasq; ſuorum
Pectora pelle tegi, crinales ſoluere vittas,
Serta comis, manibus frondentes ſumere thyrſos
Iuſſerat, & ſæuam læſi fore numinis iram
Vaticinatus erat. Parent matresq;, nurusq;
Telas, & calathos, infectaq; penſa reponunt.
Thuraq; dant: Bacchumq; vocant, Bromiumq;, Lyæum,
Ignigenamq;, ſatumq; iterum, ſolumq; bimatrem.
Additur his Nyſeus, indetonſusq; Thyoneus,
Et cum Lenæo genealis conſitor vuæ,
Nyctileusq;, Eleluſq; parens, & Iacchus, & Euan
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina liber habes: tibi enim inconſumpta iuuenta,
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris cælo: tibi, cùm ſine cornibus aſtas,
Virgineum caput eſt. Oriens tibi victus aduſq;
Decolor extremo qua cingitur India Gange.
Penthea tu venerande, bipenniferumq; Lycurgum
Sacrilegos mactas, Tyrrhenaq; mittis in æquor
Corpora: tu bijugum pictiſq; inſignia frenis

Colla

Colla premis Lyncum: Bacchæ, Satyriq; sequuntur,
Quiq; senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.
Quacunq; ingrederis clamor iuuenilis, & vnà
Fœminea voces, impulsaq; tympana palmis
Concauaq; æra sonant, longoq; foramine buxus.

Mysteria, Magna Bacchi vr celebrata à Ptolemæo Philadelpho.

Libet hoc loco adscribere ex Athenæi libro 5. pompam magnificentissimam, qua Ptolemæus Philadelphus Alexandriæ hoc Dionysij festum celebrauit. Is igitur ex Callixeni Rhodij lib. 4. In pompa, inquit, Dionysiaca alij purpureis amiculis præibant, alij purpureis superindumentis induti multitudinẽ summouebant. Succedebant his Satyri in singulis partibus spacij viginti aureas lampadas in hederarũ folia incisas ferentes. Post hos victoriæ aureas alas habentes collocabantur, ferebantq; sex cubitorum thuribula aureis hederaceis columellis ornata, quæ vestibus varijs animalibus intextis erãt indutæ, atq; multũ ornatũ aureum se circũ composuerat. Has sex cubitalis ara duplex, hederaceisq; ramis auratis ornata sequebatur, viteam coronam auream mitris semialbis complexam habens, quam centũ & viginti pueri sagulis purpureis induti, thus, myrrham & crocũ in aureis mazonomis ferentes comitabantur. Post hos quadraginta erant Satyri, quadraginta aureis coronis in hederarum formam elaboratis coronati. Quorum corpora aliorum quidem Conchylio, aliorum autem minio, alijsq; coloribus picta fuerant. Ferebant hi præterea coronam auream ex vite & auro elaboratam, quos Sileni duo chlamyde purpurea induti, crepidisq; albis sequebantur: horum alter petasum & aureum caduceum, alter lituum habebat. Medius inter hos vir quatuor cubitis etiam maior trãgico ornatu ac persona incedebat, qui aureum Amaltheæ cornu ferens Annus vocabatur. Huic mulier formosissima eiusdem magnitudinis multo auro mundoq; muliebri ornata succedebat: altera manuum coronam Perseæ ferens, altera palmæ ramum, quæ appellabatur Quinquennium. Subsequebantur hanc Horæ quatuor ornatæ, singulæ suos priuatim fructus tanquam θυμιατήρια afferentes: duoque vasa hederacea aurea sex cubitorum, atq; inter hæc ara quadrata aurea, rursusq; Satyri coronas hederaceas aureas habentes, vestesq; purpureas circumiectas, quorũ alij aureũ gutturniũ, alij carchesiũ ferebãt. Hos Philiscus poeta Dionysij sacerdos, omnesq; Dionysij artifices, sequebantur: tum ferebantur Delphici tripodes qui essent eorũ præmia qui Athletarũ impensas suppeditarent, puerorum quidem nouem cubitorũ altitudinis, at virorũ duodecim. Currus postea quatuor rotarum quatuordecim cubitorum, habens latitudinem octo, qui à centum & octoginta viris trahebatur, super quem Dionysij erat imago decem cubitorum libans, ex aureo carchesio, sagum habens purpureum vsque ad talos, atque in ipso κροκωτὸν διαφανῆ crocotam pellucidam. Circumiecerat autem vestem purpuream, auroq; variegatam. His crater aureus Laconicus metretarũ quindecim capax propinquus iacebat, triposque aureus, super quo aderat aurea acerra, duæq; phialæ aureæ plenæ croci & casiæ. Circumponebatur illi vmbraculum hedera, vite reliquisq; arboribus ornatum, cui coronæ, vittæ, thyrsi, tympana, mitræ, & comitæ tragicæq;, ac Satyricæ personæ appendebantur. At in ipso curru sacerdotes erant, & sacrificantes fœminæ, Perseq; ceremoniæ varij thiasi, quæq; vannos ferrent. Sequebantur hæc pugnaces fœminæ, quæ mimallones dicebantur, & Bassaræ, & Lydæ sparsis capillis, atque aliæ serpentibus, aliæ smilace, pampinis & hedera coronatæ. Habebant in manibus hæ enthiridia, illæ serpentes. Currus deinde quatuor rotarum latitudinis octo cubitorum à viris sexaginta trahebatur, in quo Nyssæ imago octo cubitorum erat, quæ tapsino sago & auro intexto induta sedebat, ac amiculo Laconico vestiebatur. Surgebat arte quadam hæc statua nullo ei manum porrigente: postea lac ex aurea phiala libans rursus considebat. Tenebat in sinistra manu thyrsum mitris coronatum, atque ipsa hederaceo auro coronabatur, racemisq; sumptuosissimis lapillis ornatis. Aderat etiam vmbraculum, atque in quatuor angulis ipsius currus lampades erant inauratæ. Sequebatur alius currus quatuor rotarum vuæ plenus, cuius longitudo erat cubitorum viginti quatuor, latitudo quindecim. Incede-

bant vnà Satyri sexaginta, cantum epilenium ad tibia canentes, inter quos erat Silenus, atque per totum iter mustum in terram defluebat. Ductus deinde fuit currus totidem rotarum, cuius longitudo erat cubitorum viginti quinque, latitudo quatuordecim, quem viri sexcenti trahebant: super quo vtris erat capax trium millium metretarum ex pardorum pellibus consutus: fluebat & hoc vinum per totam viam paulatim dimissum. Hunc currum Satyri Sileniq́ue centum & viginti coronati sequebantur, quorum hi gutturnia, illi phialas, alij pocula Thericlea magna, omnia tamen aurea gestabant. Continuato ordine crater argenteus sexcentarum metretarum capax in curru quatuor rotarum à sexcentis viris tracto subsequebatur, qui sub labris & auribus ac base animalia torno laborata habebat, atque coronabatur auro per medium gemmato. Portabantur post hæc duo calices argentei duodecim cubitorum, quorum ad sex cubitos erat altitudo, qui pinnacula in superiore parte, & in aluo in circulum habebant, in pedibus tria animalia: semicubitalia verò, & cubitalia multitudine complura. Pelues decem prægrandes, & duodecim crateres, quorum maiores metretas triginta, minores quinque continebant. Lebetes sex, monticuli viginti & quatuor in quinque thecis, duo argentea torcularia, in quibus viginti quatuor erant dolia, mensa duodecim cubitorum tota ex argento, aliaq́ue sex cubitorum triginta. Accedebant his quatuor tripodes, quorum vnius, quum totus esset argenteus, circumferentia sexdecim cubitorum spatiũ amplectebatur, at reliqui tres minores varijs gemmis per mediũ erant distincti. Allati fuerunt post hos Delphici tripodes argentei numero octoginta, multò prædictis minores, quorum anguli erant quadrati, hydriæ viginti & sex, amphoræ Panatheniacæ sexdecim, vasa refrigerando apta centum & sexaginta, inter quæ maximum metretarum sex minimum duarum erat capax: quæ omnia erant argentea. Succedebant his illi, qui aurea vasa gestabant, crateres quatuor Laconicos viteis coronis gerentis, alijq́ue quatuor metretarum capaces: duo erant Corinthiaca arte elaborati, qui eximia super imposita animalia torno formata habebant, atque in collo & in ventre sculpturas præclare factas, quorum singuli metretas octo continebant, atque erant in arculis. Aderat & torcular, in quo decem erant dolia, peluesq́ue duæ, quarum vtraq́ue metretas quinque capiebat, duoq́ue pocula duarum metretarum capacia. Refrigeratoria vasa viginti & duo, quorum maximum triginta metretas, at vnam minimum capiebat. Processerunt in pompam & tripodes aurei quatuor magni vasorumq́ue aureorum arca aurea decem cubitorum multis lapillis distincta, quæ altitudinem habebat sex graduum, in quibus & animalia complura quatuor palmorum erant mira quadam arte laborata, duoq́ue calices, & duo vitrei inaurati. Duæ aureæ arcæ quatuor cubitorum, aliæ tres minores. Hydriæ duodecim, ara tricubitalis, mazonomiæ viginti & quinque. Incedebant post hæc pueri mille & sexcenti sagulis albis induti, quorum alij hedera, alij pino erant coronati. Ducenti eorum & quinquaginta choas habebant aureas, quadringentiq́ue argenteas. Alij trecenti & viginti vasa refrigeratoria aurea portabant, alij argentea. Post quos alij pueri fictilia gestabant ad rerum dulcium vsum, quorum viginti erant aurea, quinquaginta argentea, & trecenta inusta varijs coloribus picta. Postea quũ mista fuissent in hydrijs & vasis, omnes qui erant in stadio dulcedine capti sunt. Post hæc huiusmodi mensas quatuor cubitorum connumerat, super quibus multa erant consideratione digna, multaq́ue spectacula magnificè laborata ferebantur, inter quæ Semeles erat thalamus, in quo quidam erant sagulis auro lapillisq́ue preciosissimis intextis, induti. Nec profectò dignum visum est, vt currum quatuor rotarum silentio prætereamus, cuius longitudo erat duorum & viginti cubitorum, latitudo quatuordecim, atque à viris quingentis trahebatur: in quo erat antrum eximiæ profunditatis hedera & minio ornatum, ex quo columbæ, palumbæ & turtures corymbis pedes vinctos habentes per totam viam euolabant, vt facilè ab ijs qui spectabant, caperentur. Scaturiebant ex ipso binæ scaturigines, hæc aquæ, illa vini: omnesq́ue Nymphæ, quæ circumstabant, coronas habebant aureas. Tenebat Mercurius aureum caduceum, vestesq́ue habebat magnificas. At in alio curru qui Dionysij peregrinationem ex India continebat,

nebat, erat Dionysius duodecim cubitorum, qui veste purpurea indutus super elephanto considebat, coronamq; habebat ex hedera & pampinis auream: cuius manu hasta aurea viteis frondibus vestita posita fuerat, subligabanturque aurea calceamenta. In collo autem elephanti Satyrus quindecim cubitorum aurea pini corona coronatus, considebat, dextraque manu aureo capræ cornu significabat. Elephas ipse ornamentum habebat aureum, coronamque auream hederaceam circa collum: hunc puellæ quingentæ purpureis vestibus auroque præcinctæ sequebantur. Coronabantur primæ centum & viginti aureis pineis coronis, quas Satyri centum & viginti sequebantur, alij quidem argenteum, alij autem æreum armorum apparatum habentes. Hos quinque asinorum alæ sequebantur, super quibus Satyri erant coronati, & Sileni. Ex asinis alij argenteos frontis apparatus, ornatumque habebant, alij aureos. Succedebant his elephantum currus viginti & quatuor, bigæque hircorum sexaginta, aprorum duodecim, orygum septem, bubalorum quindecim, struthorum bigæ octo, ceruorum septem, asinorum agrestium bigæ quatuor, quatuorque currus, in quibus aurigarum sagula petasosque habentes pueruli incedebant, iuxta quos alij rursus pueri paruis peltis, hastisque frondibus vestitis ornati, tum vestibus aureis induti, sequebantur: Coronabantur pueruli aurigæ, pino: at pueri sequentes, hedera. Aderant camelorum bigæ tres ex vtraque parte, quas plaustra à multis tracta sequebantur scenas barbaricas habentia, quibus Indæ mulieres, & aliæ velut captiuæ ornatæ, vehebantur. At cameli trecentas thuris minas ferebant, croci autem, & casiæ, cinamomi, iridis, aliorumque aromatum, ducentas. His coniungebantur satellites Æthiopes, ex quibus alij sexcentos dentes ferebant, alij tria millia truncorum ebeni, alij sexaginta crateres aureos, & argenteos, refrigerandique vasa aurea. Processerunt in pompam post hos duo venatores auratas hastas habentes, atque canes quadringentos vltra duo millia post se habebant, quorum alij erant Indi, alij Hyrcani, aut Molossi, aliorumque generum complurium. Viri postea centum & quinquaginta accedebant arbores ferentes, quibus ferarum auiumque multiplicium genus suspendebatur. Portabantur in caueis etiam psittaci, meleagrides siue Numidicæ gallinæ, pauones, phasiani, & aliæ aues Æthiopicæ complures. Atque cùm alia multa, tum animalium greges simul connumerauit. Oues Æthiopicas centum & triginta, trecentas Arabicas, Euboicas viginti, viginti & sex boues Indicos, alba membra habentes, octo Æthiopicos, quos vnà alba vrsa sequebatur. Quatuor pardales, sexdecimque aderant pantheræ, quatuor paruæ lynces, vrsi tres, vna camelopardalis, vnusque Æthiopicus Rhinoceros. In curru postea quatuor rotarum Dionysius erat, qui ad aram Rheæ confugerat, vbi eum Iuno insectabatur, habebatque auream coronam: cui Priapus auro hederaceo coronatus assistebat. Iunonis autem imago coronam habebat auream. Alexandri deinde & Ptolemæi statuæ hederaceis coronis aureis coronabantur. At Virtutis simulachrum, quod erat Ptolemæo propinquum, coronam auream habebat in oliuæ folia incisam. Aderat illis priapus coronam habens hederaceam auream. Corinthus ciuitas Ptolemæo assistebat aureo diademate coronata: quibus omnibus calix rerum aurearum plenus adiacebat, craterque aureus quinque metretarum capax. Hunc currum mulieres mundum muliebrem, sumptuosasque vestes habentes, sequebantur, quæ nominabantur Ciuitates in Ionia & reliqua Græcia existentes, quæque in Asia & in insulis conditæ sub Persarum imperium deuenerunt, quæ omnes aureas coronas gestabant. In alio curru thyrsus aureus nonaginta cubitorum ferebatur, & hasta argentea cubitorum sexaginta. In alio curru Phallus aureus pictus, atque coronis aureis ligatus cubitorum centum & viginti, cuius in summa parte stella aurea collocabatur, cuius erat ambitus sex cubitalis. Sed quum multa variaque in his pompis sint connumerata, ea solùm elegimus in quibus aurum & argentum, cùm multa tamen essent & alia digna quæ audiantur, &c.

Celebrabantur autem magna hæc mysteria apud Græcos tertio quoque anno: quod

Mysteria M. Bacchi trienna lia fuerunt.

Ouidius lib.1.Fastorum his verbis etiam attestatur:

Festa Corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi,
Tertia quæ solito tempore bruma refert.

Vbi per brumam annum, σωεκδοχικῶς partem pro toto intelligit. Vnde & Τριετηρικὰ Trieterica, hoc est, triennalia appellantur à Vergilio lib.4.Æneid.

qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, &c.

Referebant autem Græci hac celebritate, quæ apud eos maior & sumptuosior annuis extitit, id tempus, quod Bacchus, dum ex India victor rediret in patriam, in peregrinatione consumpsisse dicitur.

Mysteriorum M. Bacchi author.

Author horum Orgiorum Dionysius, qui & Bacchus, fuit. Sic enim Diodorus Siculus libro quarto scribit: Tharopi Thracum imperium concessit Dionysius, tradito ei Orgia celebrandi modo. Huic Agrus filius succedens, & regnum, & ceremonias, mysteriaque suscepit. Quibus postmodum ab Orpheo ingenio & eruditione præstanti, perceptis, quum nonnulla ad Orgia addidisset, repertas à Dionysio ceremonias, ORPHEA *posteri appellarunt. Et paulò post: Dionysius ex India Thebas, elephanto vectus, peruenit: à triennio verò ijs peregrinationibus exacto, Græcos instituisse Τριετηρίδας tradunt. Idem libro quinto hæc refert: Boeotij, cæterique Græci, Thraces quoque in memoriam Indicæ expeditionis, sacra Τριετηρικὰ sibi instituerunt. Vnde & in multis Græciæ vrbibus, triennio Bacchides mulieres conueniunt: apud quas de more virgines thyrsum ferunt, in honorem dei bacchantes, eique per cœtus sacrificantes. Postremò memoriam Menadum, quæ feruntur illi deo astitisse, hymnis & cantu renouant. Hæc Diodorus. Thyrsum autem ferebant in hoc sacro mulieres, quòd in expeditione Indica mulierum copiam secum circumduxisset armatam hastis thyrso inuolutis.*

Dionysia in agris.

In agris autem sacrificia, certamen & cantilenæ celebrabantur tempore vindemiæ quo tannis ἐν τοῖς Ληνοῖς in torcularibus, quum ea vuis exprimendis inuenta essent apud Acharnanes, vt ait enarrator Aristophanis, quæ Ληναῖα & Ἐπιληναῖα Lenæa & Epilenæa dicebantur. Nam certabant inter calcandas vuas, quis citius plus musti exprimeret, & Bacchi laudes canebant inter calcandum, rogabantq; vt quàm suauissima musta defluerent: Natali Comite referente lib.5.Mythol.cap.13.

SACEAS festum.

Saceas festum quale.

Berosius libro primo Rerum Babylonicarum prodidit, die sexta supra decimam mensis Loi, qui Augusto nostro respondet, agi festum consuesse SACEAS *nomine apud Babylonem diebus quinque (simile Saturnalibus Romanorum) quo dominis imperitarint serui, quorum vnus è domo eductus stolam sumpserit regiam, vocatusque sit Zoganes, vt Athenæus li.14.ca.17.ex Ctesiæ li.2.rerum Persicarũ indicat. Referunt etiam Cœlius Antiq. Lect.li.13.cap.23. Zuinggerus parte 2. Theatri Col.1985. Adrianus Iunius ad 16.diem Iunij ponit, per Loum falsò Iunium intelligens.*

Sacarum festũ.

Non diuersum ab hoc arbitror esse Sacarum festum, *&* diem Sacam *Anaitidi Persarum, Medorum & Armeniorum deæ celeberrimæ sacram, cuius Cœlius meminit lib. 18. Antiq. Lect. cap. 29. In eo enim turba virorum iuxtà & mulierum miscellanea largius*

Festi huius origo.

vina ingurgitare assueuerat, vel vsque ad stuporem. Celebritatis ratio ex historia est, quòd Cyrus per temulentiam Sacarum copias ad internecionem deleuisset in castris, quæ differta vino, simulata fuga, reliquisset ipse.

ΧΕΛΙΔΟΝΙΑ.

Chelidoniorum ritus.

HIrundinum quoddam festum seu ludicrum agebant Rhodij mense Boedromione Athenæo auctore lib. 8. cap. 10. in quo hirundinibus stipem colligebant, circumeundo oppidanorum ædes, & cantando cantilenam quandam de hirundinum aduentu: idque χελιδονίζειν dixere, quod est χελιδόνι ἀγείρειν. Athenæus citato loco apud Rhodios scribit Χελιδονίζειν nominari, ἀγυρμὸν quendam afferens ex Theognidis lib. 2. De Rhodiorum sacrificijs hæc verba: εἶδος δέ τι τῶ ἀγείρειν χελιδονίζειν ῥόδιοι καλοῦσι. Dici verò ait χελιδονίζειν, quòd in isto ludicro seu festo huic ἀγυρμῶ soleret acclamari hæc cantilena,

ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ
καλὰς ἐνιαυτούς.
Επὶ γαστέρα λευκὴ, κἀπὶ νῶτα μέλαινα.
Παλάθαν δ' περικυκλεῖς ἐκ πίονος οἴκου,
Οἶνόν τε δέπας ερν, τυρῶ τε κάνυς ερν καὶ πυρῶν,
Ἀχελιδὼν καὶ λευκιθίταν ἐκ ἀπωθεῖται. πότερ'
ἀπίωμες ἢ λαβώμεθα;
Εἰ μὴ τι δώσεις: εἰ δ' μὴ, ἐκ ἐάσομεν.
Ἢ τὰν θύραν φέρωμες ἢ τὸ ὑπέρθυρον,
Ἢ τὰν γυναῖκα τὰν ἔσω καθήμεναν,
Μικρά μοι ὄζι, ῥᾴδιος μὲν ὔισομεν.
Ἄν δὴ φέρῃς τι μέγα δή τι καὶ φέρεις.
Ἄνοιγ' ἄνοιγε τὰν θύραν χελιδόνι.
Οὐ γὰρ γέροντες ἔσμεν, ἀλλὰ παιδία.

Veni veni hirundo pulchros dies agens, & pulchros annos:
Ventrem habens album, dorsumq; nigrum.
Massam caricarum non deuoluis ex pingui domo:
Viniq; poculum, & casei canistrum, & frumenti.
Hirundo etiam non respuit, an abeamus,
Vel capiamus si quid dabis, sin autem sinemus.
Vel fores feramus aut superliminare.
Aut mulierem extra sedentem,
Parua quidem est, facile ipsam feremus.
Si quid attuleris, magnum aliquid ferres.
Aperi aperi ianuam hirundini,
Non enim senes sumus, sed pueri.

Hunc colligendi modum primus Cleobulus Lindius demonstrauit in Lindo, cùm penuria nummorum inuasisset, Athenæo teste eodem libro cap. 10.

HARPOCRATIS festum.

MEnse Ægyptiorum Mesori, qui maximam partem Augusti nostri comprehendit, celebrabatur ab Ægyptijs festum Harpocratis: de quo Plutarchus in libro de Iside & Osiride scribit, quod sit præses atque corrector imperfectæ & incompositæ hominum de dijs sententiæ: itaque & digitum ori impositum tenere, argumentum taciturnitatis & silentij: & in ipsa celebritate offerentes ei legumina, canere, γλῶσα τυχὴ, γλῶσα δαίμων, hoc est, Lingua est fortuna, lingua genius. *In Calendario Gyraldi Attico & Romano, ab Elia Reusnero aucto, ponitur ad 4. Calend. Septemb.*

CAPVT XXII.

De Festis & sacris quæ mense AVGVSTO apud Romanos fiebant.

Calendæ Augustæ.

Spei festi dies & origo.

SPEI festum *celebratum fuit Cal. Augusti mensis, ob dedicatum ei hoc die templum Romæ in foro Olitorio, Gyraldo ex veteri Calendario, & Iunio testibus. Id fulmine ictum, & incendio consumptum, Liuio autore lib. 1. de Bello secundo Punico, sequenti anno refectum fuit, eodem teste lib. 5. de Bello 2. Punico. Non solùm enim templo, ac festo die, sed & multis sacris* Spem *venerabantur Romani, vt ciues periculosis temporibus certa spe potiundæ victoriæ, & recuperandæ libertatis, rerumq; optimarum expectatione incitati, Rempublicam aduersus malorum hominum impios conatus, & hostiles impetus fortiter propugnarent.*

Martis celebritas.

Eodem quoq; die Martis quædam agebatur celebritas, ob dedicatam ei extra portam Capenam ædem hoc die, vt Gyraldus & Iunius ex Dionis historia Romana referunt.

SALVTIS festum.

Salutis festum.

SAlus Dea *à Romanis Nonis Augustis culta fuit, vt Gyraldus ex veteri Calendario & Iunius in Fastis referũt. Quin & Macrobius testatur, ferias antiquitùs fuisse, quoties quis Salutem deam nominasset, tum etiam Semoniam, Segetiam, & cæteras, quas Apuleius Salutigeras deas, Græci σωτήρας appellant. Ædem Salutis quã C. Iunius Bubulcus bello Samnitum Consul vouerat, Censor locauerat, Dictator hoc die dedicauit, Liuio autore lib. 10. ab vrbe condita. Eam ædem à Fabio Pictore depictam legimus, quam & P. Victor in sexta vrbis regione, hoc est, in Quirinali statuit.*

SOLIS INDIGETIS festum.

OCtauo die *Augusti,* Solis Indigetis festum *in Colle Quirinali celebrabatur, vt Gyraldus ex veteri Calendario, & Adr. Iunius in Fastis referunt.*

ARAE, OPIS ET CERERIS festum.

DEcimo die *Augusti* Aræ, Opis & Cereris festum *agebatur in vico Iugario Romæ, iisdem in Fastis suis testibus.*

LIGNAPESIA.

DVodecimo die *Augusti* Lignapesia *festum fuit* Herculis magni Custodis, *ob ædem ei hoc die in Circo Flaminio consecratam. Gyraldus Syntagm. 10. & in Fastis ex veteri Calendario.*

IDVVM AVGVSTI celebritas.

Idus Aug. vnde festæ, & earum ritus.

IDus *Augusti serui & mancipia, atq; omnis famulatus festas obseruarunt, quod Seruius Tullius Romanorum rex ancilla genitus in lucem hoc die æditus fuisset. Conuiuabantur autem & ludebant hoc die serui & ancillæ cum dominis æquato iure, & nullo discrimine liber an seruus esset. Quo tempore etiam vxoribus caput lauare felix faustumq; putabatur: sicut apud Indos, quum Rex capillos abluit, festum celebrant diem: donaq; Romanæ mulieres inuicem mittebant, & diuitias quæq; suas ostentabant. Plutarchus in Quæst. Rom. quæstione 100. & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 18.*

Festum nemorale Dianæ, eiusq; ritus.

Eodem quoq; die sacrum *fiebat* nemorale Dianæ: *quam ob causam Hecateias has Idus vocat Statius lib. 3. Syluarum: & Ausonius dicit, Sextiles Hecate Latonia vendicat Idus: & ex vrbe facibus accensis in nemus Aricinũ, vbi templũ Dianæ à Seruio Tullio ædificatum erat, vt Liuius lib. 1. ab vrbe condita testatur, discurrebant. Vnde Propertius in secundo:*

Cùm

Cùm videt accensis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ.

Et Ouid. in Fast. Sæpè potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab vrbe faces.

De eodem quoque Papinius in Syluis ita cecinit:
Iamq; dies aderat, profugis cum regibus altum
Fumat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa
Conscius Hippolytæ splendet lacus, &c.

Huc etiam referunt Tiberinalia *vetus quoddam Calendarium à Gundelio æditum, & Adr. Iunius in Fastis.* Tiberinalia.

PORTVNALIA.

POrtunus *deus fuit marinus, vt Seruius testatur, & portubus præfuit. Festus deum portarum eum dicit esse, & propterea clauem in manu tenere. Nota est de hoc deo fabula. Ino Cadmi filia quum fugeret maritum in furorem versa se cum filio Melicerta in mare præcipitauit. Sed ex deorum commiseratione in Deos conuersi marinos, Ino Leucotheæ, hoc est, albæ deæ, Melicerta autem Palæmonis nomen accepit, quem Latini portunum appellant. In regione 11. vrbis Romæ, id est in Circo maximo, qui Conso, hoc est Neptuno equestri dicatus fuerat, duæ ædes Portuno consecratæ fuerunt, vt P. Victor indicat: altera inter Apollinem Cœlispicem & Herculem Oliuarium: altera ad pontem Æmilij, olim Sublicij appellati: ad hanc ædem sacrum huic deo & festum celebrabatur die 17. Augusti, vt Gyraldus ex veteri Calendario & Iunius indicant in Fastis.* Portunus quis.

Iano etiam ad theatrum Marcelli sacrum eodem die celebrabatur, Gyraldo & Iunio *ijsdem in locis testibus.* Iani sacrum.

CONSVALIA, eorumq; LVDI.

COnsualia *14. Calend. Septemb. celebrabantur, Plutarcho teste in Romulo: & Fabius Pictor refert, quarto post conditam vrbem mense celebrata. Agebantur autem in honorem Consi. Sic enim Pompeius inquit: Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant. Et Varro, Consualia, inquit, dicta sunt à Conso, quòd tum feriæ publicæ ei deo, & in Circo ad aram eius à sacerdotibus fiant ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.* Consualiorum dies.

Est autem Consus Romanis consiliorum deus, Græcis Neptunus. Sic enim Dionysius lib. 2. Antiquit. Roman. Deus in cuius honorem ista fiunt, Consus à Romanis vocatur, quem quidam interpretantes in linguam Græcam Ποσειδῶνα & Σεισίχθονα, *hoc est, Neptunum & Terriquassorem appellant: ideoque aram ei sacratam subterraneam, quòd hic Deus terram habeat, & quòd Consiliũ non modò sacra res sit, vt ait Plato, sed occulta quoque esse debeat. Ego verò, subijcit idem autor, & alium sermonem audiui, quòd hi quidem dies festi Neptuno agantur, quodq; cursus & equites etiam huic deo fiant: ara verò postea genio cuidam arcano constructa fuerit, occultorum consiliorum duci atque custodi. Neptuno enim occultam aram nusquam terrarum sacratam esse, nec apud Græcos, nec apud barbaros reperio. Ex quibus Dionysij verbis quidam Consum à Neptuno distinguunt, quòd ara quidem Conso dicata fuerit, Neptuno autem templum. Consum autem à consilio dando denominatum Augustinus testatur lib. 4. de Ciuit. Dei. Et Cyprianus, Consus, inquit, quem deum fraudis, velut consiliorum Deum coli Romulus voluit, &c. Arnobius quoque in tertio, Consum dictum putat, quòd salutaria & fida consilia nostris suggerat cogitationibus.* Consus quis.

Huic deo festum & ludos vouit instituitque Romulus, quum rapere Sabinis vxores & virgines instituisset. Famam enim per finitimas ciuitates spargit, quòd sacram cuiusdam dei aram in subterraneo specu abditam offenderit, eiq; sacra solennesq; ludos se facturum si- Consualiorum origo.

mulat, vt Plutarchus in eius vita testatur. De quo Dionysius paulò aliter lib. 2. Quum enim consilij de rapiendis virginibus meminisset, ita subijcit: Primùm deo arcanarum consultationum duci, si dolus sibi ex sententia euenisset, sacrificium quotannis, & ferias agendas vouit. Postea verò senatui rem aperiens, vbi ipsis etiam consilium illud placuit, diem festum & ludos indicens Neptuno agendos, circummisit in vrbes proximas, euocans quicunq; vellent & certaminum & mercatus esse participes, &c. Et paulò post: Festum quod tunc conse crauit Romulus, etiam nostra ætate Romani agitant nomine Consualium.

Hippocratia.

Romulum itaque festum & ludos hos primùm Romæ instituisse credendum est: sed diu ante eum simile quid ab Euandro Arcade in Latio institutum ex Dionysio intelligitur, qui

Neptunus cur Hippius seu Equester dictus.

lib. 1. Neptuno, inquit, Hippio festum instituit, Hippocratia dictum Arcadibus, Romanis verò Consualia. Vbi notandum obiter, quod Festus docet, Neptunum Hippium vel Equestrem propterea dictum, vel quòd Pegasus ex eo natus sit: vel quòd equuleus loco eius suppositus Saturno fuerit, quem pro Neptuno deuorauit: vel quòd tridentis ictu terræ equum exciuerit, cui ob hoc in Illyrico nono quoq; anno quaternos equos in mare iaciebant: vel denique, quòd Neptunus equos primùm domuit, & equitandi artem inuenit, vt Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26. addit.

Consualiorum ritus.

In hac solennitate ara subterranea, sita propè Circum maximum, refossa terra sacrificijs igneis honoratur & libaminibus, equorum etiam & quadrigarum committuntur certamina: Dionysio teste lib. 2. Hanc aram quum ludos celebrabant, omnibus adire fas erat, reliquo anni tempore non licitum fuit, Alex. ab Alex. authore lib. 5. cap. 26. Sic autem Plutarchus: ὁ βωμὸς ἐν τῷ μείζονι τῶν ἱπποδρόμων ἔστιν ἀφανὴς τὸν ἄλλον χρόνον, ἐν ᾗ τοῖς ἱππικοῖς ἀγῶσιν ἀναλύπτουσιν.

In ipsis autem sacris victima erat Mulus, quoniam id genus quadrupedum primum vehiculo iunctum fuisse crediderunt.

Equos etiam & asinos coronis sertisque exornare, & feriari, nec illos labori admittere mos in eodẽ festo fuit, Dionysio lib. 1. & Alex. ab Alex. lib. 5. ca. 26. autoribus: siue quòd Neptuno equestri diem festum agebãt, & asinus propter equum pari fruebatur honore: siue quòd instituta nauigatione, quum multa nauibus veherentur, otium quoddam ac quies iumentis his data est, vt Plutarchus Problem. 48. indicat: vel etiam, quòd equos primùm Neptunus domuit, & equitandi artem inuenit, vt Alex. ab Alex. citato loco addit.

LVDI ROMANI, qui & MAGNI & CIRCENSES dicti.

Ludi Romani, &c. qui.

LVdi qui ab initio dicti fuere Consuales, de quibus modò egimus, progressu temporis Romani, Magni, & Circenses quoque appellati sunt. Testem habeo Vergiliũ qui lib. 8. Æneid. quum raptum Sabinarum virginum & matronarum à Romulo factum, describeret, ita canit:

Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas,
Consessu caueæ, magnis Circensibus actis
Addiderat, &c.

Liuius etiam lib. 1. ab Vrbe condita ad hos Ludos respiciens sic scribit: Bellum primum cum Latinis gessit Tarquinius, & oppidum ibi Apiolas vi cœpit, prædaque inde maiore, quàm quanta belli fama fuerat, reuecta, ludos opulentius instructiusque, quàm priores reges, fecit. Tum primùm Circo, qui nunc maximus dicitur, designatus est locus, loca diuisa patribus, equitibusq;, vbi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati, spectauêre furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes, ludicrum fuit, equi pugilesq; ex Hetruria maximè acciti: solennes deinde annui mansere ludi Romani, Magni, varieque appellati. Valerius Maximus lib. 2. cap. 162. Adid, inquit, tempus Circensi spectaculo contenta erat ciuitas nostra, quod primus Romulus raptis virginibus Sabinis Consualium nomine celebrauit. Ludouicus Viues quoq; in suis ad cap. 17. lib. 2. de Ciuit. Dei D. August. Annotationibus hæc scribit: Ludi quotannis Neptuno equestri celebrabantur, variè nominati: Circenses, Magni, Romani,

mani, apud Priscos Consualia, &c. Alexander etiam Sardus lib. 3. de Moribus gentium, Sequebantur, inquit, ludi Romani à regibus instituti, & Romulo ipso, his enim ludis raptæ creduntur Sabinæ, &c.

Cur autem Romani dicti sint non inuenio. Magni autem appellati sunt, quòd progressu temporis maximis fierent sumptibus. Circenses verò, quasi circum enses. Nam, vt Seruius tradit in lib. 3. Georg. quum rudis vetustas nondum loca huiuscemodi ludis apta ædificasset, inter enses & flumina eos celebrabat, vt ab vtraq; parte ignauis præsens esset periculum, & locum ipsum Circum appellabat. Exin locus muris septus, in quo ludi fiebant, nomen Circi retinuit. Quamuis Varro Circum inde nominatum velit, quòd ibi Circum metas equi currerent. Liuius autem refert, vt paulò antè indicauimus, Tarquinium Priscum Circo maximo primum designasse locum, &c. Plinius verò author est lib. 36. cap. 15. Circum hunc maximum à Cæsare Dictatore extructum, longitudine trium stadiorum, latitudine vnius, sed cum ædificijs iugerum quaternûm, ad sedem ducentorum millium & sexaginta. Ludi hi cur Romani, Magni et Circenses dicti

Etsi verò Tarquinius eos annuos fecerit, vt Liuius testatur, tamen posterioribus seculis nullum certum & definitum in anno tempus habuerunt: sed vel ad bellum ituri Consules eos sæpè vouerunt. Fecisse hoc primus omnium M. Furius Camillus Dictator legitur. Sic enim Liuius lib. 5. ab vrbe condita: Latini, Hernicique operam suam pollicentes, ad id bellum venere: quibus quum gratias in Senatu egisset Dictator, satis iam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex senatusconsulto Veijs captis se facturum vouit. Idem in Punico bello refert, Decemuiros retulisse ad Senatum, ludos magnos vouendos esse, si bellatum esset prosperè aduersus Annibalem, Resq; publica in eo quo erat antea statu permansisset. Vel si quando Respublica laborabat & afflicta erat Senatus aut Imperator hos ludos decreuit. Hinc Suetonius in Augusto, quum magnitudinem Varianæ cladis exposuisset, Vouit (inquit) & magnos ludos Ioui Opt. Max. si Rempublicam in meliorem statum vertisset. Fuerunt etiam in Natalitijs Cæsarum celebrati, vt est videre apud Iulium Capitolinum in Imper. Pertinace. Reperitur & in adoptione tales ludos à Cæsaribus editos, vt intelligitur ex Spartiani Adriano. Sic quoque in publicis victorijs & triumphis celebrabantur. Ludi Romani, &c. quando celebrati.

Meridie autem celebratos hos Ludos ex Augustino colligitur, qui lib. 8. Confess. Circensium spectaculum pomeridianum vocat. Huc etiam facit quòd Suetonius in Claudio scribit: Bestiarijs, meridianisq; adeò delectabatur, &c.

Ab initio autem magna cum simplicitate acti sunt hi ludi: paulò post Tarquinius Priscus opulentius instructiusq; eos celebrauit, & equos pugilesq; ex Hetruria accersiuit, vt Liuius testatur: sequentibus verò seculis crescente potentia Romana, profusis sumptibus facti sunt. Primò enim, omnis generis Pontifices, sacerdotes, flamines, sodales, augures q; in Circensi pompa ordine incessisse Tacitus lib. 3. indicat: Tum, inquit, supplicia dijs, ludiq; Magni ab Senatu decernuntur, quos Pontifices & augures, & quindecemuiri, septemuiris simul & sodalibus Augustalibus ederent. Hic mos à Christianis postea in solennitatem festi Corporis Christi translatus est. Deinde, hanc processionem seu pompam præierunt qui simulachra & imagines Deorum portarent. Sic enim Tacitus scribit libro 2. Honores vt quisque amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti, decretique: vt ludos Circenses eburnea effigies præiret, &c. Suetonius etiam in Tito, Quorum, inquit, omnium immemor, statuam ei auream in palatio posuit: & alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa hodiè quoq; præfertur, dedicauit. Tertiò, bigis & quadrigis cucurrisse in Circensibus, non solùm Suetonius ostendit in Dictatoris historia, & Herodianus lib. 4. in vita Caracallæ, sed etiam in veteribus numismatibus repræsentatur. Erant verò carceres & metæ constitutæ, ad quas certi missus equorum certando procurrebant: ita emissiones equorum vocabantur in ea solennitate. Liuius libro septimo, ab vrbe condita huius rei meminisse videtur. Et Tranquillus in Claudio testatur, Circum maximum marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ vtraque & tophina & lignea antea fuerint, excultum fuisse à Claudio. Ludorum Romanorũ ritus.

In his præterea fuerunt solennia curricula septem: nam septeno circuitu currebant aurigæ, & 25. missus, quæ Domitianus ad quina spacia contraxit: & missus ad centenos propagauit, eodem Tranquillo authore. Vltimus equorum missus vocabatur Ærarius, proprio vocabulo, & seorsim ex eo, quòd de collatione populi exhibebatur. Erant etiam in his ludis Desultores, non equi, sed homines illi ita appellati, qui præludia ludorum faciebant, & qui missus equorum denunciabant exituros.

Ludorũ Rom. factiones.

In iisdem quoq; quatuor factiones, videlicet Veneta, *quæ cærulea:* Prasina, *quæ viridis dicta fuit:* Alba & Rosea, *coli celebrariq; solitæ fuerunt: quibus addidit duas Domitianus Imp.* Purpuream & Aurati panni. *Sic enim Tranquillus in Domitiano, Duas, inquit, Circensibus gregum factiones, aurati, purpureiq; panni ad quatuor pristinas additi. Pannoq; versicolore per singulas factiones certabatur: in quibus spectantium fauor, & aura popularis, gratiaq; & studium ad victoriam multum loci dedit. Nam tanto fauentium studio hinc inde certabatur, quum suos quisq; clamore & plausu foueret, vt magis studio & colore panni, & fauore quo affecti erant, quàm vera virtute niterentur, isq; popularis fauor & gratia non dubiam plerunq; victoriam dedit: adeò vt non populus modò, sed & Principes ingenti studio et gratia factionum contenderent. Siquidem Vitellius Venetæ factioni ita addictus erat, vt eos per æqua & iniqua amplo fauore prosequeretur, adeò vt quosdam, qui clarè maledixerant, occidi iuberet. Sicut Prasinæ deditus erat Caligula & Nero Impp. Fertur autem Verus Antoninus à Venetæ factionis hominibus, quam odio execrabili prosequebatur, intolleranda probra & contumelias tulisse, quòd contra eos Prasinæ studeret.*

Ludorũ Rom. signum.

Prævaluit etiam mos, vt Prætor, aliusve magistratus, qui ludis præerat, Mappam *aurigis mitteret, et cursus signum daret, quod erat futurorum Circensium initium. Id à Nerone tali casu fluxisse in morem Cassiodorus testatur: Cùm Nero prandium protenderet, et celeritatem auidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus vtebatur, iussit abijci per fenestram, vt sciret populus prandium finitum.*

In Ludis Rom. feræ exhibitæ.

Feræ deniq;, & præcipuè insolitæ, populo in Circensibus ab Augustis exhibebantur: quæ partim à venatoribus, partim à condemnatis conficiebantur. Sic enim Suetonius in Augusto, cap. de Spectaculis scribit: In Circo aurigas, cursoresq; & confectores ferarũ, & nonnunquam ex nobilissima iuuentute produxit. Appellabantur autem tales confectores à bestijs, quas cogebantur conficere, Bestiarij. De huiuscemodi ludis loquitur Liuius lib. 9. Dec. 4. Apparatos, ait, ludos M. Fuluius, quos vouerat Ætolico bello, fecit. Multi artifices ex Græcia venerant, honoris eius causa. Athletarum quoq; certamẽ primo Romanis spectaculo fuit, & venatio data leonum & pantherarum, & propè huius seculi copia ac varietate ludicrum celebratum est. Harum verò productionum bestiarum in spectaculum, subinde meminere procedentis imperij authores. Flauius Vopiscus in Probi historia, Venationem, inquit, in Circo amplissimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale: Arbores validæ per milites radicitùs euulsæ connexis latè longeq; trabibus affixæ sunt, terra deinde superiecta, totusque Circus ad sylvæ consitus speciem, gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri, mille damæ, ibices, oues feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inueniri. Immissi deinde populares, rapuit quisq; quid voluit. Spartianus in vita Adriani Imp. In Circo, ait, multas feras, & sæpè centum leones interfecit, militares Pyrrhicas populo frequenter exhibuit. Hoc verò ante constitutum imperium moris non fuit. Vnde Liuius lib. 4. Dec. 5. in Macedonici belli descriptione, Iuuenes, ait, quidam Romani ludicro Circensi cum vsu belli verso partem humillimam muri cæperunt: mos erat tum, nondum hac effusione inducta, bestijs omnium gentium Circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera.

VINALIA ALTERA.

Vinaliorum dies & ritus.

VInalia altera *celebrabantur 13. Calend. Septemb. Plinio authore lib. 18. cap. 29. Illis Flamen Dialis vindemiam auspicatus maturis vuis, vinum legere, & vindemiam fieri*

fieri iubebat: tum agnam Ioui immolabat, inter cuius exta cæsa & proiecta Flamen vinum legit. Apud Thusculanos enim lege cautum erat, ne quis vinum nouum, antequam Vinalia celebrarentur, in vrbem inueheret: apud Laurentes, ne quis poma ex alieno legeret, quæ humeris vectarentur: apud Græcos, ante vernum æquinoctium ne quis vitem incideret, neque vuam ante autumnale æquinoctium gustaret: apud Romanos verò, vino & nouis frugibus, antequam Flamen primitias libasset, nulli vesci licuit. Alexander ab Alex. lib. 6. cap. 8. ex Varronis lib. 5. de Latina lingua.

Celebrata autem videntur hæc Vinalia ceu Bacchanalia quædam, priuatim quoque per singulas domos veluti sacrum quoddam, potu vini vberiori, & omnis generis lasciuia. Id non obscurè colligi posse arbitror ex Taciti lib. 11. vbi Messalinam Claudio Cæsare marito absente introducit ludicrum tale, vt tegeret adulterium, celebrasse: At Messalina, inquit, non aliâs solutior luxu, adulto autumno simulachrum vindemiæ per domum celebrabat, vrgeri præla, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ assultabant, vt sacrificantes vel insanientes Bacchæ. Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, iuxtaq; Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circùm procaci choro.

VINALIA RVSTICA.

HOc festum referunt nonnulli ad 12. Cal. Septemb. ex Varronis authoritate. Nam Varro lib. 5. de Latina lingua sic inquit: Vinalia rustica *dicuntur, ante diem 12. Cal. Septemb. Festus autem ad 13. Cal. Sept. ac vetus Calendarium Romanum ad 14. Cal. Sept. ponunt. Erat autem hic dies sacer, quòd, vt Varro & Festus in Fragmento nuper reperto indicant, tum esset Veneri dedicata ædes altera ad Circum maximum, altera verò in luco Libitinensi, & horti eius tutelæ adsignarentur, ac olitorum feriæ. Alex. ab Alex. hæc addit: Dies hæc tempestatibus leniendis solennis habebatur, qua nouum vinum in vrbem ferre, & in cellis vinarijs condere assuerant.*

Vinaliorum rusticorum dies.

LVDI TRIVMPHALES.

TRiumphales ludi *post insignes victorias celebrabantur, alij quidem Epinicia peculiari vocabulo dicti: alij verò certo anni tempore in memoriam victoriarum iam olim partarum edebantur: quales erant Antoniani, 13. Cal. Septemb. Traianiani die sequenti, & Augustales 12. eiusdem mensis per dies quatuor celebrati. Meminit autem Epiniciorum Suetonius in Nerone: Reuocatisq; ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cæteros cantaturum epinicia, quæ iam nunc sibi componi oporteret. Huc alludit idem in Augusto: Ludos autem victoriæ Cæsari, non audentibus facere, quibus obtigerat, id munus ipse credidit. Meminit epiniciorum & D. Hieronymus in secundo Machabæorum: Porrò in ludis victoriæ fontes aquarum odoriferarum instruebantur, quod hodiè adhuc fieri solet. Cuius solennitatis & Spartianus mentionem facit in Adriano: Romæ post cæteras immensissimas voluptates, in honorem socrus suæ aromatica populo donauit, in honorem Traiani balsama & crocum per gradus theatri fluere iussit. Lazius lib. 10. cap. 15. de Repub. Romana.*

Triumphales ludi qui.

VENATORVM FESTVM.

CElebrabatur eodem die Romæ quoque festum Venatorum, vt P. Eberus testatur in suo Calendario historico.

VVLCANALIA.

VVlcanalia *vetus Calendarium refert ad diem 23. Augusti: Festus autem ad diem 29. eiusdem mensis. Celebrabantur autem in honorem Vulcani, & ludi fiebant in Circo*

Vulcanaliorũ dies, ludi, eorumq; ritus.

Flaminio: quo die etiam populus pro se animalia in ignem mittebat, Gyraldo teste *de Dijs gentium Syntagmate 13. Vide etiam Epigrammata vrbis Romæ folio 165. Alia sunt ab his quæ mense Maio fieri supra diximus.*

Vulcani templum cur extra Romam.

Templum Vulcani à Romulo extra muros vrbis fuit positum: vel quòd filius Martis cum existimaretur, propter fabulosam illam Vulcani aduersus Martem Veneris causa simultatem, Vulcanum in eadem vrbe eodemq; cum Marte domicilio esse noluit. Aut templum illud iam inde ab initio ædificatum à Romulo fuit, vt ibi vnà cum collega suo Tatio curiam haberet, in qua de rebus arcanis cum senatu nemine interueniente quietè posset consultare. Vel, quòd verisimillimum est, quum Romæ ab incendijs statim à primis temporibus multum esset periculi, colendum quidem Deum igni præfectum, sed extra vrbem locum ei assignandum statuerunt, vt Plutarchus refert in Quæst. Rom. quæst. 47.

OPIS CONSIVAE FESTVM.

Ops Consua vnde dicta.

OPis Consiuæ festum & sacrum *in Capitolio celebrabatur 25. die Augusti, vt est videre in veteri Calendario, & in Gyraldi ac Iunij Fastis. Dicta est autem Ops Consiua à satu, nam terra existimabatur esse. De hac verò Dea eiusq; festo Varro de Latina lingua sic scribit: Ope Consiua dies, inquit, ab Dea Ope Consiua, cuius in regia sacrarium: quod ideò actum, vt eò præter virgines Vestales & sacerdotem publicum introeat nemo: is quum eat, suffibulum haud habeat.*

FVRINALIA.

Furinalia, & dea Furina quæ.

FEriæ quæ Furinalia *dicuntur in honorem Furinæ Deæ institutæ fuerunt, de qua tamen Varro testatur, quòd vix suo tempore nota fuerit: ei tamen flamen etiam Furinalis attributus fuit. Deæ huius Furinæ meminit & Martianus in secundo, ac Cicero in tertio de Natura deorum, Eumenidas commemorans. Quæ, inquit, si deæ sunt, quarum & Athenis fanum est, & apud nos, vt ego interpretor, lucus Furinæ, Furiæ deæ sunt speculatrices (credo) & vindices facinorum & sceleris. Gyraldus de Dijs celebrata ait Furinalia 6. Cal. Septemb.*

ΦΑΛΛΑΓΩΓΙΑ.

Augusto M. membrum virile Romæ cultum.

MEnse etiam *Augusto res celebrata sermonibus proditur, vt matronæ Romanæ membri virilis figuram diuinis colerent honoribus: quam extra portam Collinam ad ædem Veneris cum pompa sacrorum deferebant, Ægyptiorum more: mox à castissima & spectatæ pudicitiæ matrona, præter tamen matronale decus, in sinu Veneris locaretur: vt refert Alexander ab Alexand. lib. 3. cap. 18. & Adrianus Iunius in suis Fastis, vbi ad diem 26. Augusti hoc festum ponit, & φαλλαγωγία à Græcis vocari dicit, quod etiam Theodoretus & Phurnutus testantur: à Phallo, quod Priapum significat. Mutuati sunt Romani morem hunc turpissimum fœdissimumq; à Græcis, quibus Melampus eum ex Ægypto attulit, vt Herodotus lib. 2. indicat. Ad hoc festum Priapi Prudentius alludit contra Symmachum, quum de Dijs gentilium tractat, sic canens:*

Hic Deus è patrio prænobilis Hellesponto,
Venit adusq; Italos, sacris cum turpibus hortos
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, & ruris seruat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.

CANVM FESTVM.

Canum festi dies & origo.

COElius *lib. 17. cap. 28. ex Græcis authoribus indicat*, Panagyrin Canum *mense Augusto à Romanis solitam celebrari, in memoriam vrbis captæ à Gallis, & quòd Capitolio*

Capitolio ab ijsdem obsesso, canes anserum vigilia superati fuerant: ac propterea in hoc festo canes cruci affigebantur, anseré puluino insidente. Hoc ipsum arbitror à Plinio quoque significatum libro 29. cap. 4. vbi canes ait annua pendere supplicia inter ædem Iuuentutis & Sumani, in furca viuos arbore fixos sambucea. Meminit etiam Alex. de Alex. lib. 3. cap. 12. vbi porrò addit, nisi crux seu furca illa ex sambuco facta esset, sacrum ritè fieri minimè putasse.

CAPVT XXIII.

Festa & sacra quæ mense SEPTEMBRI à Græcis sunt celebrata.

MAIMAKTHPIA.

Mæmacteria cur instituta.

MAIMAKTHPIA *festum fuit Athenienſium, à quo nomen habet mensis* Μαιμακτηριών, *in quo celebrabatur, quiq; Septembri nostro maxima ex parte respondet. Festum etiam ipsum sic dictum fuit à Ioue* Μαιμάκτῃ, *hoc est, furore percito, turbido & impetuoso, quòd in eo sacra fierent, ad Iouialium imbrium impetum sedandum: nam hyems hoc mense et aër turbari incipit, vt Lysimachides de mensibus Athenienſium testatur: hinc & Vlpianus in Demosthenis Olynth. 3. hunc hyemis & pluuiarũ mensem vocat.*

ARIADNAE FESTVM.

Festi huius origo.

Sacri Ariadnæ ritus.

A Mathusij *in Cypro sacrum faciebant* Ariadnæ, *festumq; celebrabant, ex instituto Thesei. Plutarchus enim in eius vita refert, mortua in partu Ariadne,* ἐπελθόντα τὸν Θησέα, καὶ φέλιπον χρυσόμφυον, τοῖς μὲν ἐγχωρίοις ἀπολιπεῖν χρήματα συντάξαντα θύειν τῇ Ἀριάδνῃ, δύο ὄμικρὰς ἀνδριαντίσκους ἱδρύσασθαι, τὸν μὲν ἀργυροῦν, τὸν δὲ χαλκοῦν. Ἐν δὲ τῇ θυσίᾳ τὸ Γορπιαίου μηνὸς ἱσταμένου δευτέρᾳ καταπλινόμφυον παῖδ' ὑπανίσταν, φθέγγεσθαι καὶ ποιεῖν ἅπερ αἱ λεγόμεναι γυναῖκες: *Hoc est, Aduenientem Theseum, doloreq; confectum, incolis reliquisse pecunias, quæ in Ariadnæ sacrificium erogarentur. Duo præterea exigua statuisse simulachra, alterum argenteum, æneum alterum. In sacrificio autem, quod fit die secunda Gorpiæi mensis (qui Septembri nostro respondet) adolescentem in lecto iacentem vociferare, cæteraq; facere, quæ à parturientibus mulieribus fieri solent. Ibidem Plutarchus indicat, Naxios quosdam scriptores referre, duas fuisse Ariadnas: earum alteram in Naxo nuptam fuisse Dionysio, Staphylumq; peperisse. Iuniorem verò à Theseo raptam, ab eodem verò repudiatam in Naxum accessisse, nutricemq; cum ea Corynnam nomine, cuius demonstretur sepulchrum. Defunctam verò ibi Ariadnen, honores ijs quos diximus non similes assequutam: nam illius celebritatem ludis lætitiaq; agitari: quæ autem in huius honorem fiant sacrificia, mœrore omnia ac luctu esse referta.*

FESTVM PARENTATIONIS eorum qui ad Platæas in pugna aduersus Persas occubuerunt.

Solennitatis huius dies, origo & ritus.

PLataenses *decimo sexto die* Μαιμακτηριῶνος *quotannis maxima solennitate sacra fecerunt & festum celebrarunt eorum Manibus, qui contra Persas fortiter præliantes duce Pausania, ad Platæas occubuerant, & ibidem sepulti erant, authore Plutarcho in Aristide, vbi & pompam ac ceremonias eius luculenter his verbis describit:* ἐπὶ τούτου γυμνικὴς ἐπικλήσεως κοινῆς τῷ ἑλλήνων, ἔγραψεν Ἀριστείδης ψήφισμα συμπέμπειν μὲν εἰς Πλαταιὰς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, τοὺς ἀπὸ τῆς ἑλλάδος θεσμοθέτας καὶ ἱεροποιούς, ἄγεσθαι δὲ πεντετηρ-

εικὸν ἀγῶνα τῇ ἐλευθερίᾳ: εἶναι ἢ συνταξιν ἑλληνικὴν, μυρίας μὲν ἀσπίδας, χιλίους δὲ ἵππους, ναῦς δ' ἑκατὸν, ὅτι τὸν πρὸς βαρβάρους πόλεμον, Πλαταιεῖς ἢ ἀσύλους καὶ ἱερὰς ἀφεῖσθαι τῷ θεῷ θύοντας ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος. Κυρωθέντων ἢ τούτων, οἱ Πλαταιεῖς ὑπεδέξαντο τοῖς πᾶσιν καὶ κειμήλιοις αὐτόθι τῶν ἑλλήνων, ἐναγίζειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, καὶ τοῦτο μέχρι νῦν δρῶσι τοῦτον τὸν τρόπον. Τῷ Μαιμακτηριῶνι μηνὸς, ὃς ἔστι παρὰ Βοιωτοῖς Αλαλκομενίου, τῇ ἕκτῃ ὅτι δεκα πέμπουσι πομπὴν, ἧς προηγεῖται μὲν ἅμ' ἡμέρᾳ σαλπιγκτὴς, ἐγκελεύομενος τὸ πολεμικὸν, ἔπονται δ' ἅμαξαι μυρρίνης μεσταὶ, καὶ στεφανωμάτων, καὶ μέλας ταῦρος, καὶ χοαὶ οἴνου καὶ γάλακτος· ἐν ἀμφορεῦσιν, ἐλαίου τε καὶ μύρου κεφαλὰς νεανίσκοι κομίζοντες ἐλεύθεροι: δ' ἄλωγος ἐλευθερίας ἕξεσι τοῦτο τῷ δικαιοσύνην ἐκείνην προσάψασθαι, διὰ τὸ τοὺς ἄνδρας ὑποθανεῖν ὑπὲρ ἐλευθερίας. Ἐπὶ πᾶσι δὲ τῶν Πλαταιέων ὁ ἄρχων ᾧ τε τὸν ἄλλον χρόνον οὔτε σιδήρου θιγεῖν ἔξεσιν, οὐδ' ἑτέραν ἐσθῆτα πλὴν λευκῆς ἀναλαβεῖν, τότε χιτῶνα φοινικοῦν ἐνδεδυκὼς, ἀράμενός τε ἱερεῖαν ἀπὸ τοῦ γραμματοφυλακίου, ξιφήρης διὰ τοῦ μέσου τῆς πόλεως. Εἶτα λαβὼν ὕδωρ ἀπὸ τῆς κρήνης, αὐτὸς ἀπολούει τὰς στήλας, καὶ μύρῳ χρίει, καὶ τὸν ταῦρον εἰς τὸ πυρὰν σφάξας, καὶ καταδεξάμενος διὰ κήρυκος παρακαλεῖ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τοὺς ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος ἀποθανόντας, ὅπως τὸ μέλλον καὶ τὸ αἰῶνιον εὐπορίαν, ἔπειτα κρατῆρα κεράσας οἴνου, καὶ χρίσμενος, ἐπαινέει: προπίνων τοῖς ἀνδράσι τοῖς ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τῶν ἑλλήνων ἀποθανοῦσι. Ταῦτα μὲν ἔν ἔτι καὶ νῦν διαφυλάσσουσιν οἱ Πλαταιεῖς. *Hoc est: Post hæc communi habito Græcorum conuentu, Aristides decretum fecit, vt Græciæ principes & legati ad sacras celebritates missi quotannis apud Platæenses concilium haberent, vt agerent quinquennales ingenuorum ludos. Expensam, quæ ad hanc rem necessaria foret, communi collatione Græcia suppeditaret, scutorum decem millia, mille equos, naues centum, eius quod aduersus Græcos gestum est belli memoria. Adhæc Platæenses qui pro Græcia Deo sacrificarent sacrosanctos esse. Ijs publicè confirmatis, Platæenses promiserunt, se Græcis, qui hic cecidissent & humati essent, in perpetuum parentaturos: quod etiam nunc Mæmactirione mense, quem Alalcomenium Bœotij nominant, seruari videmus, hoc modo: Celebrem cœtum decimosexto die, vt primum illuxit, emittunt, cui tibicen classicum canens itineris dux est: currus myrto & coronis passim repleti: taurus deinde niger: subsequuntur lactis & vini libationes in amphoris: olei quoq; & vnguenti crossos seu vrnas liberi adolescentes deferunt: nam quum viri, quibus parentationes fiunt, defendendæ libertatis causa occubuerint, nulli seruo fas est quicquam contrectare, quod ad hoc sacrorum ministerium pertineat. Summus deinde Platæensium princeps, cui alio tempore nec ferrum tangere, nec nisi candidam vestem induere licet, punicea tunc indutus tunica, ex loco in quo scripta publica asseruantur hydriam sustollens, nudato ense per mediam vrbem ad sepulchra procedit: aqua dehinc ex fonte sumpta columnas abluens vngit: postea mactato ante pyram tauro, & votis factis Ioui ac Mercurio terrestri, fortes viros qui pro Græcia mortem obierunt ad cœnam & cruentum hoc sacrificium inuitat. Deinde miscens craterem vino, & fundens insuper dicit, Viris propino, qui vt fortiter Græcorum libertatem tuerentur fato functi sunt. Platæenses hanc à maioribus acceptam consuetudinem adhuc hodiè seruant. Platæenses in Oratione, quam Thucydides lib. 3. recenset, indicant, se mortuorum istorum manes cùm alijs inferijs, tùm verò indumentorum apparatu, & quoscunq; eorum solum tulisset fructuum primitijs honestasse.*

ΕΡΜΑΙΑ.

MEnsis Thoth, qui Septembri magna ex parte respondet, die decima nona Ægyptij festum & sacrum peragunt Mercurio, melle et ficu vescentes, ac simul dicentes: Dulce veritas. Sic enim Plutarchus in libro de Iside & Osiride: Αἰγύπτιοι τῇ ἐνάτῃ ὅτι δέκα τοῦ φωτὸς μέλιτος ἑορτάζοντες, τῷ ἑρμῇ, μέλι καὶ συκὸν ἐσθίουσιν, ὅταν λέγοντες: ΓΛΥΚΥ Η' ΑΛΗΘΕΙΑ.

ALIVD

ALIVD FESTVM AEGYPTIORVM.

IDem author eodem libro refert, Ægyptios primi mensis, qui ipsis Thoth est, nono die sacrum & festum quoddam celebrasse, in quo singuli ante fores domus suæ assum piscem ederint: sacerdotes autem non gustarint, sed ante ianuam ædium combusserint: quòd existimarint, piscem cibi genus esse non necessarium, sed superuacaneum. Quæ etiam causa fuit, quòd neq; Phæaces, quantumuis delicatissimi, neq; Ittacenses insulares piscibus vsi sunt, Homero teste, ac ne socij quidem Vlyssis in mari tamq; longa nauigatione prius quàm extrema adegit inopia.

CAPVT XXIIII.

De Festis quæ Romæ mense SEPTEMBRI sunt celebrata.

CALENDAE SEPTEMBRIS.

CALENDIS Septembris Neptuni *feriæ sunt celebratæ, vt est videre in veteri Calendario.*

IDVVM SEPTEMBRIS CELEBRITAS.

CApitolium Romæ à Tarquinio Prisco votum & inchoatum, à Tarquinio autem Superbo extructum, tertio anno post illius eiectionem ab Horatio Consule Idibus Septemb. solenni ritu dedicatum est Ioui, eiusq; dedicationis memoria quotannis hoc die repetita fuit, vt refert Plutarchus in Publicola, & Liuius. Celebritatis huius origo.

CLAVI FIGENDI SOLENNITAS.

EOdem quoque die Prætor maximus clauum figit. Quæ autem CLAVI FIGENDI solennitas fuerit Liuius docet lib. 7. Dec. 1. Cum forte, inquit, ludos Circus Tiberi superfuso irrigatus impedijsset, id verò veluti auersis iam dijs, aspernantibusq; placamina iræ terrorem ingentem fecit. Itaq; C. Genutio, & L. Æmilio Mamerco secundum COSS. cum piaculorum magis conquisitio animos, quàm corpora morbi afficerent: repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam clauo ab dictatore fixo sedatam. Ea religione adductus senatus, Dictatorem claui figendi causa dici iussit: dictus L. Manilius Imperiosus, is Pinarium magistrum equitum dixit. Lex vetusta est priscis literis, verbisq; scripta: vt qui Prætor Maximus sit, Idibus Septemb. clauum pangat. Ficus fuit dextro lateri ædis Iouis Optimi Maximi, ea parte qua Mineruæ templum est: eum clauum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoq; Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentum sit. Volsinijs quoq; clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ deæ Hetruscæ comparere, diligens talium monumentorum author Cincius affirmat. M. Horatius Consul ex lege templum Iouis Opt. Max. dedicauit, anno post exactos reges. A Consulibus postea ad Dictatores, quia maius imperium erat, solenne Claui figendi translatum est. Meminit huiusmodi solennitatis idem lib. 8. Dec. 1. quum ob veneficia mulierum Romanarum talem repetitam solennitatem scriberet, his verbis: Itaq; memoria ex annalibus repetita, in secessionibus quondã plebis clauum ab Dictatore fixum, alienatasq; discordia mentes hominum, eo piaculo compotes sui fecisse, Dictatorem claui figendi causa creari placuit: creatus Cneus Quintilius, magistrum equitum L. Valerium dixit: qui fixo clauo magistratu se abdicauit. Et iterum lib. 9. Dec. 1. Amplexus regni nomen, vt qui optimo iure rex Romæ creatus sit, creatum se dicet, quem semestri dictatura, quem in- Claui figendi qualis solennitas.

terregno quinque diebus contentum fore putes? quem Claui figendi, aut ludorum causa dictatorem audacter crees. Huc alludit monumentum Romæ inuentum: M. HORATIVS CONSVL EX LEGE TEMPLVM IOVIS OPT. MAX. DEDICAVIT ANNO POST EXACTOS REGES A CONSVLIBVS. POSTEA AD DICTATORES, QVI MAIVS IMPERIVM ERAT, SOLENNE CLAVI FIGENDI TRANSLATVM EST.

NATALITII LVDI.

Dies 23. solennis Romæ, eiusq; ritus.

VIgesimus tertius dies mensis Septemb. natalis fuit Augusti Cæsaris, vt Suetonius in eius vita refert. Hunc diem Equites Romani sponte atq; consensu biduo semper celebrarunt, eodem auctore. Cursus etiam equorum hoc die in sempiternum instituti, Dione teste.

Ludi Natalitij.

Ludi enim in natalibus magnorum virorum apud veteres edebantur, qui Natalicij dicebantur. Sic Natalicij Alexandri Magni 8. Idus Februarij: 4. Cal. Febr. Constantini M. & Iunioris 7. Id. Augusti: Cal. April. Antonini: 3. Id. April. Veri Impp. 4. Id. Iulias Cæsaris Dictatoris: 6. Cal. Nou. Adriani: 4. Cal. Decemb. Neruæ: 18, Cal. Decemb. Septimiani: 13. Cal. Ian. Gordiani: 9. Cal. Ian. Titi Cæsaris celebrabantur. Et de his accipienda sunt autorum loca: Capitolini in Pio: Circenses natali suo dicatos non respuit. Æl. *Spartiani in Adriano: Gladiatorum munus per sex dies continuos exhibuit, & mille feras natali suo edidit. Optimos quosq; de Senatu, in contubernium Imperatoriæ maiestatis asciuit, ludos Circenses præter natalitios decretos sibi respuit. Hæc verò Natalitia Pontificij progressu temporis sanctis mortuis accommodarunt.*

MEDITRINALIA.

Meditrinaliorum ritus.

MEditrinalia solennitas fuerunt pridie Cal. Octob. vt est in veteri Calendario in honorem Meditrinæ deæ celebrata, sic à Medendo dicta. Mos autem erat, vt ait Festus, Latinis populis, quo die quis primùm gustaret mustum, dicere ominis gratia, Vetus nouum vinum bibo: veteri nouo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinæ deæ nomen acceptum. Varro de Latina lingua lib. 5. ait, Meditrinalia, dies dictus est à medendo: quod, vt ait Flaccus, Flamen Martialis dicebat hoc die solitum vinum nouum & vetus libari, & degustari medicamenti causa: quod facere solent etiam nunc multi, quum dicant. Nouum vetus vinum bibo: nouo veteri morbo medeor: sicut ad primitias pomorum noua esse dicebant vetera, & alia exoptabant noua, ominis causa: Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 9.

Epulum Mineruæ.

Eodem quoque die epulum Mineruæ *fuit, vt in veteri Calendario annotatum est: sunt tamen qui 4. Calend. Octob. tribuant.*

CAPVT XXV.

Festa quæ mense OCTOBRI à Græcis sunt celebrata.

ΠΥΑΝΕΨΙΑ.

Festi huius nomina.

Πυανέψια Pyanepsia *Athenienſium festum fuit, mensq; Πυανεψιῶνι, qui Octobri nostro respondet, & nomen à festo quòd in eo agitur habet, celebratum fuit. Alij Græci hanc celebritatem vocarunt etiam Πυανοψίαν & Παναψίαν. Sic enim Harpocration ex Apollonio & ijs qui de festis Athenienſium scripserunt, refert: ἡμεῖς, inquit, Πυανοψίαν ταύτην τὴν ἑορτὴν καλοῦμεν: οἱ δὲ ἄλλοι ἕλληνες Παναψίαν, ὅτι πάντας ἔδον καρπὸς τῇ ὄψει. Notandum etiam, pro Πυανοψία (vt apud Suidam scribitur) apud Harpocrationem scriptum esse Ποιανοψια, & quidem bis. Sed Apollonius apud Harpocrationem indicat,*

cat, δεῖν λέγειν Πυανέψια, καὶ τὸν μῆνα Πυανεψιῶνα, dici oportere Pyanepsia, & mensem Pyanepsiona.

Nomen habet hoc festum à fabis, quæ in eo coquebantur in honorem Apollinis. Vnde Apollonius apud Harpocrationem reddens rationem, cur non Pyanopsia seu Panopsia, sed Pyanepsia dici debeat, hæc subiungit: Πυάνα γὰρ ἔψουσιν ἐν αὐτῇ τῇ ἑορτῇ, id est, fabas coquunt in hoc festo. Et quia fabæ flatus ventris excitant, Πυανέψια παρὰ τὴν ἑορτὴν apud Athenæum lib. 9. cap. 27. dicitur. Pyanepsia vnde dicta.

Authorem eius alij alium faciunt: plerique tamen ad Theseum referunt, qui hoc festum et sacrum instituisse & Apollini vouisse dicitur, in memoriam felicis sui reditus: quòd interfecto Minotauro in insula Creta, & liberatis Athenis à difficili tributo, secum ex Creta obsides Athenienſium liberos reducens, hoc die vrbem ingressus sit. Pyanepsiorum origo.

Harpocration autem ex Apollonio refert, Πυανεψιῶ· & ἑβδόμῃ τὰ Πυανέψια ἄγεται, hoc est, septima Pyanepsionis celebrata Pyanepsia: quod etiam Suidas testatur, & Plutarchus in Theseo. Quocirca hallucinari videtur eius loci interpres Lapus, qui ἑβδόμῳ Πανεψιῶνος & Nonas Iulij reddidit. Pyanepsia quo die celebrata.

Plutarchus eodem loco originem, ritus ac ceremonias, huius solennitatis, his verbis describit: καταπλεύσας ὁ Θησεὺς, ἔθυε μὲν αὐτὸς, ἃς ἐκ πλέων θυσίας ἤυξατο τοῖς θεοῖς φαληρόθι· κήρυκα δὲ ἀπέστειλε τῆς σωτηρίας ἄγγελον εἰς ἄστυ. Οὗτος ἐνέτυχεν ὀδυρομένοις τε πολλοῖς τῷ τοῦ βασιλέως Αἰγέως τελευτῷ, καὶ χαίρουσιν ὡς εἰκὸς ἑτέροις, καὶ φιλοφρονεῖσθαι καὶ στεφανοῦν αὐτὸν ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ προθύμοις ἔσιν. Τοὺς μὲν οὖν στεφάνους δεχόμενος, τὸ κηρύκειον αἴρεσθαι. ἐπανελθὼν δὲ ἐπὶ θάλασσαν, ὅπως πεποιημένος ἀπαρχὰς τοῦ Θησέως, ἔξω προέμενος, μὴ βεβλόμενος τῷ θυσίαν παράξαι. Γενομένων δὲ τῶν ἀπαρχῶν, ἀπήγγειλε τὴν τοῦ Αἰγέως τελευτήν. Οἱ δὲ σὺν κλαυθμῷ καὶ θορύβῳ πανδοκεύοντες ἀνέβαινον εἰς τὴν πόλιν, ὅθεν καὶ νῦν ἐν τοῖς ἀποφορείοις, στεφανοῦσθαι μὲν τὸν κήρυκα λέγουσι, ἀλλὰ τὸ κηρύκειον. ἐπιφωνεῖν δὲ ταῖς ἀπονδαῖς, ἐλελεῦ ἰὰ ἰά, τοὺς παρόντας, ὧν τὸ μὲν πανδοκεύοντες ἀναφωνεῖν τε παιωνίζοντες εἰώθασι, τὸ δὲ ἐκπλῆξαι τε ταραχῆς ὅτι Θάλας δὲ τὸν πατέρα, τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀποδιδοὺς τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς ἱσταμένου. Ταύτῃ γὰρ ἀνέβησαν εἰς ἄστυ σωθέντες. ἡ μὲν οὖν ἔψησις τοῦ σπερμάτων λέγεται γεγενῆσθαι, διὰ τὸ σωθέντας αὐτοὺς εἰς ταυτὸ συμμίξαι τὰ λειόντα τοῦ σιτίου, καὶ μίαν χύτραν κοινὴν ἑψήσαντες, σωτηριαθύειν καὶ συγκαταφαγεῖν ἀλλήλοις. καὶ τι ταῦτα πρὸς τὰς ἡρακλείδας γενέσθαι λέγουσιν ἔτος διαφερομένοις ὑπὸ τοῦ Ἀθηναίων· οἱ δὲ πλείονες ὡς προείρηται. Hoc est, Naue eò aduectus Theseus, solennia sacra quæ in discessu vouerat, Dijs immortalibus peregit. De incolumitate etiam nuntium in vrbem misit. Is multos ob regis Ægei interitum in squalore & lachrymis mœstos inuenit: alios etiam, vt credibile est & æquum ob eius salutem, lætitia exultantes, & illum certatim cum plausu & coronis excipientes. Acceptis igitur coronis caduceum coronauit. Reuersus autem ad mare, nondum peractis à Theseo libationibus, extra expectauit, quòd sacrificium turbare nollet: quo absoluto, nuntiauit Ægei mortem. Illi magno luctu, tumultu & trepidatione se in vrbem receperunt: vnde hodieq; consuetudo manet, vt in Oschophorijs non nuntius ipse, sed caduceum coronetur: et post libationes huiusmodi, qui interſunt, emittant voces, Eia, heu: quorum altero in festinatione, ac bellicis Pæanibus vti solent: alterum consternationis ac turbationis est. Patre igitur sepulto, Apollini votum persoluit septima die Octobris: ea enim in vrbem se incolumes receperunt. Vnde & legumina ob eam causam coqui aiunt, quòd seruati allata sibi cibaria in vnum confuderint, & communi ad coquendum olla adhibita congressi inuicem atq; epulati sint. Quæ sacra Herculis liberis exhiberi quidam aiunt, vt qui hoc modo ab Atheniensibus enutriti sint: sed plures superioribus magis assentiri videntur. Pyanepsiorum ritus.

ΟΣΧΟΦΟΡΙΑ.

EOdem mense quo Pyanepsia, Oschophoria quoque fuisse celebrata, ex his Plutarchi verbis, quæ de Pyanepsijs scribit, non obscurè colligi posse videtur. Nonis Iulij Alex. Oschophoria quo mense & die celebrata.

de Alex. lib. 3. ca. 18. peractam fuisse hanc solennitatẽ testatur, per Πυανεψιῶνα malè Iulium intelligens. Ego Plutarchum in fine vitæ Thesei de hoc festo et sacro loqui arbitror: id si sit, octauo huius mensis celebratum est. Sic enim verba eius habent: θυσίαι ποιοῦσι Θησεῖ τῷ μείζονι, ὀγδόῃ μὲν Πυανεψιῶνος, ἐν ᾗ μετὰ τῶν ἠθέων ἐκ κρήτης ἐπανῆλθεν, id est, Sacrificiũ maximum Theseo faciunt octauo Pyanepsionis, quo cum iuuenibus ex Creta reuersus est.

Oschophoriorũ ritus.

In hoc festo circumferebatur Εἰρεσιώνη, hoc est, ramus oleaginus, lana obuolutus, onustus vuis, ficis, & alijs arborum fructibus. Ferebatur autem à duobus locupletibus & ingenuis pueris, ad id sorte delectis, vnde & ὀσχοφόροι dicti sunt. Sic enim Harpocration ex Philochoro scribit: ἕνεκα τῆς κοινῆς σωτηρίας νομίσαι τὰς καλλιμόρους ὀσχοφόρους καταλέγειν δύο, τῷ γένει καὶ πλούτῳ προὐχόντων, id est, communis salutis causa arbitrantur electos duos, quos Oschophoros nominant, genere & diuitijs, præstantes. Sic etiam in Nicandri Alexiph. Scholiastes inquit: Ὀσχοφόροι λέγονται Ἀθήνησι παῖδες ἀμφιθαλεῖς ὁμιλοῦμροι κατὰ φυλὰς, οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου, ἐν τῷ ἱερῷ τῷ Διονύσου ἔξιόντες εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Hos etiam pueros muliebribus στολαῖς indui solitos Plutarchus & Etymologus referunt. Ex Scholiastis autem Nicandri testimonio intelligimus, his ramusculis pueros istos cum precibus ex Bacchi templo in ædem Mineruæ Scirradis tributim cucurrisse, quod etiam ex Athenæi intelligitur lib. 11. cap. 15. vbi addit, qui in hoc certamine vicisset, calicem cepisse Pentaploum vocatum, & saltando genio indulsisse. Sed & ante ianuas ædium, præsertim verò diuitum eos suspendere solebant, ad famem arcendam ex oraculi cuiusdam præcepto, quod fusius tradit Scholiastes Aristophanis, & ex eo Suidas. Plutarchus in Theseo rationem huius ceremoniæ reddit, & simul versus recitat quos in circumgestatione ramorum istorum cecinerint, vt ἀφορίαν seu sterilitatem & penuriam hoc pacto deprecarentur. Sic enim scribit: τῷ δ' εἰρεσιώνῃ ἐπιφέρουσι κλάδον ἐλαίας, ἐρίων μὲν ἀνεστεμμένον, ὥσπερ τότε τῷ ἱκετηρίαν, παντοδαπῶν δ' αἰ ἄπλετον καρπῶν, δεῖ τὸ λῆξαι τῷ ἀφορίαν ἐπάδοντες:

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρειν, καὶ πίονας ἄρτους,
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικα εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ. Hoc est,
Eiresione ficos ferat, & solidos panes,
Et mel in cadis, & oleum fricet,
Et poculum vino mero plenum, veluti temulentum dormiat.

Eberus in Calendario historico addit, ὀσχοφόρους istos cum ijs qui in pompa sequebantur, ante ianuas diuitum petijsse sibi dari munuscula, vt propemodum mos est circa Natalem Christi & Calendas Ianuarias pueris apud Christianos. Et extat carmen bellißimum, quod canere sunt soliti ad ædes diuitum pueri, apud Herodotum in vita Homeri, quod vocatur similiter Εἰρεσιώνη, & congruit ferè cum nostratium puerorum cantionibus. Nec crediderim ramos istos in Pyanepsijs circum portasse. Plutarchus enim expreßè dicit, caduceum, cuius in Pyanepsijs mentionem fecerat, in Oschophorijs coronatum.

Idem author eodem loco Oschophoriorum celebritatem sic describit: Ἄγουσι δὲ καὶ τὴν τῶν ὠσχοφορίων ἑορτὴν, Θησέως καταστήσαντος: ἐκ μὲ ἁπάσας αὐτὸν ἐξαγαγεῖν τὰς λαχούσας τότε παρθένους, ἀλλὰ τὴν σωφρονεστάτων δύο θηλυφανεῖς μὲν ὀρθιότητι καὶ νεαρὰς, ἀνδρώδεις δὲ ταῖς ψυχαῖς καὶ φρονήμασι, λευκοῖς τε θρεμμοῖς, καὶ σκιαδοφορίαις, καὶ ταῖς περὶ τὸν κόμην καὶ λειότητα, καὶ χροιὰν ἀλοιφαῖς καὶ κοσμήσεσιν ὡς ὄντι, ἐξαλλάξαντα κομιδῇ, & διδάξαντα φωνὴν & σχῆμα καὶ βάδισιν, ὡς ἔνι μάλιστα παρθένοις ὁμοιοῦσθαι, καὶ μηδὲν φαίνεσθαι διαφέροντας, ἐμβαλεῖν εἰς τὸν τῶν παρθένων ἀριθμὸν καὶ διαλαθεῖν ἅπαντας. ἐπεὶ δ' ἐπανῆλθεν αὐτόν τε πομπεύσας καὶ τὰς νεανίσκους, ἅτας ἀμπεχομένους ὡς γυναῖ ἀμπέχονται τὰς οἰκοῦντας φέροντες. φέρουσι δὲ Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι διὰ τὸν μῦθον, ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένοις ὀπώρας ἐπανῆλθον. αἱ δὲ λειποφόροι παραλαμβάνουσαι & κοινωνοῦσι τῆς θυσίας ἀπομιμούμεναι τὰς μητέρας ἐκείνων τῶν λαχόντων. ἐπιφοίτων δὲ αὐτοῖς ὄψα καὶ σιτία κομίζουσαι, & μῦθοι λέγονται διὰ τὸ κἀκείνας δεῦρο μίας ἕνεκεν καὶ παρ-

θενείας,

γοείας, αὐθις διεξιέναι τοῖς παισὶν· *Id est: Oschophoriorum etiam celebritatem agitant, à Theseo constitutam. Non enim omnes virgines sorte lectas ipsum eduxisse tradunt, verùm ex æqualibus & familiaribus adolescentibus duos aspectu quidem pueriles ac muliebres, sed animis fortes & strenuos, quum balneis calidis, & umbratili educatione, unguentis quoque quæ ad comam & læuitatem corporis coloremq; conducunt, reliquisq; ornamentis pro facultate immutasset: vocem etiam & gestum atque incessum edocuisset, & quàm similes potuisset virginibus reddidisset, in virginum numerum, celatis ea de re omnibus, coniecisse. Postea igitur quàm reuersus est, pompas ac dies festos cum impuberibus, ita vt nunc quoque ramos ferentes videmus, indutis agitasse. Ferunt autem ramos ad Dionysij & Ariadnæ gratiam: admoniti fabula: vel potius, quòd tum, quum redierunt poma importabantur. Quæ verò mulieres cœnam ferunt, adhibentur, & sacrorum participes fiunt, matres lectarum virginum referentes. Etiam ad filias accedentes illæ, cibos & opsonia attulerunt. Fabulæ etiam narrantur, quòd hæ quoque recreandi solandiq; gratia pueris fabulas enarrassent. Hæc Plutarchus ex quodam Demone.*

ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ.

(Θ) Θεσμοφόρια *sacra & festa à Cerere sic dicta sunt, in cuius honorem celebrabantur.* Θεσμοφόρος *enim propriè Cereris epitheton est, quòd ea prima leges inuenisse & dedisse mortalibus ab Ethnicis creditum sit, vt qui ante inuentum frumentum sine lege vagarentur. Vnde & Vergilius sic cecinit:* Thesmophoria vnde dicta.

Prima Ceres vnco terram dimouit aratro,
Prima dedit fruges alimentaq; mitia terris,
Prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus.

Et alibi: ——— *mactant lectas de more bidentes*
Legiferæ Cereri.

Meminit etiam huius Θεσμοφόρου Δημήτρας *Orpheus in Argon. Herodotus, & Pausanias in Bæot. Et Plutarchus* περὶ σαρκοφαγίας *lib. 2. inquit,* τὴν τῶν Θεσμοφόρον ἀσεβεῖτε Δήμητραν. *Bæotij eandem celebritatem agentes* ἐπαχθῆ *vocarunt, hoc est, querulam & gemebundam, ceu tunc Cerere ob raptum Proserpinæ in luctu agente.*

Eorum originem Arnobius commemorat lib. 5. contra gentes, cuius verba adscribam. Consideremus, inquit, mysteria, & illa diuina, quæ Thesmophoria nominantur à Græcis: quibus gente ab Attica sancta illa peruigilia consecrata sunt, et pannychismi graues. Videamus quas origines habeant, quasue causas, vt Athenas etiam probemus ipsas, humanitatis artibus studijsq; pollentes, tam in deos dicere contumeliosa, quàm dicant alij: nec minora ab his probra, quàm cæteris obijciantur à vobis, religionis sub specie publicari. Quodam (inquiunt) tempore cùm in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondũ mulier flores, & adhuc virgo Proserpina: cumq; illam per floream messem huc atq; illuc passim lectionis cupiditas auocaret, per profundæ altitudinis speluncam rex prosiliens manium raptam virginem secum vehit, et terrarum absconditur successibus rursus. Quod cùm factum nesciret Ceres, nec filia vbinam esset gentium, suspicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere: sumit faces geminas flammis comprehensas Ætheneis, quibus sibi prælucens, pergit ire quæsitum terrarum in regionibus cunctis. In istius conquisitionis errore Eleusinos etiam peruehitur fines: pagi istud nomen est regione in Attica constituti. Qui illud temporis has partes incolebant terrigenæ, quibus nomina hæc fuerant: Baubo, Triptolemus, capellarum Dysaules custos, Eubuleus porcorum, gregis lanitij Eumolpus: à quo & gens fuit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui postea floruerunt caduceatores, hierophantæ, atque præcones. Igitur Baubo illa, quam incolam diximus Eleusini fuisse pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hospitio Cererem: adulatur obsequijs mitibus: reficiendi corporis rogat curam vt habeat: sitienti ardori oggerit potionem cynum, cyceonem quam nuncupat Græcia: auersatur, & respuit humanitatis officia mærens dea, nec eam fortuna perpe- Thesmophoriorum origo.

titur valetudinis meminisse communis. Rogat illa, atq; hortatur contrà (sicut mos est in huiusmodi casibus) ne fastidium suæ humanitatis assumat: obstinatissimè durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cùm sæpius fieret, neq; vllis quiret obsequijs inelu-ctabile propositum fatigari, vertit Baubo artes, & quam seriò non quibat allicere, ludibrio-rum statuit exhilarare miraculis. Partem illam corporis, per quam sexus famineus & sobo lem prodere, & nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat: facit sumere habitum puriorem, & in speciem leuigari nondum duri atq; striculi pusionis: redit ad deam tristem, et inter illa communia, quibus moris est frangere ac temperare mœrores, retegit seip-sam: atq; omnia illa pudoris loca reuelatis monstrat inguinibus: atq; pubi affigit oculos diua, & inauditi specie solaminis pascitur: tum diffusior facta per risum aspernatem sumit atque ebibit potionem: & quod diu nequiuit verecundia Bauboni exprimere, pro pudicis facinoris extorsit obscœnitas. Calumniari nos improbè si quis fortè hominum sustineat, libros sumat Threicij vatis, quos antiquitatis memoratis esse diuinæ, & inuenietis, nos nihil neq; callidè fingere, neq; quo sint risui deûm quærere atq; efficere sanctitates: ipsos namq; in medio ponemus versus, quos Calliopes filius ore edidit Græco, et cantando per secula iuri publicauit humano:

Sic effata, simul vestem contraxit abimo,
Obiecitq; oculis formatas inguibus res,
Quas caua succutiens Baubo manu, nam puerilis
Olli vultus erat, plaudit, contrectat amicè,
Tum dea defigens augusti luminis orbes,
Tristitias animi paulum mollita reponit:
Inde manu poclum sumit, risuq; sequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Thesmophoria quando Athenas translata.

Hæc sacrificia, vt scribit Natalis Comes Mythologiæ lib. 5. cap. 14. cùm prius Eleusi celebrarent, primus Eumolpus Deiopes & Triptolemi filius ad Athenienses detulit: vel, vt alij sunt arbitrati, inter quos Acesodorus, quintus ab illo Eumolpus, vt patet ex his Acesodori verbis: καθικῆσαι ὑ τὴν Ελευσῖνα ἱστοροῦσι, πρῶτον μὲν τὰς ἀυτόχθονας, ἔιτα Θρᾴκας, τὰς μὲν Εὐμόλπῳ παραγενομένας εἰς βοήθειαν, εἰς τὸν κατ' Ἐρεχθέα πόλεμον. τινες δ' ἐ φασι καὶ τὸν Εὔμολπον ἄρξαι τῶν μύησιν τῶν τελουμένων κατ' ἐκείνην ἐν Ελευσῖνι Δήμητρι καὶ Κόρῃ: Condidisse Eleusinem ciuitatem memorant, primùm quidem indigenas, posteà Thraces eos qui cum Eumolpo suppetias ferentes accesserunt ad id bellum, quod aduersus Erechtheum exarsit. Alij verò dicunt, Eumolpum ritum illum sacrificiorum inuenisse, quæ quotannis apud Eleusinos agebantur in honorem Cereris & Proserpinæ. Sic etiam Androtion lib. 2. de sacrificijs, Εὐμόλπου γὰρ, inquit, γενέσθαι κήρυκα, τὸν δὲ εὔμολπον τὸν ὑ Ἀντίφημον, τὸν δὲ μουσαῖον τὸν ποιητὴν, τὸν δὲ εὔμολπον τὸν καταδείξαντα τὰ τῶν μύησιν, καὶ ἱεροφάντην γενόμενον, Nam Eumolpum fuisse præconem, ex quo nascitur Eumolpus, ex hoc Antiphemus, ex hoc Musæus poeta, ex hoc Eumolpus, qui ritum sacrorum demonstrauit, et sanctius fuit sacerdotio.

Thesmophoria quando celebrata.

Celebrabantur autem Athenis decimo sexto die Πυανεψιῶνος, quod ex Plutarcho intelligitur, qui in fine vitæ Demosthenis sic scribit de Demosthene: κατέστρεψε ἐκτῃ μὲν καὶ δεκάτῃ τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς, ἐν ᾗ τῶν συνεφοπατάτων τὴν Θεσμοφορίων ἡμέραν ἄγουσαι παρὰ τὴν θεὸν, νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες. Hoc est: Redijt decima sexta Πυανεψιῶνος qua omnium mœstissimam & luctuosissimam agentes Thesmophoriorum diem, apud Deam iciunant mulieres. Interpres hoc loco Πυανεψιῶνα reddidit ineptè Iulium, nam Octobri respondet: quod ex Plutarchi loco in Iside colligitur, vbi sic scribit de mense in quo Thesmophoria celebrata fuerunt: ἔστι δὲ ὅ μὲν ὅτος παρὰ πλειάδα σπορεὺς, ὃν Ἄθυρ αἰγύπτιοι, Πυανεψιῶνα δ' Ἀθηναῖοι, Βοιωτοὶ δαμάτριον καλοῦσιν. Id est: Est autem mensis hic circa Pleiadas sementi dicatus, quem Ægyptij Athyr, Athenienses Pyanepsionem, Bœoti Damatrion vocant. Dixerunt autem Bœoti hunc mensem δαμάτριον, quasi tu dicas Cerealem, inde dubio procul, quòd hæc Cereris solennia in eo agerentur.

Agebantur

Thesmophoriorum ritus.

Agebantur verò quotannis magna cum religione à solis mulieribus albis vestibus per triduum, quum prius nouem diebus & noctibus ad ea se præparassent à Venere & cibo abstinentes. Colligimus hæc ex lib.10. Metamorph. Ouidij, vbi sic canit:

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus niuea velatæ corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum.
Perq; nouem noctes Venerem, tactusq; viriles
In vetitis numerant. Turba Cinireis in illa
Regis adest coniunx, arcanaq; sacra frequentat.
Ergo legitima vacuus dum coniuge lectus, &c.

Vbi tamẽ poeta Thesmophoria cum Eleusinijs Cereris & Proserpinæ sacrificijs confudisse videtur. Nam, vt ex Plutarcho supra intelleximus, Thesmophoria agebantur, quum semen in terram iactabatur: Eleusinia verò sacra messis tempore fiebant, quo coronas vel serta spicea ex frugum primitijs deæ offerebant. Aristophanes quoque ait, ὥσπερ ἐν Θεσμοφορίοισι νηστεύομεν ἄνευ δυπλοῦν. *Huc etiam facit quod Laertius pagina 468. de Democrito moribundo eiusq; sorore scribit. Philosophus ille senio confectus, & grauiter decumbens, cùm à sorore vnica curaretur, eaq; incidente festo Thesmophoriorum, ægrè ferret, se propter instantem mortem fratris à festo abstrahi, quod magna superstitione celebrabatur à mulieribus: iussit sororem bono esse animo, & ad festum accedere, modò vt quotidie calidos sibi panes adferret, quos ipse postea ad nares admouens, odore illorum vitam* Per illud triduum *remoratus est, & reuersa sorore post festum finitum consultò non amplius vtens calido pane animam exhalauit: Hæc Laertius: meminit etiam Athenæus lib.2. cap.3. Videtur autem hoc loco per panes istos intelligere* μυλλοὺς, *qui Athenæo lib.14. cap.19. placentarum sunt species. Ibi enim tradit ex Heraclidis Syracusij* περὶ θεσμῶν *libro, Syracusios τοὺς πυραμιλείους τῶν Θεσμοφορίων ex sesamo & melle confici* ἐφήβαια γυναικεῖα, *quæ per vniuersam Siciliam vocentur* μυλλοὶ, *& circumferantur deabus, Cereri videlicet & Proserpinæ: vt sint placentæ quæ pubem seu pectinenem muliebrem imagine representarent.*

Vt autem dies hos castos ac puros transigere possent, viticis ramos substernebant, quo iccirco Græcis ἄγνος *dicta est, quasi pura & casta arbor. Quamuis autem* ἄγνος *non solùm accentus sedem mutauerit, sed & spiritum, dicitur tamen* ἅγνος, *tanquam* ἁγνὸς. *Colligimus hæc omnia ex his Dioscoridis verbis in historia plantarum lib.1. cap.136.* ὠνόμασαι δ' ἄγνος διὰ τὸ τὰς ἐν τοῖς, Θεσμοφορίοις ἁγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑποστρωμα χρῆσθαι αὐτῇ. *Pro quibus Plinius li.24. cap.9. hæc habet: Alij ἄγνον vocant, quoniam matronæ Thesmophorijs Athenienſium castitatem custodientes, his folijs cubitus sibi sternunt. At Scholiastes Nicandri agnoscit quidem & ipse ἄγνον in Thesmophorijs: sed ipse ἄγνον quasi ἄγονον dictum ait: ac certè pro eo facit spiritus tenuis quo passim hæc vox notatur.*

Sedebant porrò humi mulieres apud Deam ieiunantes: sic enim supra Plutarchus in vita Themistoclis: Θεσμοφορίων ἡμέραν ἄγουσι παρὰ τῇ θεῷ νηστεύουσαι. *Et in Iside ait:* καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι νηστεύουσι αἱ γυναῖκες ἐν Θεσμοφορίοις χαμαὶ καθήμεναι: *Athenis ieiunant mulieres in Thesmophorijs humi decumbentes. Referebant hoc pacto ea quæ Cereri in quærenda Proserpina euenerant. Mœrens enim ac lugens ob filiæ raptum, in eam Atticæ regionem, dum quæreret eam, vbi postea Eleusin ciuitas condita est, peruenit, inque saxo afflictissima sedit per aliquot dies immota sub dio. De quo Ouidius libro quarto Fastorum sic cecinit:*

Sic venit ad portus Attica terra tuos.
Hic primùm sedit gelido mœstissima saxo,
Illud Cecropidæ nunc quoq; triste vocant.
Sub Ioue durauit multis immota diebus,
Et lunæ patiens, & pluuialis aquæ.

Alij tamen huius Ieiunij aliam causam afferunt: quòd nimirum, in penuria quadam, quo sementem facere possent homines, abstinuerint ab omni cibo, in Cereris honorem: & propterea hoc quoque tempore eius celebritatem agi, vt Gyraldus refert de Dijs Syntag. 13. Deinde nil prorsum edere & bibere statuit donec filiam inuenisset: cuius tamen propositi oblita paruer, sub noctem Celei ædes ingrediens, gustasse dicitur. Hinc etiam illud in sacro eius obseruatur, vt non interdiu, sed in principio noctis tantum edant: quòd dea tunc primùm soluisset ieiunia. Docet hoc Ouidius eodem loco his versibus:

Illa soporiferum paruos initura penates,
Colligit agresti lene papauer humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
Longamq; imprudens exoluisse famem.
Quæ quia principio posuit ieiunia noctis,
Tempus habent mensæ sidera visa sibi.

Refert autem Plutarchus in Quæstionibus Græcis, quæstione 31. Eretriensium mulieres in Thesmophorijs non ad ignem carnes, sed ad Solem assare solitas: quia captiuæ, quas à Troia Agamemnon abduxit, quum ibi Thesmophoria facerent, tempestate ad nauigandum apta oblata, subitò auectæ sunt, imperfecto sacrificio.

Istis etiam diebus mulieres conuitijs inuicem, alijsq; turpibus cum dictis tum factis vti consueuisse aiunt, vt deæ dolor ex filiæ raptu conceptus risu & scurrilitate mitigaretur: referentes hoc modo Baubonis turpe & obscœnum facinus, quod paulò ante ex Arnobio retulimus.

Scholiastes Theocriti horum sacrorum ritum sic describit de sententia Thelyti Methymnæi ex Bacchicis carminibus. Νόμος γὰρ ὢν Ἀθηναίοις κατ' ἔτος τελεῖν τὰ θεσμοφόρια ταῦτα, παρθένοι γυναῖκες, καὶ τὸν βίον σεμναὶ, καὶ κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς, τὰς νομίμους βίβλους καὶ ἱερὰς ὑπὲρ τῶν κορυφῶν αὐτῶν ἀνετίθεσαν, καὶ ὥσπερ εἰ λιτανεύσασαι, ἐπορεύοντο εἰς Ἐλευσῖνα. *Lex fuit Athenienſibus, vt hæc Thesmophoria quotannis celebrarent virgines mulieres, & vitæ honestæ: quæ per solennitatis diem legitimos sacrosq; libros super vertice gestantes, tanquam supplicantes Eleusinem contenderent.*

CERERIS festum priuatum.

CElebrata quoq; huic Deæ priuata festa & sacrificia post messem, in quibus primitias frugum pro frumenti prouentu offerebant, & conuiuia agitabant sanguine coniuncti, ex his Theocriti carminibus in Cerealibus colligitur:

Ἄνέρες εὐπέπλῳ Δαμάτερι δαῖτα τελεῦντι
Ὅλβῳ ἀπαρχόμενοι. Μάλα γὰρ σφισι πίονι μέτρῳ
Ἀδὶν ἴμων ἔυκηθον ἀνεπλήσσατο ἄλωά.
Namq; viri Cereri celebrant conuiuia læta,
Primitiasq; ferunt: quoniam plena area frugum
Frugiferæ messes siccauit munere Diuæ.

ΑΠΑΤΟΥΡΙΑ.

Apaturia quo mense celebrata.

APaturiorum solennitatem nonnulli ad Θαργηλιῶνα *referunt, alij verò ad* Πυανεψιῶνα. *Prouerbium autem Græcorum,* Ἀπιὼν εἰς Ἀπατούρια ἐπανῆκ' εἰς Θαργηλιῶνα, *hoc est, profectus ad Apaturia, rediit Thargelione seu Aprili, facit, vt Pyanepsione mense, id est, Octobri celebrata credam. Nam, vt Erasmus indicat, dictum fuit hoc prouerbium in eos, qui lentius ac diutius negotio alicui immorarentur. Hic autem sensus Prouerbij non esset, sed contrarius potius, si Apaturia Thargelione mense acta fuissent: nam eodem mense & Apaturia celebrata essent, & ad ea profecti redijssent. Sunt autem quinque*

menses integri inter Θαργηλιῶνα & Πυανεψιῶνα: quod si igitur Pyanepsione celebrata sunt Apaturia, in pigros ac desides quadrabit optimè prouerbium, sumptum fortasse ab aliquo, qui semestri post celebrata Apaturia demùm redijt domum. Celebrabantur verò Apaturia dies continuos tres, iuxta Suidam & Scholiasten Aristophanis: vel quatuor, iuxta Hesychium. Primam diem, inquit Suidas, ΔΟΡΠΕΙΑΝ appellabant: ἐπειδὴ φράτορες ὀψίας συνελθόντες ἐνωχοῦντο, quòd sodales ad vesperam in vnum coacti epularentur. Sic Herodotus in Vita Homeri indicat, poetam illum à Samijs inuitatum ad Apaturiorum festũ concelebrandum, ingressum collegium reclinatumque cum cæteris epulatum esse. Alteram ΑΝΑΡΡΥΣΙΝ vocabant: ἀπὸ τῆ θύειν: ἔθυον ἢ δι' ἣ θεατείαν ἢ Αθηνᾶ, hoc est, à sacrificando, nam sacrificabant Ioui sodali, & Minervæ. Tertiam nominabant ΚΟΥΡΕΩΤΙΝ, ἀπὸ τῆ τὰς κόρας ἢ τὰς κόρας ἐγγράφειν εἰς τὰς φρατείας, quòd pueros & puellas sodalitatibus ascriberent, & in classes tributim diuiderent. Eodem quoque die pueri, vt quisque ingenio valebat, certatim poemata recitabant, alter alterum superare contendens: cuius consuetudinis Plato in Timæo mentionem facit, vbi indicat: parentes illo die pueris certaminis loco rhapsodias fuisse proponere solitos. Huic consuetudini non absimilis est ea, quæ pueris nostris temporibus ludum literarium frequentantibus, certis anni temporibus, animos à scholasticis laboribus relaxandi recreandiq; causa, parentum præceptorumq; indulgentia, plurimis in locis conceditur. Quartus dies dicebatur ΕΠΙΒΔΗ vel ὀπίδα teste Panyasi. Sunt autem Hesychio & Suidæ ἐπίδα μετέορτοι ἡμέραι, hoc est, postridiani feriarum dies. Rationem nominis hanc ille affert, ἀπὸ τῆ ἐπιβάζεσθαι ταῖς ἑορταῖς, ἀναῤῥήσας ἐξ ἀυτῶν: vel διὰ τὸ ἐπὶ τῇ δαιτὶ ἢ ἑορτῇ ἄγεσθαι αὐτὰς, κατὰ πρόθεσιν τῦ β'. Suidas autem hanc nominis causam reddit, διὰ τὸ πρὸς ἐπίδειξιν ταῖς προτέραις ἡμέραις γενέσθαι, ἄλλης ἐπιβαινούσης. Cœlius lib. 12. cap. 1. quædam festa Epitheta, quasi adiectitia vocat, quæ ego eadem esse arbitror cum ἐπίδαις ἢ μετεόρτοις.

Apaturiorum origo.

Originem autem causamq; huius solennitatis Charicles in Catena & Suidas his verbis recitant: Πόλεμος ἦν Αθηναίοις πρὸς Βοιωτὲς περὶ κελαινῶν, ὃ ἦν χωρίον ἐν μεθορίοις. Ξάνθος ὁ Βοιωτὸς προσεκαλέσατο τὸν Α'θηναίων βασιλέα Θυμοίτην. Οὐ δεξαμένε ὃ, Μέλανθος ἐπιδημῶν Μεσσήνιος τὸ γένος ἀπὸ περικλυμένε τῆ νηλέως, ὑπέσχη ἐπὶ τῇ βασιλεία. Μονομαχούντων ὃ ἐφάνη τῷ μελάνθῳ τις ὄπισθεν τῆ Ξανθίε τρέχειν ἐνημμένος μέλαιναν. ἔφη ἓν ἀδικεῖν αὐτὸν δ' ἐυτέρον ἥκοντα: ὁ ὃ ἐπεστράφη: ὁ ὃ παίσας ἀποκτείνει αὐτὸν. ἀφ' ὃ τότε ἥτε ἑορτὴ Απατούρια καὶ Διονύσε μελαναίγιδος ἐδομήσαντο. Hoc est: Bellum gerebant Athenienses cum Boeotijs de Celænis vico, qui in confinio erat. Xanthius aũt Boeotius Tymoctẽ Athenienſiũ regem ad singulare certamen prouocauit: quo recusante, Melanthius Messenius à Periclymeno Nelei filio generis originẽ ducens, imperij causa pugnare promisit. Cùm verò singulari certamine congrederentur, quidã hircina nigra pelle indutus, post Xanthij terga Melantho apparuit. Dixit igitur ipsum iniquè & contra leges agere, quòd cum comite veniret: quo dicto respicientem Xanthium interfecit: vnde & festum Apaturia cognominatum fuit, & Dionysij Melanægidos templũ struxerunt: eiq; hoc festũ consecrarunt. Nam cum Dionysius creditus sit, quem pelle hirci seu capræ indutũ apparuisse autumant, dies hi festi fuerunt in eius honorẽ ab Athenienſibus instituti. Hinc intelligitur simul, dictum hoc festum, παρὰ τὸ ἀπάτη, seu ἀπατᾶν, à fallendo & decipiendo. Vnde & Budæus ex Eusebij Chronico, Fallaciarum solennitatem Apaturia nominat. Refert tamẽ Suidas, esse qui Α'παλούρια quasi ὁμοπατόρια dicta existiment, quòd patres, vt liberos curiæ ascriberent, conuenirent: vt α, pro ὅμως accipiatur.

De Apaturij vide plura apud Herodotum lib. 1. & Xenophontem in primo Hellenicon, Tertullianum etiam & Eusebium in Chron. præsertim autem apud Simplicium in Physicis Aristotelicis, Hesychium & alios.

ΠΑΜΒΙΟΤΙΑ.

PAmbeotia, in Calendario Attico & Romano Gyraldi, sed ab Elia Reusnero aucto,

ponitur ad diem 22. Octobris. In hoc festo conuentus fuit ab omnibus Boeotis quotannis celebratus: Meminit eius Plutarchus in libello Amatoriarum narrationum circa finem. Celebratum fuit ad ripas Coralij fluuij, teste Strabone libro nono.

APOLLINIS festum.

ADrianus Iunius in suis Fastis indicat, Lacedæmonios vigesima quinta die Pyanepsionis festum celebrasse, in quo vini quartarios Apollini obtulerint, pecoribus super immolatis.

XΑΛΚΕΙΑ.

Chalcea festũ antiquum Athen.

ΧΑλκεια, de quo Herodianus apud Etymologum docet, ὅτι ἡ πλείων χρῆσις περισπᾶται, indicans plerunque scribi χαλκεῖα penultima circumflexa, vt etiam apud Pollucem lib. 7. cap. 24. scribitur: festum fuit antiquissimum apud Athenienses, primùm à toto populo celebratum, vnde & Pandemum & Athenæa vocarunt: progressu tamen temporis à solis cerdonibus, operarijs & præsertim fabris celebratum fuit, vt refert Harpocration & Apollonius Acharneus.

Chalcea in cuius honorem & quando celebrata.

Agebatur autem ἐν ᾗ καὶ νέᾳ τῷ Πυανεψιῶνος, hoc est, vltima die Pyanepsionis: ἐν ᾗ ἱέρειαι μετὰ τῶν ἀρρήφορων τὸν πέπλον ἐδίδοσαν, vt annotatur ab Henrico Stephano in suo Thesauro & ab Etymologo. Et quidem fiebat in honorem Vulcani, teste Phanodemo, quòd is in Attica artem exercuisset. Vnde Pollux suprà citato loco scribit, Χαλκεῖα, ἑορτὴ ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἡφαίστῳ. Latinè Vulcanalia dicerentur. Alij solenne festum Mineruæ faciunt, vt Harpocration. Meminit festi huius Cælius lib. 19. cap. 9.

ΗΛΙΟΥ ΕΟΡΤΗ.

Festi Solis dies eiusq; ratio.

REfert Plutarchus in libello de Osiride Ægyptios τῇ ὀγδόῃ φθίνοντος τοῦ Φαωφὶ vigesima secunda die mensis Phaophi, qui cum Octobri vt plurimum conuenit, post æquinoctium autumnale, festum diem celebrasse, βακτηρίας ἡλίου γενέσθαι, tum baculos Solis natos dicentes: quo innuerunt, ὑπερείσματος δεῖσθαι καὶ ῥώσεως, τῷ τε θερμῷ γινόμενον ἐνδεᾶ, καὶ τῷ φωτὶ ἐνδεᾶ κλινομένου, καὶ πλάγιον ἀφ' ἡμῶν φερόμενον: fulcro & roboratione Solem iam indigere, qui inclinatus cùm iam à nobis per obliquum ferri incipit, & caloris & luminis aliquam sit passus diminutionem.

CAPVT XXVI.

De Festis quæ mense OCTOBRI sunt celebrata à Romanis.

ADRIANVS Iunius in Fastis suis testis est, Romanos 3. Non. Octob. secundo accessisse aram deorum inferorum in Circo maximo.

ALEMANNICI Ludi.

IN fastis Rom. legimus, Alemannicos Ludos 3. Non. Octob. per sex continuos dies celebratos, sicut etiam refert Lazius lib. 11. cap. 16. Reipub. Romanæ.

FONTANALIA.

FOntanalia, inquit Festus, sunt fontium sacra: vnde & Romæ Fontanalis porta. Varro autem à fonte dici tradit, quòd eo die feriæ, ab eo, cùm in fontes coronas iaciebant, & puteos coronabant. Hæc verò, vt habetur in Calendario Maffeianorum, fiebant 4. Idus Octobris.

IDVVM Octobris celebritas.

IDus Octobris festæ fuerunt, sicut & reliquorum mensium: quo tempore in campo Martio, equum qui October diceretur Marti immolari seruatum est quotannis, bigarum victricum dexteriorem: de cuius capite non leuis contentio solebat esse inter Suburanenses & Sacrauienses, vt hi in regiæ pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent: eiusdemque cauda magna celeritate perferebatur in regiam, vt ex ea sanguis destillaret in focum, participandæ rei diuinæ gratia. Eum hostiæ loco quidam Marti bellico deo sacrari dixerunt, non vt vulgus putauit, quòd veluti supplicium de eo sumptum sit, quia Romani Ilio fuerunt oriundi, Troiani autem effigie equi capti & excisi, vt habetur in Fragmento Sex. Pompeij ex vetustissimo exemplari Farnesianæ bibliothecæ descripto, & nuper excuso. Meminit etiam Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 18. quamuis paulò aliter. Paulus Marsus in Commentarijs ad li. 6. Fastorum Ouidij, factum hoc sacrificium dicit ob frugum euentũ: & propterea equum potius quàm bouem immolatum, quòd bos frugibus pariendis sit aptus. Iduum Octobris ritus.

Multis autem gentibus ob hanc causam equum hostiarum numero haberi testimonio sunt Lacedæmonij, qui in monte Taygeto equum ventis immolarunt, ibidemq; adoleuerunt, vt eorum flatu cinis eius per fines quàm latissimè differretur: Salentini quoque, apud quos Menzanæ Ioui dicatus viuus coniectus fuit in ignem: & Rhodij, qui quotannis quadrigas Soli consecratas in mare proiecerunt, quòd is tali curriculo fertur circumuehi mundum, vt in eodem Fragmento legitur. Equus apud multas gentes immolatus.

VERTVMNALIA.

VErtumnalia dies festos Vertumno dicatos fuisse mense Octobri M. Varro testis est. Eius Dei sacellum in vico Turario erat vertentibus se ad dexteram sub Basilicæ angulo. Deus hic mercaturæ & vertendarum rerum habitus fuit: Alex. ab Alex: lib. 6. cap. 8. Adrianus Iunius in Fastis suis refert, mercatores sacra fecisse Idibus Octob. Mercurio, quòd fortè idem est cum Vertumni sacro.

SARMATICI LVDI.

LAzius lib. 11. cap. 16. Reipub. Rom. ex Fastis refert, Sarmaticos Ludos Romæ constituto imperio celebratos 7. Cal. Nouemb. per septem dies. Meminit eorum Flauius Vopiscus in Carino his verbis: Exhibuit & ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil est: exhibuit Cyclopem adornatum Græcis artificibus, & gymnicis, & histrionibus, & musicis, & aurum & argentum donata, & vestis serica.

CAPVT XXVII.

Festa quæ NOVEMBRI mense à Græcis fiebant.

ΖΗΤΗΣΙΣ ΟΣΙΡΙΔΟΣ, ΗΠΕΡΙΔΡΟΜΗ ΗΛΙΟΥ.

MENSE Athyr, qui aliqua ex parte Nouembri respondet, sacerdotes Ægyptiorum cùm alios tetricos ritus exercuerunt, tum bouem auratum nigra byssina veste amicientes, à decima septima die, qua Osiridem perijsse existimarunt, per quatriduum continuum festum in luctu deæ Isidis ostentarunt. Quatuor autem fuerunt quæ luxerunt: primum, Nilus recedens atque deficiens: secundum, Τὰ βόρεια πνεύματα. septentrionales flatus, qui inualescentibus austrinis ventis admodum extinguuntur: tertium, quòd Festi huius ritus.

dies minor fit nocte: vltimum, denudatio terræ, simul etiam tunc stirpibus folia abijcientibus: Plutarcho authore in lib. de Osiride.

Decima nona eiusdem mensis die, noctu ad mare descenderunt, & sacram cistam οἱ στολισταὶ (*Stolistæ, quasi vestitores diceres*) *vnà cum sacerdotibus extulerunt, in qua fuit aurea arcula, cui infundebatur ab ijs aqua potabilis, ac clamor tollebatur ab ijs qui aderant, vociferantibus Osiridem esse inuentum. Exinde tellurem frugiferam aqua permiscuerunt, additisq; mixturæ aromatibus & suffimentis sumptuosis, effinxerũt* μικρὸν σελήνης ὁμοιόμορφον *lunisormem imagunculam, & hanc amicierunt & exornarunt: significantes deos istos ab ipsis putari esse naturam terræ & aquæ: ibidem.*

De hoc festo & sacro rursus sic scribit eodem libro, Ægyptios bouem fœmellam sub Solstitium hybernum septies circa templum circumferre: & vocari Osiridis Indagatio *aut* Solis circuitus, *aquam hyeme desiderante Dea. Toties autem circumire, quòd septimo mense decursus Solis ab hyberno ad æstiuum Solstitium conficiatur. Verba eius sunt:* Τιμῶσι δὲ τὸν βοῦν τοῦτον ὑπερφυῶς διὰ τὴν ἐπὶ τὰς ἀρότους αὐτοῦ χρῆσιν. καὶ καλεῖται μὲν Ζητήσεως Ὀσίριδος, ἡνίκα δὲ ἡ σελήνη πλήρης γένηται, τότε τὸ ὕδωρ ἐπιφέρεται τῇ θεῷ πολλάκις. Τοσαυτάκις δὲ πέμπεσθαι, ὅσοι μῆνες ἀπὸ τροπῶν χειμερινῶν ἐπὶ τὰς θερινὰς ἀνόδους ἐκ τοῦ ἡλίου συμπίπτουσιν.

Festi huius origo.

Originem huius festi & sacri Ethnici ad hunc modum referunt. Isis cum fratre suo Osiride (Lactantius & Arnobius filium eius nominant) stupri consuetudinem habuit. Id quum Typhon maritus comperisset, occidit eum, frustulatim q; lacerauit, & per omnes Nili fluuij ripas membra proiecit. Isis necem eius vlta, cum sorore & Anube venatore, discerpti membra magno luctu vbiq; gentium quæsiuit, dispersa collegit, & sepulturæ mandauit, posteaque instituit, vt quotannis cum lachrymis & eiulatu Osiris quæreretur, & quasi inuentus lætitia celebraretur. Ita enim scribit Lactantius lib. 1. cap. 21. primò sacerdotes eius (nimirum tam viri quàm fœminæ) deglabrato corpore, sua pectora tundunt, lamentantur sicut ipsa quum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inuentus, & in lætitiam ille luctus mutatur: ideò poeta Lucanus:

——— *Nunquamq; satis quæsitus Osiris.*
Semper enim perdunt, & semper inueniunt.

Eadem habet Augustinus de Ciuitate Dei libro sexto capite decimo. Diodorus Siculus libro quarto hanc siue historiam, siue fabulam paulò aliter narrat. Arnobius etiam libro octauo contra Gentes horum sacrorum meminit: Isis (inquit) perditum filium cum Cynocephalo suo (Anubem sic vocat, qui artificio canum inuestigantium membra descripti Osiridis inuenit, ideoq; canino capite pingitur) & alijs sacerdotibus luget, plangit, inquirit: & Isiaci miseri cædunt pectora, & dolorem infelicissimæ matris imitantur. Mox inuento paruulo, gaudet Isis, exultant sacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur: nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inueniunt, vel inuenire quod perdunt. Hæc Ægyptia quondam, nunc & sacra Romana sunt. Iulius Firmicus, In sacris, inquit, Isiacis idolum Osiridis sepelitur in adytis, hoc annuis luctibus plangunt, rasa capita tundunt, pectus lacerant, veterum vulnerum refricant cicatrices. Et quum certis diebus hæc fecerunt, fingunt se lacerati corporis, reliquias reperire: & quum inuenerint, quasi sopitis luctibus gaudent.

CAPVT XXVIII.

De Festis quæ NOVEMBRI mense à Romanis sunt celebrata.

NEPTVNALIA.

ADRIANVS *Iunius in Fastis indicat Nonis Nouemb. Neptuno gratias habitas à nautis: id quod hodieq; fit à Venetis in festo Ascensionis: & 6. Idus Nou. aram Romanos deorum inferorũ in Circo maximo tertio accessisse placandis manibus.*

IOVIS

IOVIS EPVLVM, vbi & de LECTISTERNIIS.

IOuis epulum, *vt testatur Lazius, in publicis ludis celebrabatur, potissimùm autẽ Natalitijs & Circensibus, quotannis Idibus Nouem. & ob Iouis ceu deorum regis ac principis excellentiam, propriam seorsim appellationem sortiebatur, cum reliqua conuiuia in cæterorum deorũ ædibus habita, omnia vna voce* lectisternia *dicerentur. Meminit huius epuli crebrò Liu. lib. 5. Decad. .lib. 7. Decad. eiusdem lib. 10. Decad. 10. lib. 1. Decad. 4. Eiusdem epuli & Arnobius mentionem facit lib. 7. illudq; his verbis irridet: Iouis epulũ cras est: Iupiter enim cœnat, magnisq; implendus est dapibus, iamdudũ inedia gestiens, & anniuersaria interiectione ieiunus. Hinc Iupiter dictus videtur Dapalis à Latinis, vt à Græcis εἴλαμ νας, quòd nimirum ei sacra dapali epulo fierent. M. Cato in lib. de Re rustica, Dapem, inquit, hoc modo fieri oportet, Ioui dapali culignam vini quantamuis polluceto: eo die feriæ bubus, & bubulcis, & qui dapẽ facient: cum pollucere oportebit sic facies: Iupiter dapalis, quod tibi fieri oportet, in domo, familiaq; mea, culignã vini dapi eius rei ergò. Macte hac illace dape pollucenda esto: Minus interluito. Postea vinum sumito. Iupiter dapalis, macte istæce dape pollucenda esto. Macte vino inferiori esto. Vestæ, si voles, dato. Daps Ioui assaria pecunia, vrna vini Ioui castè. Profanate sine contagione.*

Iouis epulum quando celebrarum.

Nec verò Ioui tantùm, sed etiam cæteris dijs dapes fuerunt appositæ, quas Lectisternia *appellarunt. Lazius lib. 11. c. 5. Lectisternia, inquit, sacra erant conuiuia ex victimis & immolatis in templis deorum, à stratis lectis, quibus ordine discumbebatur, sic dicta. Eorum frequenter meminit Liuius: nec fieri consuesse à Romanis, ex multis eius authoris locis intelligitur, nisi impendente, aut iam premente atq; vrgente maximo aliquo malo. Sic aũt de origine eorum scribit lib. 5. ab vrbe condita: Tristem hyemẽ, siue ex intemperie cæli raptim mutatione in contrariam facta, siue alia quæ de causa, grauis pestilensq; omnibus animalibus æstas excepit: cuius insanabili pernicie, quando nec causa nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex senatusconsulto aditi sunt: Duumuiri sacris faciundis, Lectisternio tunc primum in vrbe Romana facto, per octo dies, Apollinem, Latonamq; & Dianam, Herculem, Mercurium atq; Neptunũ, tribus quàm amplissimè apparari tunc poterat stratis lectis placauere: priuatim quoq; id sacrum celebratum est, tota vrbe patentibus ianuis, promiscuoq; vsu rerũ omnium in propatulo posito, notos ignotosq; passim aduenas in hospitiũ ductos ferunt: & cum inimicis quoq; benignè ac comiter sermones habitos: iurgijs ac litibus tẽperatũ: vinctis quoq; dempta in eos dies vincula. Meminit etiam eorũ lib. 7. ab vrbe, T. Sulpitio Potito, inquit, quem alij Peticum nominant, & C. Licinio Coss. (qui fuit annus vrbis 391. iuxta Funccij supputationem) pestilentia fuit, & pacis deũm exposcendæ causa tertio tum post conditã vrbem Lectisternium fuit. Eodem libro, pestilentia, ait, ciuitatem adorta, coegit senatũ imperare Duumuiris, vt libros Sibyllinos inspicerent, eorumq; monitu Lectisternium fuit. Quartũ aũt hoc fuit, post conditam vrbẽ anno 408. T. Manlio Torquato, & C. Plautio Coss. lib. 8. Eodem, inquit, anno Lectisternium Romæ quinto post conditam vrbem, ijsdem, quibus antè, placandis habitum est dijs. Fuit autem is annus vrbis 428. C. Petilio & L. Papyrio Mugillano Coss. Et lib. 1. de Bello secundo Punico, Romæ, ait, & circa vrbem multa ea hyeme (fuit aũt annus vrbis 537.) Prodigia facta, aut (quod euenire solet motis semel in religionẽ animis) multa nuntiata, & credita temerè sunt, in quis ingenuum infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse, & foro boario bouem in tertiam contignationem sua sponte scandisse, atq; inde tumultu habitatorum territũ sese deiecisse: & nauiũ speciem de cælo affulsisse: & ædem spei, quæ in foro olitorio est, fulmine ictam: & Lanuuij hastam se cõmouisse: & coruũ in ædem Iunonis deuolasse, atq; in ipso puluinari consedisse: & in agro Amiterino multis locis hominum specie procul candida veste visos, nec tamen illos congressos, & in Piceno lapidibus pluisse: & Cære sortes extenuatæ: & in Gallia lupum vigili gladium è vagina raptum abstulisse. Ob cætera prodigia libros adire Decemuiri iussi sunt, quòd autem lapidibus pluisset in Piceno, Nouendiale sacrum indictũ, & subinde alijs procurandis propè tota ciui-*

Lectisternium quid.

Lectisterniorũ origo.

Lectisterniorũ ritus.

tas operata fuit. Iam primum omnium vrbs lustrata est, hostiaq; maiores, quibus dictum est, dijs cæsæ, & donum ex auri pondo quadraginta Lanuuium Iunoni portarum est: & signum æneum matronæ Iunoni in Auentino ædificarunt, & Lectisternium Cæræ, vbi sortes extenuatæ erant, imperatum, & supplicatio Fortunæ in Algido. Romæ quoque & Lectisternium Iuuentæ, & supplicatio ad ædem Herculis nominatim, deinde vniuerso populo circa omnia puluinaria indicta. Et iterum lib. 2. post multorum prodigiorum commemorationem, Ex libris, inquit, Decembri iam mense ad ædem Saturni immolatum est Romæ, Lectisterniumq; imperatum, & eum lectum senatores strauerunt, & conuiuium publicum. Et paulò post: Votis ritè nuncupatis, supplicatio edicta: supplicatumq; vt cum coniugibus ac liberis non vrbana multitudo tantùm, sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna publica quoq; contingebat. Curatum Lectisternium, & per triduum habitum, Decemuiris sacrorum curantibus, & puluinaria in conspectu fuere, Ioui & Iunoni vnum, alterum Neptuno & Mineruæ, tertium Marti ac Veneri, quartum Apollini & Dianæ, quintum Vulcano ac Vestæ, sextum Mercurio ac Cereri. Lectisternium autem Ioui, Iunoni & Mineruæ Romæ in Capitolio fiebat, hoc modo: Iouis simulachrum statuebatur in lecto recubans: Iunonis & Mineruæ imagines in sellis considebant: deinde multa nocte appositis epulis, septem epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant.

Epulones qui.

Hi verò epulones huiusmodi solennitates indicendi potestatem habuerunt. Eorum tres primùm belli Macedonici temporibus Romæ creati fuerunt, qui triumuiri epulones fuerunt appellati, teste Liuio lib. 3. belli Maced. His autem tribus postea duo additi, vt quinq; essent: ac tandem theatralium ludorum, atq; Circensium ambitione ad septem vsq; fuerunt producti, qui Septemuiri epulonum fuerunt appellati.

Christiani ab huiusmodi Lectisternijs ita abhorruerunt, vt mortem oppetere, quàm illa celebrare maluerint, quod Marcelli Episcopi Romani ac multorum aliorum historiæ testantur.

LVDI PLEBEII.

Ludi Plebeij quando instituti.

VEtus Calendarium & id sequuti Gyraldus, Iunius, ac Reusnerus, ludos Plebeios spectatissimos ad diem 12. Nouemb. referunt, qui exactis Regibus, pro plebis libertate primùm dati sunt. Nonnulli tamen post secessionem ad sacrum montem institutos ferũt, ob consociatos Patrũ & plebis animos: hos postea L. Sylla, perdomitis hostibus, magna plebis expectatione restituit: quorum Ædiles plebis arbitri & moderatores erant. In eorum celebritate seruatum, vt quoties instaurarentur, ab Ædilibus ludorum causa, Iouis epulum daretur. Sic enim Liuius li. 5. secundi belli Punici: Ludi plebeij per biduum instaurati, & Iouis epulum fuit ludorum causa. Eadem leguntur lib. 7. & lib. 9. in fine. Item lib. 3. de Bello Maced. Hos cum Romanis ludis semper fuisse simul datos ex multis locis Liuij intelligitur.

BRVMALIA.

Bruma vnde dicta.
Brumalia quando celebrata.

BRuma à breuitate dierum dicta, Pompeio auctore, quasi Βραχύμερον, tempus illud est, quum breuiores sunt dies. Et, vt ex Florentino Principe Paulus Marsus in Commentarijs ad lib. 1. Ouidij Fastorum & Merula in Comment. in Elegiam 12. lib. 3. Tristium eiusdem, indicãt, ab octauo Calendarum Decembrium vsq; ad nonum Calendarum Ianuar. celebrabantur festa Brumalia. De hoc festo Cælius lib. 15. cap. 24. ex Græcorum Collectaneis rei rusticæ hæc annotat: Democritus & Apuleius talem expectari hyemem aiunt oportere, cuiusmodi fuerit dies festus, quem Brumam vocant Romani: est autem quarta & vicesima Dij mensis, qui est Nouember. Hæc ille.

Brumalia non Bacchi festum.

Proclus tamen alijq; in Commentarijs ad Hesiodi libros de Re rustica, per Brumalia Bacchi intelligũt festa, quæ & Dionysia, ac bis quotannis celebrabantur: dicta tunc à Brumo, quo nomine Bacchum appellarunt. Vide Cælium Rhod. lib. 28. cap. 25. & Gyraldum de Dijs gentium Syntag. 8. Sed Orpheus, alijq; Bacchum Βρόμιον, non Βρεμον appellarunt, à

sonitu

sonitu tonitrus & fulminis in ortu eius edito. Bruma autem, Græcè Βρῦμος *nusquam, quod ego quidem sciam Bacchum, sed quandoq; significat solstitij hyemalis diem, qui est ad 18. Cal. Ian. quandoq; hyemẽ totam, aut saltem frigidissimam illam hyemis partẽ, qua dies sunt breuissimi, quasi* βραχυμερος *vt diximus. Significat etiam Bruma & Brumalia diẽ festum, qui tempore illo celebrabatur. Cælius quoq; lib. 27. ca. 24. per Brumalia partem illam hyemis quæ est circa solstitium, aut etiam hyemem totam intelligit, cùm dicit: Brumalia instituit Romulus, quibus conuiuio excipiebatur Senatus, quum necessarium diceret, ab rege suo ali senatum, nullis obstrepentibus bellis.*

FERIAE GALLIS ET GRAECIS DE-FOSSIS celebratæ.

VEtus Calendarium Ferias Gallis & Græcis in foro Boario defossis *celebratas Romæ ad diem Nou. 27. ponit. Harum feriarum originem Plutarchus in Quæstionibus Romanis, quæst. 83. his verbis exponit. Cur Romani, quum audiuissent à Bletonesijs, qui est populus barbarus, immolatum dijs hominem esse, eorum magistratus accersiuerunt, vt pœnas de ijs sumerent: quum autẽ appareret, legis cuiusdam iussu id factum, missos eos fecerunt, sed isto sacrificio in posterum interdixerunt: ipsi autem non multis antè annis, duos viros totidemq; mulieres in foro boario, alteros Græcos, alteras Gallas, viuos defoderunt? Videtur enim absurdum ista facere, & barbaris tanquam nefaria exprobrare eadẽ. An dijs immolare homines, nefas putabant: genijs autem, necessitatẽ cogere? Aut qui consuetudine ac lege ista sacrificia recepissent, eos peccare existimantes, ipsi Sibyllinis libris mandantibus istud fecerunt? Narrant enim Elbiam quandam virginem equo vehentem fulmine ictam, repertumq; fuisse equum nudum iacentem, nudam quoq; virginem ipsam, tanquam dedita opera vestibus à genitali membro reductis, calceis, annulis, capitisq; redimiculo hinc inde dispersis, lingua extra os exserta. Tum vates respondisse, ingens opprobrium sacris virginibus oblatum, foreq; vt publicè id innotesceret, sed & equitum coniunctum fore quoddam dedecus. Ibi barbari cuiusdam equitis seruum indicium detulisse de tribus Vestalibus virginibus Æmilia, Licinia & Martia, sub idem tempus vitiatis, & quæ iam diu cum viris incestam consuetudinem habuissent, de quibus viris esset etiam Butetius indicis dominus. Et Vestales quidẽ criminis conuictas, pœnas dedisse. Cæterùm vt atroci in re placuisse, vt à sacerdotibus Sibyllini libri consulerentur. Ibi inuenta fuisse oracula, quæ euentura isthæc & malum publicum allatura prædicerent: cuius auertendi causa peregrinis quibusdam & alienis genijs duos Græcos, totidem Gallos homines viuos eo in loco defossos Romani iubebantur dedere. Eorum parentatio quotannis eo quo diximus die celebrabatur. Meminit etiam Liuius lib. 2. Dec. 3.*

Festi huius origo.

CAPVT XXIX.

Festa quæ mense DECEMBRI à Græcis sunt celebrata.

ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑ.

ΠΟσειδώνια, quæ Hesychius Ποσειδία *vocat, festum fuit apud Atticos, quod in honorem Neptuni celebrarunt mense* Ποσειδεῶνος, *vnde & nomen habet. Meminit eius Athenæus lib. 13. cap. 20. vbi dicit, Aristippum Philosophum singulis annis duos menses in Ægina* τοῖς Ποσειδωνίοις, *hoc est, Neptunaliorum tempore apud Laidem meretricem commoratum fuisse. Et rursus eodem libro ca. 22. dicit, Phryne scortum nobilissimum* τῇ τῶν Ποσειδωνίων *in omnium Græcorum conspectu vestes soluisse & comas, & sic ad mare veniisse. Apellemq; ab ipsa Venerem emergentem (*τὴν ἀναδυομένην*) pinxisse.*

CAPVT XXX.

De Festis quæ DECEMBRI mense apud Romanos sunt celebrata.

FAVNALIA.

Faunaliorum dies & ritus.

CELEBRABANTVR quidem Faunalia *Idibus Februarij in Insula Tiberina, & paulò post Idus Lupercalia, quæ Fauni esse supra ostendimus. Sed Nonis Decembris quoq; huic Deorem diuinam faciebant, & festum diem in eius honorem agebant, in quo agrestes vicatim saltare consueuerunt. Existimabant enim deum hunc ritè & diligenter sibi reconciliandum, cuius vim magnam ad nocendum rusticorum & agrestium præsertim pueris esse credebant. Porphyrio in libro de responsis indicat, nouem simul homines in quodam Branchidarum agro mortuos esse, nullam aliam ob causam quàm quòd Faunum vidissent. Interrogantibus enim quæ nam causa necis eorum esset, sic Apollinem respondisse testatur:*

Toruus Dionysij famulus Pan, auriq; cornis,
Per nemora obscura gradiens, montesq; per altos,
Pinum vna atq; alia resonans syringa tenebat,
Gestabat manu, multos is corpore vasto
Prostrauit, mortiq; viros dedit horridus ille.

Habuit is deus bina Romæ templa: vnum in Tiberina insula, in quo sacrum annuum ei Idibus Feb. fecerunt: alterum in Cælio monte, circulari forma, plurimis in ambitu columnis adornatum, in eo Nonis Decembris de hædo & vino rem diuinam ei fecerunt, vt indicat Horatius lib. 3. Carminum, Ode 18. quam integram adscribam, quòd huius solennitatis ritum paucis comprehendat:

Faune nympharum fugientium amator
Per meos fines & aprica rura
Lenis incedas: abeasq; paruis
Lenis alumnis.
Si tener pleno cadit hædus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Cùm tibi Nonæ redeunt Decembres:
Festus in pratis vacat otioso
Cum boue pagus.
Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agrestis tibi silua frondes,
Gaudet inuisam pepulisse fossor
Per pede terram.

SEPTIMONTIA.

Septimontia cur instituta.

SEptimontia *vetus Calendarium & Adrianus Iunius in Fastis ad 3. Idus Decemb. seu ad 11. diem eiusdem mensis ponunt. Feriæ autem istæ institutæ fuerunt, propter adiectum septimum vrbi Romæ collem, vt Plutarchus testatur Problemate 69. Ijs septem in locis sacrum fieri Antistius Labeo & Varro significant, Palatio, Suburra, Velia, Fagutali, Cælio, Oppio, Cespio. Eodemq; die per vrbẽ vehiculis, quæ iumentis traherentur, ferri, criminosum erat: vel, vt quidam Romanarum rerum scriptores putant, quia vrbis partes non fuerunt omninò inter se coniunctæ: Vel quòd, quum vrbe condenda magnũ opus peregissent, iamq; vlterius incrementum vrbis nullum animo conciperent, quietem cùm sibi tùm iumentis, quorum*

tis, quorum opera fuissent vsi, per istas ferias parauerunt. Aut quum vellent omnes festiuitates ciuium præsentia ornari, eam verò imprimis quæ ob contractas in vnam multas vrbis partes instituta erat, ciuibus vsu vehiculorum iumentariorum ista die interdixerunt, ne vrbe, cui dies agebatur festus, exirent: vt Plutarchus suprà citato loco refert. Quocirca miror cur Alexand. ab Alexand. lib. 6. cap. 11. scribat, festum hoc Paganalia appellatum, quòd non populi & ciuium, sed montanorum tantum & agrestium dies festus esset. In fragmento Sexti Pompeij ex vetustissimo exemplari Bibliothecæ Farnesianæ descripto sic legitur: Septimontium dies appellatur mense Decembri, qui dicitur in Fastis Agonalia, &c. inde fortasse natus error apud Alexandrum. Suetonius in Domitiano, Septimontialem diem nominat, in quo Domitianus epulum largissimum dederit, Senatui, equitiq́ue panarijs, plebi sportellis cum obsonio distributis, dieq́; proximo omne genus rerũ missilia sparserit.

LANCIONICI Ludi.

VEtus Calendariũ, & id Gyraldus ac Iunius in Fastis sequuti, ad Pridie Idus Decem. Lancionicos Ludos ponunt, per dies septem durantes: sed qui, aut quales fuerint Lazius quoq; se nondum comperisse fatetur, lib. 10. cap. 15. de Repub. Romana.

IDVVM Decembris solennitas.

IDus Decembres solennes fuerunt, quòd in cursu equorum victorem dexterioris bigæ Marti immolarent, autore Plutarcho Problemate 97. vel, quòd equo Troiam captam putantes, hac ratione equum plectunt Romani, vt qui sint, Troũm splendida proles natis mixta Latinũm: vel, quòd animosum est animal, iracundum, ferox ac bellicosum, ideoq́ue Marti gratum. Dijs enim ea potissimùm immolant, quæ eis accepta sunt & conuenientia. Victor autem equus mactabatur, quia deo victoriam acceptam esse ferendam existimarunt. Vel, quòd stataria pugna opus esset Martis, victoriamq́; stando suos ordines qui seruant de fugientibus reportant: itaq; monere suos ciues hoc sacro voluerunt Romani, puniri celeritatem vt fugæ commeatum, nec fugientibus salutis reliquam esse fiduciam, vt Plutarchus dicto loco scribit. Vbi tamen notandum, Plutarchum hoc sacrum non diuersum ab eo facere, vt Pompeius & Alexand. ab Alexandro, quod suprà mense Octobri descripsimus.

Id Decemb. solennitatis ritus & origo.

DE LVDIS EQVESTRIBVS omnis generis.

QVinque autem generum, qui equis fiebant, ludos commemorat Lazius lib. 10. cap. 14. de Repub. Romana: hoc est, Prodromum, quum equi ad metam à carceribus emissi, contentione insidentium currebant: cursum vehicularium, cursum decursorium circa rogum, ludos Seuirales, ludos Neptunales, & Equestres. *Ad primi generis cursum, qui in Republica Rom. Idibus Decembris celebrabatur, & aliquibus in locis Germaniæ adhuc hodie vsurpatur, alludit Liuius lib. 1. Decad. 5. Describit huiusmodi ludum Tranquillus in Caligula. Sub hoc genere ludorum erant Ludi* SEVIRALES & NEPTVNALES: *de quorum primo Capitolinus ita meminit in Marci historia: His ita gestis, adhuc quæstorem & Consulem secum Pius Marcum designauit, & Cæsaris appellatione donauit: & seuirum turmis equitum Romanorum, iam Consulem designatum, creauit: & edenti cum collegis ludos Seuirales assedit, & in Tiberinam domũ transgredi iussit.* NEPTVNALES *autem ludi Cursorij bis in anno dabantur, vndecimo Calend. Iulij, & 15. Calend. Augusti: quorum Ouidius in Fastis meminit. Erant & ludi* EQVESTRES, *qui in decursionibus funebribus militaribusq; fiebant in gyrum, non à carceribus ad metam, vt eleganter describit Herodianus, lib. 4. de consecratione Seueri Imperatoris loquens: Vbi verò ingens aromatum aceruus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant,*

Ludorum equæst quinque genera.

vniuersis equestris ordinis certa quadam lege, ac recursu motuq; Pyrrichio, numeroq; in orbem decurrentibus. Postremum huius ludi genus bigis quadrigisq; fiebat, à carceribus ad metam currentibus: quem morem Hungari adhuc obseruant.

SATVRNALIORVM Solennitas.

De Saturnaliorum origine tres sententiæ.

DE Saturnaliorum Origine tres ferè opiniones commemorat Macrobius lib. 1. Saturnal. Prima hæc est: Ianus Italiæ Rex quum Saturnum classe aduectum hospitio

1. *excepisset, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum, & rudem ante fruges cognitas victum, in melius redegisset, in regni societatem eum asciuit. Eo verò ex rebus humanis exempto, Ianus adhuc superstes, primum terram omnem sibi subiectam Saturniam nominauit: Aram deinde cum sacris tanquam deo condidit, quæ* SATVRNALIA *nominauit.*

2. *Alia Saturnaliorum origo sic traditur: Comites quosdam è suis Hercules in Italia reliquit, vel iratus, quòd incustoditum fuit armentum, & à Caco subreptum: vel consultò, vt aram suam atque ædem ab incursionibus tuerentur. Illi ergo quum à latronibus infestarentur, occupato edito colle, Saturnios se nominauerunt, quo antè nomine etiam idem collis vocabatur. Et quia se eius dei senserunt nomine ac religione tutos, instituerunt* SATVRNALIA *festa, vt agrestes vicinorum animos, ad maiorem sacri reuerentiam ipsa indicti festi obseruatio vocaret.*

3. *Tertia est opinio, quòd Pelasgi (sicut Varro memorat) cùm sedibus suis pulsi, diuersas terras petijssent, confluxerunt plerique Dodonam: & incerti quibus adhærerent locis, eiusmodi accepere responsum:*

Στείχετε μαιόμενοι Σικελὴν Σατύρνιον αἶαν
Ἣν δ' ἀβοηγενέων κοτύλῳ ἔνι νᾶσος ὀχεῖται
Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτῳ ἐκπέμψατε φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς ἄδην, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φάτα.

Acceptaq; sorte, quum Latium post errores plurimos appulissent, in lacu Cutulienſium deprehenderunt insulam natam. Hoc igitur obseruato miraculo, has sibi sedes prædictas esse dixerunt: vastatisq; Sicilienſibus incolis occupauere regionem, decima prædæ secundum Apollinis responsum ei Deo consecrata, erectis Diti sacello, & Saturno ara, cuius festum SATVRNALIA *nominauerunt.*

Saturnaliorum antiquitas.

Ex his causis quæ de Origine huius festi relatæ sunt, apparet Saturnalia vetustiora esse vrbe Romana: adeò vt ante Romam in Græcia hoc solenne cœpisse Lucius Accius in Annalibus suis referat his verbis:

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximæ Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Cumq; diem celebrant, per agros vrbesq; ferè omnes
Exercent epulis læti, famulosq; procurant
Quisq; suos, nostriq; itidem, & mos traditus illinc
Iste, vt cum dominis famuli epulentur ibidem.

Refert enim Macrobius lib 1. Saturnal. ex Philochoro, Cecropem Saturno & Opi primùm in Attica statuisse aram, eosq; deos pro Ioue & terra coluisse, instituisseq;, vt patres familiarum & frugibus & fructibus iam coactis, passim cum seruis vescerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure tolerauerant: delectari enim deum honore seruorum contemplatu laboris. Apud Cretenses quoque per Mercurialia festa, HERMAEA *dicta, idem etiam obseruatum fuit, vt Carystius testatus est in Commentarijs historicis. Nam conuiuantibus seruis domini illis seruiebant atque ministrabant. In Trœzene verò Geræstione mense per multos dies fiebat conuentus,* PANEGYRA *dictus, quorum in vno serui cum ciuibus vnà ludunt astragalis: & seruis domini conuiuium præbent, vt asserit Carystius. Berosus autem*

in libro

in libro de Babylonicis rebus primo, ad 16. Calen. Sept. scribit festum SACAEA vocatum, per dies quinq; agi solitum in Babylonia, in quibus mos fuerit, vt serui dominis imperitarent, atq; vnus eorum educeretur ex domo stolam regiæ simulem indutus, quem Zoganem appellarint: cuius etiam festi mentionem facit Ctesias lib. 2. Persicarum rerum. Macrobius rursus & Athenæus libro 14. cap. 17. Batti Sinopensis testimonio ex Oratione de Thessalia & Hæmonia confirmant, hoc Saturnaliorum festum omninò Græcum esse, cui simillima sit certa quædam Thessalorum festiuitas Peloria dicta. Vt non sine causa Verrius Flaccus in eo libello qui Saturnus inscribitur dicat, Saturnaliorum dies apud Græcos quoq; festi habentur, vt Macrob. lib. 1. indicat. Cæterùm si diligenter ea perpendamus, quæ mox referemus, videtur posse colligi antiquissimum hoc Saturnaliorum festum promanasse ex illo longè antiquiore Tabernaculorum, siue Scenopegiæ festo, quod peracta messe seu vindemia, collectis iam reconditisq; frugibus mense septimo à Iudæis Dei iussu septem dierum spacio celebratum fuit, quo tempore tam seruis, quàm liberis sub tentorijs feriari, epulariq; summa cum lætitia fuerat concessum, vt constat ex Leuit. 23. & Deut. 16.

Saturnalia Romæ quando instituta.

Romæ autem tunc primum Saturnalia instituta fuisse Macrobius author est, quando Tullus Hostilius bis de Albanis, de Sabinis autem tertio triumphasset, & tum ex voto templum Saturno consecrasset, Quamuis Varro libro 6. qui est de sacris ædibus, scribat, ædem Saturni ad forum faciendam locasse Lucium Tarquinium regem: Titum Largium verò Dictatorem Saturnalibus eam dedicasse. Gellius etiam scribit, Senatum decreuisse, vt ædes Saturni fieret, eique rei Lucium Furium tribunum militum præfuisse. T. Liuius libro 2. ab vrbe condita scribit, triennio postquam A. Posthumius Dictator ad lacum Regillum cum Latinis & exulibus pugnasset, eosque vicisset, ædem Saturno dedicatam, Coss. A. Sempronio Atratino & M. Minutio Augurino, & tunc primùm Saturnalia festa instituta, qui fuit annus vrbis 257. Idem author lib. 2. Punici belli 2. mox ab initio sic scribit: Ex libris Decembri iam mense ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumq; imperatum, & eum lectum Senatores strauerunt, & conuiuium publicum, ac per vrbem Saturnalia, die ac nocte clamatum, populusque eum diem festum habere ac seruare in perpetuum iussus.

Saturnalia quot diebus celebrata.

Primò autem Saturnalia vno tantum die, id est, decimo quarto Calendarum Ianuariarum solita sunt celebrari. Sed post in triduum propagata, primùm ex adiectis à Cæsare huic mensi diebus, deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. De quo Macrobius lib. 1. Saturnal. sic scribit: Apud maiores nostros Saturnalia die vno finiebantur, qui erat ad quartum decimum Calendas Ianuarias. Sed postquam C. Cæsar huic mensi duos addidit dies, sextodecimo cœpta celebrari. Ea re factum est, vt quum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, nonnulliq; à C. Cæsare inserto die, & alij vetere more celebrarent, plures dies Saturnalia numerarentur. Licet & apud veteres opinio fuerit septem diebus peragi Saturnalia: si opinio vocanda est, quæ idoneis firmatur authoribus. Nouius enim probatissimus Attellanarum scriptor ait: Olim expectata veniunt septem Saturnalia. Mummius quoq;, qui post Nouium & Pomponium diu iacentem artem Attellaniam suscitauit, Nostri, inquit, maiores velut benè multa instituere, hoc optimè à frigore fecere summo, dies septem Saturnalia. Sed Mallius ait, eos qui se Saturni nomine & religione defenderant, per triduum festos instituisse dies, & Saturnalia vocauisse. Vnde & Augustus huius inquit rei opinionem secutus, in legibus iudiciarijs triduo ferias seruari iussit. Masurius & alij vno die, id est, decimo quarto Calendas Ianuarij affuisse Saturnalia crediderunt. Quorum sententiam Feneſtella confirmat dicens, Æmiliam virginem decimo quinto Calendarum Ianuariarum esse damnatam. Quo die si Saturnalia gererentur, nec causam omninò dixisset. Deinde adiecit, Sequebantur eum diem Saturnalia. Mox ait: Postero autem die qui fuit decimus tertius Calendarum Ianuariarum, Liciniam virginem vt causam diceret iussam: ex quo ostendit decimo tertio Calendas profestum esse. Ex his ergo omnibus colligi potest, ab initio vno die Saturnalia fuisse, & non nisi decimo quarto Calendarum

Ianuariarum celebrata, quo solo die apud ædem Saturni conuiuio soluto, Saturnalia clamitabantur. Postea in triduum sunt propagata. Deinde Sigillariorum adiecta celebritas, in septem dies discursum publicum, & lætitiam religionis extendit. Deniq; rursus detractis duobus diebus, ad quinq; dies Saturnalia redierunt. Hinc Martialis Saturnaliorum dies modò quinq; nominat, modò septem. Ad hos dies festos Cicero respiciens de Inuentione, Senatus, inquit, frequentior fuit, quàm putabamus esse posse mense Decembri sub dies festos.

Saturnaliorum ritus. 1

In Saturnaliorum autem festo seruos suos domini conuiuijs liberalibus & lautis excipiebant, ipsi muneribus seruilibus fungebantur, seruis impunè, quicquid liberet, licebat loqui, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. Et Athenæus lib. 14. idipsum his verbis confirmat: ταῖς τῶν ἀρχαίων ἡμέραις ἔθος ἦν ὅτι ῥωμαίων παρὰ πᾶσιν ἐστιν, τοὺς οἰκέτας ἀνεῖσθαι τοῖς δεσπόταις ἀναδεχομένους λειτουργίας: id est, Saturnaliorum diebus moris est apud Romanos, vt seruos suos conuiuijs excipiant, ipsiq; seruorum munere fungantur. Quale etiam festum fuisse Nonas Caprotinas supra diximus, in quo tandem ancillæ ἐσκιωμέναι καθέζονται κλάδοις συκῆς σκιαζόμεναι, hoc est, epulantes considebant ficulneis ramis obumbratæ. Simile quid etiam obseruatum Idibus Augusti apud Romanos Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 18. indicat. Ad hunc Saturnaliorum morem Horatius alludit lib. 2. Satyra. 2.

——— age, libertate Decembri
(Quando ita maiores voluerunt) vtere, narra.

Hinc & pileos, quod signum libertatis olim fuit, serui hoc festo gestabant, & ingenuorum calceis induebantur, vt Porphyrio indicat. Lucianus ἐν τῷ πρὸς Κρόνον, de Saturnalibus multa tradit. In primo Dialogo Saturnum sic loquentem inducit: καὶ δὴ τοῦτο ἀπαντάχοῦ κρότος, καὶ ᾠδή, καὶ παιδιά, καὶ ἰσοτιμία πᾶσι καὶ ἑλευθερίοις, καὶ ἐλευθερίοις. Οὐδεὶς γὰρ ἐπ' ἐμοῦ δοῦλος ἦν: id est, Atq; idcirco vbiq; plausus, & cantus, & ludus, & honoris æqualitas omnibus cùm seruis tùm liberis. Neq; enim me regnante seruus erat. Vnde Catullus ad C. Licinium Caluum, Saturnalia optimum diem appellat, quòd nimirum aurei illius seculi, quod Saturno regnante fuisse dicitur, imaginem referebat, memoriamq; repræsentabat, quo nondum erat auditum seruitutis nomen.

2. Præterea in Saturnalibus non modò à dominis serui conuiuijs excipiebantur, sed etiam amici & familiares inter se mutitabant, hoc est, mutuas inter sese cœnas epulationesq; agitabant. Ob quas causas December in quo hæc fiebant aptus genijs seu genialis ab Ouidio appellatur lib. 3. Fast. inquiens: Acceptus genijs illa December habet.

3. Bellum porrò in hoc festo sumere nefas habitum, quòd sub Saturno tempora felicissima fuissent, nullis bellis vexata, nullisq; infestata latronibus. Eaq; causa fuit, vt Romani ædem Saturni ærarium esse voluerint, quòd nullum sub eo furtum in Italia commissum, siue quòd sub eo nihil erat cuiusquam priuatum, nec signare solum, aut partiri limite campum fas erat, Macrobio auctore lib. 1.

4. Pœnas quoque ijsdem diebus exigere piaculare erat, vt Macrobius refert lib. 1. cap. 10.

5. Adhæc munera sibi vltrò citroq; mittebant Saturnalibus, quæ Tertullianus Saturnalitia vocat, sub finem libri de Persequutione: Scilicet enim, inquit, talem pacem Christus ad patrem regrediens mandauit à militibus per Saturnalitia redimendam. Eadem ab Hieronymo Saturnalium sportulæ vocantur: de quibus hæc illius sunt verba notatu digna, in Epistolam Pauli ad Ephesios, quæ etiam in Canonicis Decretis inueniuntur. Legant, inquit, Episcopi atq; Presbyteri, qui filios suos secularibus eruditi literis, & faciunt illos Comœdias legere, et mimorum turpia scripta cantare, de ecclesiarum sumptibus forsan eruditos, et quod in corbonam pro peccato virgo, vel vidua, vel substantiam suam totam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in Calendarum Strenam, & Saturnalium sportulam, & Mineruale munus è mercedula magisterij à Scholasticis dari solita Grammaticus & Rhetor aut in sumptus domesticos, aut in templi stipes, aut sordidum conuertit in lucrum. Dicta quoq; sunt Xenia & Apophoreta. Vnde Suetonius in Vespasiano: Dabat, inquit, sicut Saturnalibus viris apophoreta, ita per Calendas Martias fœminis. Sed tamen Apophoretorum nomine

appellabantur

appellabantur etiam solennes in Saturnalibus cœnationes, quibus se mutuò excipiebant, & ad quas muneribus certabant. Hinc est illud Suetonij in Caligula: Prasinæ factioni ita addictus & deditus, vt cœnaret in stabulo assiduè, & maneret: agitatori Eutycho commessatione quadam in apophoretis vicies sestertium contulit. Ratio autem mittendorum Saturnalibus munerum hæc erat, vt viderentur sibi inuicem gaudere, & gratulari, & Saturno atq; Opi gratias agere, quòd fruges fructusq; ad vitæ cultum necessarios percepissent. Quæ autem & qualia ea munera fuerint, ex Suetonio colligitur, qui in Octauij Augusti Cæsaris historia, Saturnalibus, inquit, & si quando aliàs libuisset, modò munera diuidebat, vestem, & aurum & argentum: modò numos omnis notæ, etiam veteres regios, ac peregrinos: interdum nil præter cilicia, & spongias, & rutabula, & forpices, atq; alia id genus titulis obscuris & ambiguis. Mittebantur etiam inter cætera munera, Cerei. Nam quum Pelasgi in Italia ex responso diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placassent: Herculem ferunt postea cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem suasisse illorum posteris, vt faustis sacrificijs infausta mutarent, inferentes Diti, non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem arte simulata, & aras Saturnias, non mactando viros, sed accensis luminibus excolentes: quia non solùm virum, sed & lumina significat φῶτα, quæ dictio in oraculo continebatur, & occasionem errandi dabat. Inde mos per Saturnalia mittendis cereis cœpit. Alij cereos non ob aliud mitti putant, quàm quòd hoc principe ab incomi & tenebrosa vita, quasi ad lucem & bonarum artium scientiam editi simus. Illud quoque memoriæ proditum est, quòd quum multi occasione Saturnaliorum per auaritiam à clientibus ambitiosè munera exigerent, idq; onus tenuiores grauaret, Publicius tribunus plebis tulit, vt non nisi cerei ditioribus mittarentur, vt refert Macrobius lib. 1. Saturnaliorum. Hæc autem consuetudo mittendi cereos, adhuc in Pontificia religione in Purificationis Mariæ festo obseruatur, vt suo loco indicabitur.

Apud Cyrenenses verò Saturno rem diuinam facturi, ficis ornabantur, nec cereos, sed placentas mittebant, quòd mellis repertorem esse ducerent, teste Alexand. ab Alexandro lib. 2. cap. 22.

Fuit præterea moris in Saturnalibus, vt serui sumerent vestitum dominorum, & contrà domini seruorum. Sumebant autem domini omnes illis diebus togis depositis Synthesim, hoc est, vestem breuem & negotijs aptam. Fuit ergo Synthesis vestis Saturnalitia, Saturnalibus vsurpari solita, vt constat ex illo Martialis Epigrammate, cui titulus est Synthesis: 6.

Dum toga per quinas gaudet requiescere lucet
Hos poteris cultus sumere iure tuo.

Vnde simul intelligitur per quinque dies Saturnalia agi fuisse solita.

Et rursum: Synthesibus dum gaudet eques, dominusq; senatus
Atque decent nostrum pilea sumpta Iouem.

Fortasse autem Synthesis, inquit Beroaldus in Suetonio, dicta videri potest, quòd consuta contextaq; esset compositione quadam versicolore. Turnebus in suis Aduersarijs existimat, Synthesim elegantiorem & lautiorem fuisse vestem, qua populo Romano certis diebus publicè, vt Saturnalibus, vti licebat, quum Romæ quo quis vestitu vellet, vti non liceret, togasq; ferre cogerentur, & idcirco Synthesim putat dictam, quòd quum ea rarò vterentur, domi composita habebant in arcis aut præl is. Huc pertinet quod Dion historicus scribit: quum tumultuarentur quondam milites, qui eos sedaret à Claudio missum esse libertum Narcissum, potentia tunc formidolosum: quumq; suggestum velut concionaturus conscendisset, hominis indignitatem molestè tulisse milites, ideoq; complures vulgatum id succlamasse, Io Saturnalia: exprobrantes ei, quòd quum seruus & tenuis conditionis homo antea fuisset, nunc de repentè splendida veste ingenuo similis ad eos prodiret.

Hæc autem vestium mutatio non tantùm in Saturnalibus, verùm etiam in Quinquatribus minoribus, in Megalensibus, Lupercalibus, Bacchanalibus, & alijs festis fieri solita fuit, vt supra indicauimus. Illam ab Hercule defluxisse Ouidius lib. 2. Fast. docet, ibi enim Vestium mutationis origo.

Fauni sacra describens, indicat Herculem cum Lyda puella in Bacchi sacris vestem mutasse, & Faunum, qui deperibat virginem illam, quum in antro obscuro comprimere eam vellet, in Herculem incidisse, pudefactumq; auffugisse.

7. *His deniq; oscillis, seu osiculis osseisq; vel fictilibus paruis imagunculis, quarum supra quædam facta est mentio, pueri ludebant. Erant & tesserulæ oscilla, quibus licebat impunè in hac Saturnaliorum solennitate ludere, vnde & OSCILLARIVM ludorum nomen accepit.*

SIGILLARIA.

Sigillaria quid & eorum ritus.

VEnio nunc ad Sigillaria, quæ pars siue species erant Saturnalierum, à genere muneris, quod tunc donabatur, sic appellata: videlicet sigillis, id est, paruis signis, siue simulachris, quæ partim ex ære, argento & auro, partim etiam ex fictili materia conflabantur. Meminit Suetonius in Claudio: Tiberius patruus, inquit, petenti honores, consularia ornamenta detulit. Sed instantius legitimos flagitanti, id solùm codicillis rescripsit, quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria misisse ei. Spartianus in historia Adriani: Saturnalia, ait, & Sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit, & alia inuicem dedit. Idem in vita Caracallæ: Quæ à parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel magistris sponte donauit. Huc pertinet & illud Senecæ lib. 1. Epistolarum: Ego sum felicior, cui solebas sigillaria offerre. Flauius Vopiscus tradit, Aurelianum instituisse vxori & filiæ annulum sigillaritium.

Sigillariorum origo.

Cæterum originem Sigillariorum Macrobius lib. 1. Saturnal. his verbis tradit: Epicadus, ait, refert, Herculem occiso Geryone, quum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc Sublicius dicitur ad tempus instructo hominum simulachra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in flumen demisisse, vt aqua secunda in mare deuecta, pro corporibus defunctorum veluti patrijs sedibus redderentur: & inde vsum talia simulachra fingendi inter sacra mansisse. Sed mihi, inquit, illa origo verior existimatur, quam paulò ante etiam in Saturnalibus retuli: Pelasgos postquam felicior interpretatio, capita, non viuentium, sed fictilia, & φωτὸς æstimationem, non solùm hominem, sed etiam lumen significare docuisset: cœpisse Saturno cereos potius accendere, & in sacellum Ditis, aræ Saturni cohærens, oscilla quædam pro suis capitibus ferre. Ex illo traditum, vt cærei Saturnalibus missitarentur, & sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur: quæ homines pro se atq; suis piaculum pro Dite Saturno facerent. Ideò Saturnalibus talium commerciorum celebritas cœpta, septem occupat dies, quos tantum feriatos facit esse, non festos omnes. Hucusq; Macrobius. Idem auctor eodem libro cap. 10. scribit: In his sigilla, id est, parua signa missitabant, vt in Saturnalibus cereos. Et sic intelliguntur versus Martialis in Apophoretis:

Gloria tam parui non est obscura sigilli. *Et rursum:*
Sum fragilis, sed tu moneo ne sperne sigillum.

Sigillaria vicus Romæ.

Fuit & vicus Romæ percelebris quem Sigillaria vocarunt: de quo sic Suetonius in Claudio: Essedum argenteum, inquit, sumptuosè fabrefactum, & venale ad Sigillaria redimi, concidiq; coràm imperauit. Idem in Nerone: Sporum Romæ circa Sigillaria comitatus est. Et A. Gellius Noct. Attic. Apud Sigillaria, ait, fortè in libraria ego & L. Paulus consedebamus. Nomen factum loco à rebus quas ibi venum exponebant, & vasis signisque exquisitæ artis quæ ex ære argentoq; fabrefieri solebant, quæq; Sigillaria appellabant. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 4.

OPALIA.

Opalia quando celebrata & vnde dicta.

DIes ille, quo solo ab initio Saturnalia celebrata fuisse supra ex Macrobio ostendimus, hoc est, 14. Calend. Ianuar. progressu temporis Opalibus *tantùm inter Saturnalia deputatus fuit, quum primum Saturno pariter & Opi fuerit adscriptus, eodem auctore. Hanc autem Deam Opem, à qua Opalia festa, Saturni coniugem crediderunt, et ideò mense*

Decembri

Decembri Saturnalia, itemq; Opalia celebrarunt, quòd Saturnus eiusq; vxor, tam frugum, quàm fructuum repertores esse credantur. Itaq; omni iam fœtu agrorum coacto ab hominibus hi Dij colebantur, quasi vitæ cultioris authores, quos etiam nonnullis cœlum & terram esse persuasum est: Saturnumq; à satu dictum, cuius causa de cœlo est: & terram Opem, cuius ope humanæ vitæ alimenta quæruntur, vel ab opere, per quod fructus fruges q; nascuntur. Huic Deæ sedentes vota concipiebant, terramq; de industria tangebant, demonstrantes ipsam matrem terram esse mortalibus appetendam: Macrob. lib. 1. Saturnal.

Opaliorum ritus.

IVVENALIS dies, & Ludi eiusdem nominis.

IVuenalis dies *festum quoddam dicebatur, à iuuenibus peculiariter celebratum primo die post elapsa Saturnalia, & à Caligula Imp. primò institutum. Sic enim de eo Suetonius in eius vita scribit: Vt lætitiam publicam in perpetuum augeret quoque, adiecit diem Saturnalibus, appellauitq; Iuuenalem.*

Iuuenaliorum origo.

Ludi eiusdē nominis, pro salute iuuenū celebrabantur, vt olim Plebeij pro libertate plebis. Dion historicus refert, ab Nerone Iuuenalia celebrata, ὥσπερ τινὰ νεανισκεύματα, propter suam barbā, quā tum primū raserat, pilis in aureū coniectis sphærion, & Capitolino Ioui dicatis. His primùm etiā senes & vetulas ludens populū Romanū Nero immiscuit, testante id Suetonio in eius vita: Spectaculorum, inquit, plurima et varia genera edidit: Iuuenales, Circenses, Scenicos ludos, gladiatorū munus. Iuuenalibus senes quoq; consulares, anusq; matronas recepit ad lusum. Historiæ huius meminit etiā Cornelius Tacit. li. 14. Ne tamē, inquit, adhuc publico theatro dehonestaretur Nero, instituit ludos Iuuenalium vocabulo, in quos passim nomina data, non nobilitas cuiq;, non ætas, aut acti honores impedimento, quo minus Latini Græcue histriones artem exercerent. Refert Capitolinus, Gordianum dedisse ludos scenicos, & Iuuenalia per quatriduum. De ijsdem Alex. ab Alexandro lib. 6. cap. 19. sic refert: In Iuuenalibus, licet iuuenū causa instituti forent, in hisq; adolescentes per lusus & lasciuiam admitterentur, plerunq; tamen anus, & grandæuas natu matres, senesq; ingrauescenti ætate, ludis admissos comperimus. Lusus erat quem ludebant, Turmæ puerorum primo ætatis flore, et iuuenes generosi spiritus, vt equis instratis, hinc inde dispositis turmis, tanquam acie instructa, composito agmine, in iustæ modum pugnæ cursitarent, speciemq; prælij, modò in occursum eundo, nunc à tergo & in gyrum occursando præberent, et campestrem incursionem facerent, specimenq; magnæ indolis, & commendationem ineuntis adolescentiæ præ se ferrent, ita vt qualis quisq; futurus esset, cuiusq; spei, facilè eniteret. In his quoq; Pyrrhicham saltare accepimus, quæ integris vrbis moribus, magno fauentium studio fiebat. Ea primùm inuenta fertur in Creta, nonnulli à Laconibus ad res bellicas facilè obeundas, vt armati leni flexu & saltu, nunc se contrahendo, nunc in altum exiliendo, nunc declinando, tela & plagas vitarent, disciplinamq; ediscerent, quæ Enoplia saltatio dicta est, quam Tranquillus Troiam nuncupauit: idq; à Romulo institutum ferunt, vt cum armis saltarent milites saltatione, quam bellicrepam dixit.

Iuuenaliorum ritus.

ANGERONALIA.

DVodecimo *Calend. Ianuar. fēriæ erant diuæ* Angeroniæ, *Solino teste & Plinio, qui lib. 3. ita scribit: Diua Angerona, cui sacrificatur ad diem 12. Calend. Ianuarij, ore obligato obsignatoq; simulachrum habet. Sempronius quoq; in libro de Italiæ diuisione id non obscurè innuit: quum enim de Deo egisset, in cuius tutela Roma esset: Quamobrem, inquit, & Angerona silentij dea ante dies festos Iani colitur præforibus, &c. Huic deæ Pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciebant hoc die. Hanc Verrius Flaccus Angeronam dictam ait, quòd angores & animorum solicitudines propitiata depellat. Masurius adijcit, simulachrum eius deæ ore obligato atq; signato in ara Volupiæ propterea collocatum, quòd qui suos dolores anxietatesq; dissimulant, perueniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem.*

Angeronalia quo die celebrata.

Angerona dea quæ.

Iulius Modestus huic deæ ideò diem festum institutum, eoq; sacrificari illi dicit, quòd populus Romanus morbo, qui angina dicitur, præmisso voto, sit liberatus: vt Macrobius refert lib. 1. Saturnal. Huius Deæ sacellum inter antiquissimas religiones cultum est, authore Solino: quam quidam eam esse crediderunt, in cuius tutela fuerit Roma: licet alij Opem Consuam, alij Iouem, alij Lunam esse putarint. Eodem etiam die Herculi & Cereri sue prægnantes panibus & mulso sacrificabatur, Macrobio, Seruio, Gyraldo & Iunio testibus.

LARIVM FERIAE.

Larium feriæ repetitæ.

CAlendis quidem Maijs Laribus *præstitibus ara Romæ dicata est, vt supra indicauimus: sed ijsdem postea, vt Macrobius meminit lib. 1. Saturnal. vndecimo Calendas Ianuarias feriæ dedicatæ fuerunt, & bello Antiochiæ vota est ædes ab Æmilio Regillo Prætore in campo Martio. De quo Alex. de Alex. lib. 3. cap. 12. sic scribit: Lares canum pellibus ideò ornantur, quia domus fidi custodes sunt, & alienis formidolosi, domesticis verò blandi, atq; ad nocturnos strepitus solliciti, sicut canes, qui floribus, & sertis, thure & fruge*

Larium feriarum ritus.

coluntur: quorũ ædes in campo Martio ab Æmylio Regillo Prætore dicata fuit: In quorum sacris id custoditur, vt libertini sacerdotes sint, qui Augustales dicti, nihilq; de sacrificio extra ædes mittatur foras, sed intra domesticos lares omnia absumant.

VACVNALIA.

Vacuna quæ.

VAcuna dea præfuit vacantibus & otiosis: ei, quum à laboribus vacarent agricolæ, post perceptos fructus & agrorum cultus, mense Decembri sacra & festa celebrabant. Hinc Ouidius lib. 6. Fast.

Nam quoq; quum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantq; sedentq; focos.

Huius deæ meminit & Horatius in epistolis:

Hæc ego dictabam post templum putre Vacunæ.

Ad quem versum Porphyrion hæc annotat: Vacuna, inquit, apud Sabinos plurimùm colitur Dea, quæ est sub incerta specie formata: quidam Mineruam, alij Dianam putauerunt, nonnulli Cererem esse affirmarunt. Varro lib. 1. rerum diuinarum Victoriam nominat, & ea maximè eos gaudere dicit qui sapientia vincunt. Hinc illud fortè est Ausonij:

Quas si solueris ô poeta nugas,
Totam trado tibi simul Vacunam.

LARENTINALIA.

Larentinaliorum dies & origo.

DEcimo Calendas Ianuar. feriæ sunt Iouis, Larentinalia *appellatæ, institutæ à Romulo in honorem Accæ Larentiæ vxoris Faustuli, nutricis autem Romuli & Remi. Lupa enim infantibus, modoq; in lucem editis Romulo & Remo lac præbente, accurrentibus ad miraculum pastoribus, Faustulus, concedentibus cæteris, eos educandos accepit. Rediens domum, coniugem enixam reperit, sed mœstam, vt Dionysius inquit, infante mortuo. Solatur eam maritus, gemellos illi pro vno extincto educandos tradens. Appellata fuit ea Larentia: & quòd corporis librioris esset, dixêre multi ideò creditum fuisse à lupa educatos: quòd quæ corpus prouulgasset, lupa appellari solita sit. Huic Larentiæ ob hanc educationem solenne festum 23. die Decemb. institutum & quotannis celebratum fuit, Ouidio teste, qui Fastorum lib. 4. sic cecinit:*

Non ego te tantæ nutrix Laurentia gentis,
Nec taceam vestras Faustule pauper opes.
Vester honos veniet, quum Laurentalia dicam,
Acceptus genijs illa December habet.

Vide quæ supra mense Aprili de Floralibus, quæ & Laurentalia, diximus.

APPENDIX

AD FESTA GRAECORVM.

REFEREMVS hac Appendice, secundum ordinem Alphabeticum, ea Græcorum festa, quorum quidem apud auctores fit mentio, sed incertum quo mense & die celebrata fuerint.

ΑΓΡΙΩΝΙΑ.

Agrionia vnde dicta.

Αγριώνια festum fuit, Bacchi in honorem celebratum, qui Αγριώνιος ob feritatem fortasse cognominatus fuit: ἄγριος enim & ἀγριώνιος agrestem, rusticum & ferum significat. Vnde Plutarchus in vita Antonij, de ipso Antonio loquens ait: καὶ πόλις ὅλη πλέα διόρυσον αὐτὸν ἀναπαλαιωθῶσι, χαριδότλω καὶ μειλίχον. ὧν γὰρ ἀμέλει ἐνίοις τοιοῦτος, τῆς ὑπὸ πολλοῖς ὠμότητος καὶ ἀγριώνιος. Meminit huius festi Plutarchus Sympos. 8. his verbis: Non ineptè apud nos in festo Αγριωνίων Agrioniorum mulieres Bacchum requirunt tanquam fugitiuum: deinde finem quærendi faciunt, dicuntq; eum ad Musas confugisse, atque apud eas latere occultatum: paulò post cœna finita ænigmata & griphos inuicem proponunt. Hoc mysterio docetur, inter pocula sermone vtendum esse, qui aliquid commentationis atque eruditionis habeat: quæ si ebrietati adsit, ferocia & insania vini celatur à Musis benignè detenta. Rursus idem in Quæst. Græcis, quæst. 38. his verbis eius festi mentionem facit: γίνεται γὰρ παρ' ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς Αγριωνίοις φυγὴ καὶ δίωξις αὐτῶν ὑπὸ τοῦ ἱερέως τοῦ Διονύσου ξίφος ἔχοντος: ἔξεστι δὲ τῷ καταληφθεῖσαν ἀνελεῖν. Hoc est, Quotannis in Agrionijs illorum (Minyæ posterorum) fit fuga & persequutio, à sacerdote Bacchi stricto gladio, licetq; deprehensam interficere. Et quidem (inquit Plutarchus eodem loco) necauit nostra ætate Zoilus sacerdos. Verùm ea res infelix ipsi vrbiq; fuit: nam & Zoilus leui admodum ex vlcere in diuturnum lapsus morbum computruit ac decessit: & Orchomenij in causis publicis damnati multatiq; sacerdotium à familia transtulerunt, deligereq; ex tota multitudine optimum instituerunt. Minyæ enim filias ferunt Leucippam, Arsinoam & Alcathoam furore correptas esum humanarum carnium appetiuisse: sortitasq; munus tradendi ad necem filij Leucippæ obtigisse, Hippasumq; ab ijs discerptum fuisse.

Agrionierum ritus.

ΑΘΗΝΑΙΑ.

Circa paludem Tritonidem Auses & Machlyes populi habitarunt, qui anniuersarium in honorem Mineruæ seu Palladis festum celebrarunt, in quo virgines eorum in turmas bifariam diuisæ se inuicem lapidibus fustibusq; cædebant. Harum si qua acceptis vulneribus discessisset aut obijsset, illam dicebant non fuisse virginem. Quæ verò constantissima omnium fuisset, pluraq; & maiora vulnera pertulisset, illa communi consensu à cæteris virginibus exornata cùm armorum apparatu Græco, tùm verò crista Corinthia in curru circa paludem cum magno suarum virginum applausu & lætitia circumferebatur, domumq; quàm lætissima deducebatur, vt Herodotus retulit in Melpomene, vbi tamen festi nomen non exprimit.

Athenæorum ritus.

Celebrabatur etiam Athenis Lampadophoria in honorem Deæ huius, in qua idem ferè mos obseruabatur qui in Hephæstijs seu Vulcani festo & Prometheis: vide loca.

ΑΛΑΙΑ.

HAlæa festum apud Thegeatas, à Minerua Halæa sic dictum, in quo certamen celebratum fuit, authore Pausania in Arcadicis. Meminit etiam Cælius libro 17. capite 23.

ΑΛΕΚΤΟΡΙΑ.

Alectoriorum origo & ritus.

Athenis et Pergami quotannis festo die pugnarunt galli gallinacei, certamine à Themistocle instituto, qui cùm aduersus Persas proficisceretur, visa pugna gallorum, eo exemplo ad libertatem adhortatus est milites, & ad fortiter agendum, Plutarcho authore: refert etiam Sardus lib. 3. de Moribus.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ.

Alexandriorum ritus.

IN Chalcidæ Ἀλεξάνδρια faciebant ludos Alexandro Philippi F. in fine certaminum statuerunt cratera, quo libarunt Dijs, mox laudarunt vincentem, conuiuiumq; celebrarunt: ludos nemo spectauit versicolore veste: Sardus lib. 3. de Moribus gentium.

ΑΛΗΤΗΣ.

Festi huius origo.

Ἀλήτης festum fuit, Hesychio teste, apud Athenienses, quod oscillis Icaro & Erigoni agebant. Cùm enim, vt inquit Hyginus, in finibus Atheniensium multæ virgines suspendio sibi mortem consciscerent propter Erigonem, habito ab Apolline oraculo festum & sacrificium solenne instituerunt, quod publicè priuatimq; celebrabant, quòd Erigone cum cane ignota & solitaria patrem Icarum mendica persequuta sit, quas Græci ἀλητίδας nominant. Hoc festum suo tempore vocatum Ἐώα, Hesychius tradit, à suspendio nimirum, seu resti ad suspendendum. Seruius in Comment. ad lib. 2. Georgic. Vergilij fabulam hanc, & originem ritumq; huius festi dilucidius paulò commemorat: Icarus, inquit, Atheniensis pater Erigones, quum acceptum à Libero patre vinum mortalibus indicaret, occisus est à rusticis: qui quum plus æquo potassent, inebriati venenum se accepisse crediderunt. Huius canis reuersus est ad Erigonem filiam, quæ quum eius comitata vestigia peruenisset ad patris cadauer, laqueo vitam finiuit: sed Deorum voluntate inter astra relata est, quam vocant Virginem: canis quoq; est inter sydera collocatus. Sed post aliquantum tempus Atheniensibus talis immissus est morbus, vt eorum virgines furore quodam compellerentur ad laqueum: respondit q; oraculum sedari posse pestilentiam illam, si Erigones & Icari cadauera requirerentur: quæ quum diu quæsita nusquam inuenirentur, ad ostendendam suam deuotionem Athenienses, vt etiam in alieno ea quærere viderentur elemento, suspenderunt de arboribus funem: ad quem se tenentes homines hac atq; illac agitabantur: vt quasi etiam per aërem illorum cadauera quærere viderentur. Sed quum inde plerique caderent, inuentum est, vt formas, ad oris sui similitudinem facerent, & eas pro se suspensas mouerent: vnde & oscilla dicta sunt ab eo, quòd in his cillerentur, id est, mouerentur ora: nam cillere est mouere. Hæc omnia Seruius. Dies autem ille quo hæc fiebant festus habebatur.

ΑΛΙΑ.

ΑΛΙΑ festum solenne fuit apud Rhodios, cuius mentionem facit Athenæus lib 13. celebratum fortasse ad sedandas maris tempestates: ἅλς enim mare significat.

ΑΛΩΑ.

Aloa in cuius honorem celebrata.

ΑΛΩΑ festum fuit agricolarum Athenis, quod iuxta nonnullos in honorem Cereris, secundum alios autem in honorem Bacchi, vel amborum simul celebrabatur, subuectis ex agris frugibus. Philochorus sic nominatum putat, quòd illius festi tempore homines ἐν τοῖς ἅλωσι, id est, in areis morarentur. Cœlius lib. 12. cap. 19. Stephanus in suo Thesauro & Gyraldus de Dijs Syntagmate 17.

ΑΛΩΤΙΑ

ΑΛΩΤΙΑ.

ALotia *festum fuit Thegeatarum, sic dictum à captiuitate, quòd in pugna quadam Lacedæmonios magna ex parte viuos cæperint: vnde & in rei huius memoriam certamen in hoc festo celebrabatur, vt Pausanias in Arcadicis indicat.*

Alotia vnde dicta & eorum origo.

ΑΜΑΡΥΣΙΑ.

AMaryſia *festum fuit Athenis Hesychio teste, in honorem Dianæ, quæ inde* Ἀμαρυσία *cognominata est & institutum. De eo Pausanias in Atticis sic scribit: Athmonenses Dianam Amarysiam colunt: cuius causam quum perquirerem, nihil apud interpretes certi comperire potui. Ego verò, ait Pausanias, ita coniectura colligo: Amarynthus in Euboea est, vbi hanc Amarysiam colunt. Nec minore pompa quàm Euboei, eundem diem Athenienses celebrant: vnde apud Athmonenses hoc nomen extitisse arbitror. Hæc ille. Meminit eius & Liuius lib. 5. Decad. 4. Sacrum, inquit, anniuersarium eo forte tempore Eretriæ Amarynthidis Dianæ erat, quod non popularium modò, sed Caryſtiorum etiam cœtu celebrabatur. Dicta fortasse sic est Diana ob formam præstantem: ἀμαρύσσειν enim splendere & fulgere significat. Sic nostra quoq; ætate beatissimæ virginis Mariæ idolum, quod Regenspurgi colendum proponitur, formosa Maria vocatur:* Sie ſchön Maria von Rägenſpurg.

Amaryſia in cuius honorem celebrata.

ΑΝΑΚΕΙΑ.

ΑΝάκεια *festum fuit Athenis Dioscurorum, id est, Castoris et Pollucis, qui* ἄνακες *vel* ἀνακοὶ *dicti sunt,* ὅτι ἀνακῶς τοῖς ἐλθοῦσι Ἀθηναίοις, *vt Etymologus Græcus annotauit. De ipso autẽ festo Pausanias apud Eustathium inquit:* Ἀνάκεια ἑορτὴ Διοσκούρειον ἀνακοῖν. *Apud Hesychium autem singulari numero etiam in ἑορτῆς significatione habetur: ita enim ibi legitur,* Ἀνάκειον τὸ Διοσκούρειον, καὶ ἑορτὴ Ἀθηναίοις.

Anacia festum Dioscurorum.

ΑΝΑΚΤΩΝ ΠΑΙΔΩΝ ΤΕΛΕΤΗ.

PAusanias *in fine Phocic. refert, Amphissenses festum celebrare, quod* ἀνακτῶν παίδων, *id est, puerorum regum appellent. Ex Dijs autem hos pueros reges quidam Castorem & Pollucem esse perhibent: alij Curetas, nonnulli Cabiros.*

ΑΝΘΕΣΦΟΡΙΑ.

ANthesphoria *festum fuit Proserpinæ, inde dictum, quòd eam Pluto legendis floribus occupatam rapuerit: Cœlius lib. 26. cap. 20. L. A.*

ΑΝΤΙΝΟΑ.

ANtinous *ex Bithynia iuuenis formosissimus, ab Adriano Cæsare admodum amatus, quum in Ægypto perijsset, Deus est ab Imperatore factus, & honores ei Mantineæ decreti. Vnde annuum ei festum, & certamen quinto quoque anno Mantinenses celebrant: Pausania in Arcadicis teste, vbi eum Antinum vocat. Habetur ei alibi quoque honos, & in Ægypto ad Nilum oppidum est, quod idem cum Antinoo nomen accepit, eodem auctore.*

Antinona in cuius honorẽ celebrata.

ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ SOLENNITAS apud Sicyonios.

APud *Sicyonios, qui antiquitùs Ægialenses dicti sunt, festum Apollinis celebratum fuit, flumen Sytham in eo petentibus pueris, deosq; Apollinem et Dianam ad πειθὰς*

Festi huius origo & ritus.

sacellum adducentibus, mox verò reducentibus ad Apollinis templum, quod in foro quandoq; visitatum fuisse, author Pausanias est. Origo talis fuit. Quum Pythonem Apollo & Diana peremissent, Ægialem petere instituerunt, vt expiarentur. Cæterũ vbi inter eundum exterriti forent vehementius, eo ferè loco, quem ex euentu φόβον dixere, hoc est, terriculum, in Cretam diuerterunt ad Carmanora. Mox autem in Ægialenses grassari morbus cœpit: consulti cecinere vates, placari oportere Apollinem & Dianam. At illi instituto festo pueros septem, ac puellas totidem ad fluuium emisere Sytham, suppliciter deum deamq; apprecantibus: qui leniti ijs, Acropolin, quæ tunc erat, feruntur repetisse, locusq; ad quem adiere primùm, Suadelæ sacellum habuit, & in sequentibus annis idem seruatus supplicandi ritus in hac Apollinis celebritate, vt Cœlius refert lib. 11. cap. 26. ex Pausaniæ Corinthiacis.

ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΚΩΜΑΙΟΥ CELEBRITAS.

Festi huius ritus.

COelius lib. 16. cap. 10. meminit ex Græcorum thesauris panagyris Comæi Apollinis, in qua Ναυκρατίται *Naucratitæ stolis induti fuerint candidis, quas etiam nunc vestes nuncupent Prytanicas: eosdemq; Naucratitas in Prytaneo dicit solitos agitare in genethlijs, seu natalitijs Vestæ, quam Prytanitida nominarint, conuiuia.*

ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΜΑΛΛΟΕΝΤΟΣ FESTVM.

MItylenæos extra vrbem, cum totius ciuitatis frequentia, Ἀπόλλωνι Μαλλοέντῳ *Apollinis Malloentis festum celebrasse, Thucydides initio lib. 3. testatur.*

ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ FESTVM.

Festi huius ritus.

PArrhasius Apollo, qui & Ἐπικούριος, *hoc est, adiutor & auxiliator nominabatur, in Arcadia & cultus & sic cognominatus fuit. Templum habuit in monte Lycæo ad orientem versum. Ibi quotannis festum Deo celebrantes, in foro quidẽ κάπρον, hoc est, aprum, non agnum vt Gyraldus Syntag. 7. de Dijs habet, immolarunt Apollini. Peractis autem ibi rebus sacris, victimam illicò in ædem Dei cum tibijs & pompa transtulerunt. Coxas dehinc excissas combusserunt, carnesq; hostiæ ibi consumpserunt, vt Pausanias indicat in Arcadicis.*

ΑΡΑΤΟΥ ΓΕΝΕΘΛΕΙΑ.

Festi huius ritus.

MOrtuo Arato Sicyonij non solùm Σωτήρια *instituerunt* πεμπτῃ Ἀνθεστηριῶνος, *quo die tyrannicum de ciuitate sustulerat dominatum Macedonum, sed etiam publica solennitate natalitia eius quotannis celebranda decreuerunt. Sic enim Plutarchus in eius vita scribit:* Θύουσιν αὐτῷ θυσίαν τῆ μιᾷ τοῦ μηνὸς ἐν ᾗ γεγένηται τὸν ἄνδρα ἀγάμενοι μόνον· τῆς δὲ κατήρχετο ὁ τοῦ Ἀράτου τροφιὸν οὐχ ὅλον λευκὸν, ἀλλὰ μεσοπόρφυρον ἔχων. μέλη δὲ ἦδε πρὸς κιθάραν ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν, καὶ συνεπόμπευεν ὁ γυμνασίαρχος, ἡγεμὼν τῶνδε παίδων καὶ τῶν ἐφήβων. Εἶτα ἐφείπετο ἡ βουλὴ στεφανηφοροῦσα, καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν ὁ βουλόμενος. ὧν ἔτι λείψανα μικρὰ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξοσιοῦνται ἀγαθυλάττουσιν. αἱ δὲ πλεῖστα τῶν τιμῶν ὑπὸ χρόνου καὶ μεταβολῶν ἄλλων ἐκλελοίπασιν. *Id est, peragunt ei sacrum seu festum eius mensis die quo natum virum illum commemorant, cui præfuit Arati filius, torque non albo omninò, sed dimidia parte purpureo ornatus: & à Dionysij ministris carmina quædam ad citharam canebantur. Gymnasiarcha subsequentibus pueris & adolescentibus vnà pompam agebat. Hos Senatus coronatus sequebatur: reliquorum ciuium turba pro arbitrio aderat. Quarum rerum hodiè quoque vestigia quædam expiati seruant: honorum verò, & vetustate & mutatione rerum, plurimi interierunt.*

APHIA.

APHIA.

Festi huius ritus.

HErodotus in Melpomene meminit festi ac solennitatis cuiusdam, quæ à Schytis in Martis honorem celebrata sit. In ea annuas Marti hostias obtulerunt non solùm pecorum & equorum præcipuè, sed hominum quoque captiuorum, ex quibus centesimum quemq; immolarunt, non tamen eodem quo pecora modo, sed diuerso. Nam vbi eorum capitibus vinum libauerunt, ipsos ad quoddam vas mactarunt: dehinc ijsdem in congeriem sarmentorum sublatis, acinacem, qui Martis simulachrum fuit, cruore perfuderunt. Virorum autem interemptorum omnes humeros dextros præciderunt, quibus vnà cum manibus in aërem iactis, quocunq; decidisset manus, ibi iacuit, & seorsum mortuus.

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΑΠΑΓΧΟΜΕΝΗΣ FESTVM.

Festi huius origo.

COndyleæ, qui locus non plus stadio Caphyis distat, colebatur Diana Condyleatis, à loco sic cognominata. Fortè autem pueri circa templum eius cum luderent, in funiculum inciderunt. Eo collo Dianæ iniecto, strangulatam esse Dianam conclamarunt. Quo audito, pueros Caphyenses lapidibus obruerunt. Mox verò morbus vxores eorum inuasit, vt abortum facerent, donec sepeliendos esse pueros Apollo respondit, eisq; festum quotannis celebrandum & sacrificandum, iniustè enim interfectos eos. Iccirco Caphyenses tum solenne hoc quotannis obseruant, tum Dianam Condyleatydem, à strangulando deinceps ἀπαγχομένη vocarunt, nam & ab hoc oraculo iniunctum fuit, Pausania in Arcadicis teste.

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΕΥΡΥΝΟΜΗΣ FESTVM.

SCribit Pausanias Phigalenses Eurynomam colere, idq; cognomentum esse Dianæ populum credere, & festum in honorem eius celebrare quotannis, in quo templum Deæ aperiant, reliquo verò tempore occlusum contineant: ibiq; rem sacram facere tùm publicè, tùm priuatim homines plebeios: in Arcadicis.

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΣΤΟΦΕΑΣ ΕΟΡΤΗ.

AThenæus lib. 6. cap. 6. meminit ex Hippiæ Erythræi libro 2. historiarum patriæ, festi cuiusdam & solennitatis, quam ipse Πανήγυριν vocat, quæ Erythris vrbe Asiæ non procul à Chio distante celebrata fuit in honorem Dianæ Stopheæ.

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΣΤΥΜΦΑΛΙΑΣ FESTVM.

Diana cur Stymphalia dicta.

Festum hoc maiore diligentia celebratur.

DIana Stymphalia cognominata fuit à Stymphalo Arcadiæ vrbe, iuxta cuius Deæ templum Stymphalides aues fuisse fabulantur. Vrbis huius incolæ festum in honorem Dianæ Stymphaliæ quotannis celebrarunt. Cùm autem alijs in rebus negligenter id facerent, tùm vsitatos ritus magna ex parte omitterent, illapsa sylua circa os barathri, quà fluuius delabitur Stymphalus, obstruxit aquam, in barathrum ne descenderet. Palus itaq; 40. stadia campum eorum occupauit. Venator autem fugientem ceruum aliquando insequutus per paludem, locis tandem imis excepti sunt tum ceruus, tum venator: quos deinde fluuij aqua fuit sequuta, ita vt vno die totum ex Stymphaliorum campo stagnum recesserit. Ab eo tempore Dianæ festum maiore cura & diligentia celebrarunt: Pausanias in Arcadicis.

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΤΡΙΚΛΑΡΙΑΣ, HOC est, Dianæ Triclariæ festum.

Festi huius origo.

IN Achaia Dianæ Triclariæ festum κατὰ Πανυχίς, id est, Peruigilium celebrabatur quotannis, cum hominum immolatione, ex numinum indignatione sacrorum ritu progressu temporis enato: quòd in eius templo Melanippus & Comaetho sacerdos nimium victi cu-

pidine coiuissent. Historiam ita narrat Pausanias in Achaicis: Quæ Deæ huius sacerdotio præfecta erat Puella, tandiu detinebatur, donec viro matura nuberet. Aiunt itaq; accidisse aliquando, vt sacerdotio Deæ præesset Comætho, puella supra modum formosa: & in eius amorem incideret Melanippus adolescens, qui æquales suos rebus tum alijs, tum vultus venustate longè superabat. Is in mutuum amorem vt pellexit virginem, vxorem eam à parente petijt. Sed ei neque à suis, neque Comæthonis parentibus humanitatis quicquam est exhibitum. Sed tamen Comætho tunc & Melanippus, in templo Dianæ appetitum amoris expleuerunt, & sacra in posterum functione & communi thalamo vsuri erant. Homines autem è vestigio Dianæ ira corripuit, cùm & terra sterilesceret, & morbi præter solitum eos corriperent, quibus plures quàm antea conficiebantur. Oraculum itaque Delphis vt consuluerunt, Melanippum Pythia notauit & Comæthonem. Monuit item oraculum, vt & hos ipsos Dianæ sacrificent, & inde singulis annis puellam, ac puerum alium, qui forma sint præstantissimi, Deæ immolarent. Ob quod sacrificium ad templum Triclariæ, ex eo tempore dictus est Amilichus, seu immitis, qui nomine antea caruit. Pueri autem & virgines, qui flagitio nullo in Deam commisso Melanippi causa & Comæthonis mactabantur, grauissima tum ipsi, tum eorum parentes & propinqui calamitate afficiebantur. Hoc verò cruento sacrificio ita dicuntur liberati. Responsum à Delphico oraculo prius fuerat, fore, vt rex peregrinus in regionem ipsorum proficisceretur, ductoq; secum genio peregrino, Triclariæ sacrificia tolleret. Capto itaq; Ilio cùm partirentur spolia Græci, Eurypylus Euæmonis filius arcam apprehendit, in qua Bacchi simulachrum erat reconditum. Ea verò aperta, Eurypilus simulachrum conspexit, conspectoq; eo, furore statim correptus est. Insaniebat vt plurimum, nonnunquam tamen ad se rediit. Sic itaque affectus, non in Thessaliam, sed in Cirrham, & eius loci sinum nauigauit. Delphos dehinc profectus, oraculum de morbo consuluit. Responsum ei fertur: vt vbicunque terrarum in homines incideret peregrina sacrificia immolantes, ibi & dedicaret arcam, & ipse habitaret. Venti itaque Eurypyli naues ad mare circa Aroam detulerunt. Ibi egressus, deprehendit iuuenem & virginem ad aram Triclariæ deduci. Et ipse quidem sacrificandi morem non difficulter intellexit. In memoriam reuocarunt & indigenæ oraculum, viso & rege quem nunquam antea viderant, & in arca Deum esse suspicabantur. Et sic quidem insania Eurypylus, eiusq; loci homines eo sacrificandi ritu sunt liberati. Fluuius item Milichus, seu mitis ex hoc tempore dictus est. Deus in arca Asymnetes cognominatur. Colunt eum potissimùm nouem viri, quos populus ex vniuerso cœtu dignitatis ergò elegerit. Totidem item mulieres. Vna autem in festo nocte infert arcam Sacerdos. Tantum honoris nox ea sortita est. Descendunt item indigenarum pueri quicunque ad Milichum spiceis sortis capita ornarunt. Ornabant ita & antiquitùs, quos Dianæ erant immolaturi. Progressu temporis serta spicea apud Deum deposuerunt. Loti autem ad flumen, & impositis dijs coronis hederaceis, ad ædem Æsimnati procedunt. Hucusque Pausanias. Meminit, sed paucis, Cælius L. A. lib. 13. cap. 34. & Gyraldus de Dijs Syntag. 17.

Festi huius ritus.

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΥΜΝΙΑΣ ΙΕΡΟΝ.

Diana vnde Hymnia.

Diana Hymnia fuit appellata ab Υμνοις, id est, laudibus. Templum habuit in Orchomeniorum regione in iugo montis. Ei festum quotannis celebrarunt. Ritum sacerdotum huius Deæ ita describit Pausanias in Arcadicis. Mulierem, inquit sacrificam eligunt, & virum sacerdotem, qui non concubitu tantum abstinere, sed alijs etiam in rebus omnibus per totam vitam temperare sibi coguntur. Sacerdotum Dianæ Hymniæ ritus. Sed nec lauacro, nec reliqua victus ratione eodem quo vulgus modo vtuntur, neque domum ingrediuntur hominis priuati. Huiusmodi quid, non tamen perpetuò, sed annum saltem apud Ephesios fecerunt, quos Hestiatoras, id est, conuiuiorum dominos Dianæ Ephesiæ elegerunt. Essenas eos appellarunt ciues.

APTE-

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ FESTA ALIA.

SYracusani pridiè quàm vrbs eorum à M. Marcello caperetur, festum quoddam Dianæ ex veteri more & consuetudine celebrarunt, authore Plutarcho in Marcelli vita. Liuius lib. 5. secundi belli Punici de eo sic scribit: Transfuga Marcello nuntiauit diem festũ Dianæ per triduum agi, & quia alia in obsidione desint, vino largius epulas celebrari, & ab Epicidæ præbito vniuersæ plebi, & per tribus à principibus diuiso, &c.

Meminit Plutarchus etiam festiuitatis cuiusdam Dianæ, quæ Mileti celebrata fuit, cum sacrificio quod Neleium dicebatur: libro de Mulierum virtutibus.

Dianæ quoq; Limnatidi festum, quoddam singulis annis à Messenijs & Lacedæmonijs in finibus Messeniæ celebratum fuisse, in Messeniacis author est Pausanias: qui etiam in Achaicis testatur, Patrenses Deam eandem festo coluisse, eodemq; simul die Preugeni quoquo solenne celebrasse.

In Arcadicis quoque testatur, in honorem Dianæ Cnacalysiæ annuum festum Caphyenses celebrasse.

ΑΡΤΕΜΙΣΙΑ CYRENENSIVM.

DE Artemisiorum festo, quod apud Cyrenenses fuit, sic scribit Athenæus lib. 12. Ἀρτεμίσια μεγίστη ἐν Κυρήνῃ ἑορτή: ἐν ᾗ ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος, ἐνιαύσιος ὢν ὅσιν, δεῖπνίζει τοὺς πρὸ αὐτοῦ ἱερευσαμένους, καὶ παρατίθησιν ἑκάστῳ τρύβλια. Τοῦτο δ' ὅστι κεραμεῦν ἄγγος ὃπὶ δὲ χόμβρου ὡς εἴκοσιν ἀρτάβας, ἐν ᾧ πολλὰ μὲν τῶν ἀγρευμένων ἔγκειται πεποιημένα: πολλὰ δ' ὀπτὰ καὶ τῶν ἡμέρων ὀρνίθων: ἔτι δὲ θαλαττίων ἰχθύων, ταρίχους τε ξενικοῦ πλείονα γένη: πολλάκις δ' τινες καὶ κιθάριον ἀκολουθοῦσιν πρὸς δεῖπνον: *Id est, Artemisia magnum est festum apud Cyrenem, in quo Apollinis sacerdos, qui est annuus, omnibus qui ante ipsum sacerdotes fuerunt cœnam præbet: ac singulis apponit catinum, quod est vas fictile, artabas capiens viginti, in quo posita sunt complura & syluestria elaborata, multiq; cibi, & domesticarum auium, & marinorum piscium, tum multa externi salsamenti genera. Sæpius verò præbent nonnulli citharam propinquam. Mentionem etiam huius festi facit Cœlius L. A. lib. 13. cap. 33.*

Artemisiorum ritus.

ΑΦΡΟΔΙΣΙΑ.

ΑΦροδίσια *Athenienſium fuit festum, institutũ in honorem Veneris, quæ* Ἀφροδίτη dicta est, *quòd è maris spuma nata sit, iuxta Hesiodum. Aristoteles tamen ita vocatam tradit, quòd seminis natura sit* ἀφρώδης, *id est, spumosa. Hinc* Ἀφροδίσια Veneralia *nonnulli interpretantur. Meminit huius celebritatis Athenæus initio libri 5.* Ἀντίγονος τὸ βασιλέως δεῖπνον Ἀφροδίσια ὃπὶ τελοῦντος Ἀθλώνης. *Et lib. 13.* ὅτι δὲ καὶ Ἀφροδίσια ἴδια ἄγουσιν αὐτόθι αἱ ἑταῖραι, Ἄλεξις ἐν φιλάσῃ φησὶν, Ἀφροδίσι' ἤγε ταῖς ἑταίραις ἡ πόλις. *Plutarchus etiam in libello, An seni administranda Respub.* Πότερον Ἀφροδίσια ναύταις ἄγουσι πάντα τὸν λοιπὸν ἤδη χρόνον ἢ ἐν λιμένι τῷ ναῦν ἔχουσιν. *Mentionem etiam facit eius hic autor in libro, cui titulus, Non posse suauiter viui secundum Epicuri decreta.*

Venus cur ἀφροδίτη dicta. Aphrodisiorũ ritus.

Habuit autem Venus fanum Athenis à Solone constitutum ἐν τῇ ἀρχαίᾳ ἀγορᾷ, *ad quod vniuersus populus in eius festo conuenire solebat, Suida teste: vnde &* Ἀφροδίτη πάνδημος, *&* πάνδημος *simpliciter nominata fuit. Sic enim Lucian. in Metretr. dialogo:* θύσαι μὲν τῇ πανδήμῳ δέησει λευκὴν ὑηκάδα, *&c.*

Celebrarunt & Naucratitæ festum Veneris, de cuius origine Athenæus lib. 15. ca. 6. ex lib. Polycharmi Naucratitæ, qui de venere inscribitur, hæc refert: Circa Olympiadem 23. Herostratus Naucratita, qui mercaturam exercebat, regionesq; multas nauigando viderat, aliquando in Paphum etiam applicuit Cypri, ac Veneris simulachrum palmi magnitudine emit arte antiquissima factum, eoq; in Naucratem contendebat. Illi postea iuxta Ægyptũ nauiganti quum hyems repentè incidisset, neq; vbi locorum essent, possent cognoscere, omnes

Veneris festũ apud Naucratitas, eiusq; ortigo.

ad Veneris ipsius simulachrum confugerunt, atq; orarunt vt eos seruaret. Tum verò Dea omnia quæ illi erant apposita myrtos virides fecit, atq; nauem totam suauissimo odore replevit, cum iam ob nauseam nauigantes de eorum salute prorsus desperarent. Cùm permultum vomuissent, solq; enituisset, montibus conspectis in Naucratem peruenerunt. Tum Herostratus exiens è naui cum simulachro, simulq; virides myrtos habens, quæ sibi repentè apparuerant, id deposuit in Veneris templo, sacrificiaq; & festum instituit, atque Veneri dicauit, & conuiuium instituit in ipso sacello, conuocauitq; eò quos conueniebat, & familiarissimos viros, quorum singulis coronam ex myrto donauit, quam Naucratitem vocauit.

BAKXOY ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ festum.

Festū hoc fuit Athenienſium.

EX Pausaniæ Attica intelligitur, festum Athenis fuisse, in quo Βάκχου ἐλευθερίου, hoc est, Bacchi Liberi, seu Liberatoris simulachrum in templum non magnum, ei Deo dedicatum, portarint.

Bacchus cur liber dictus.

Vocatus est autem ἐλευθερεύς, hoc est, Liber Bacchus, vel à linguæ licentia, vt pleriq; putant, nam vini potu magis liberi homines fiunt: vel potius, quòd animum curis liberet, & pellat tristitiam. Vnde Ouidius in Arte:

Cura fugit multo diluiturq; mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaq; frontis abit, &c.

Sunt qui dicant sic dictum, quòd in liberis ciuitatibus coleretur, & earum symbolum esset. Diodorus scribit, Dionysium in Boeotia iussisse in patriæ suæ gratiam omnes vrbes liberas esse. Plutarchus in Problem. ait, Cur Bacchum Liberū vocant? An quòd bibentibus libertatis causa sit? fiunt enim pleriq; potu licentiores. An quòd libationem inuenit? An verò, sicut Alexander ait, quòd pro Boeotiæ libertate pugnauit, &c.

BOREASMOI.

Borealia cur instituta.

BOρεασμοὶ, *Athenis erant* ἑορταὶ καὶ θυσίαι ἃς ἦγον τῷ Βορέᾳ, ἵνα ἄνοτοι πλέωσιν, *authore Hesychio: id est, Festa & epulæ in honorem Boreæ institutæ, vt eo propitio & secundo silerent austri in nauigatione: refert etiam Cœlius lib. 20. cap. 24. L. A. Sed non soli Athenienses anniuersario festo coluerunt Boream, verùm etiam Thurij. Sic enim Ælianus in varia hist. lib. 12. cap. 61.* Θουρίοις ἐπέπλει Διόνυσος, καὶ τριακοσίας ἦγεν ἐπ' αὐτοὺς ναῦς ὁπλιτῶν πεπληρωμένας. Βορρᾶς δ' αὐτοπνεύσας τὰς σκάφας συνέτριψε, καὶ τῶν δ' ὠκυμόρων αὐτῷ ναυτικῶν ἠφάνισεν. ὡς δὲ τοῦτον οἱ Θούριοι τὸν Βορρᾶν ἔθυσαν, καὶ ἐψηφίσαντο εἶναι τὸν ἄνεμον πολίτην: καὶ οἰκίαν αὐτῷ, καὶ κλῆρον ἀπεκλήρωσαν, καὶ καθ' ἕκαστον ἔτος ἐπετέλουν αὐτῷ: *Id est, Aduersus Thurios nauigabat Dionysius, contraq; ipsos trecentas naues agebat. Boreas verò ex aduerso reluctans, nauigia confringebat, & vniuersas eius nauales copias delebat. Ex eo rem diuinam Boreæ faciendam Thurij instituerunt, & publicis decretis ciuem suum pronunciarunt, atq; domū certam facultatesq; ei assignauerunt, singulisq; annis sacrificia obtulerunt. Pausanias etiam in Arcadicis refert Boreæ Megalopolitas, festum quotannis celebrare & rem sacram facere, & Boream non postremo loco inter Deos venerari, vtpote qui eos à Lacedæmonijs & Agide liberauerit. In Corinthiacis idem author indicat, in oppido Titane, Sicyoniæ regionis, Ventorum aram esse, ad quam quotannis sacerdos vna nocte sacrificia Ventis persoluerit: alia item ad compescendū Ventorum impetum, in quatuor foueis secretò peregisse, & Medeæ incantamenta accinuisse.*

ΓΕΝΕΘΛΙΑ καὶ ΓΕΝΕΣΙΑ.

Genethlia & Geneſia differunt.

AMmonius Γενέθλια & Γενέσια inter se distinguit, & putat hæc mortuorum, illa viuorū esse. Sic enim inquit: Γενέθλια τάσσεται ὅτι τῶν ζώντων, καὶ ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ ἐγεννήθη, αὕτη καλεῖται γενέθλιος ἡμέρα: Γενέσια ὅτι τῶν τεθνηκότων, ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ τετελεύτηκε: ὁ ἂν λέγων ὅτι τῶν ζώντων ἀνυμνολογεῖ: *id est, Genethlia tribuuntur viuis, & dies, quo quis natus est, Natalitius, siue Natalis dicitur: Geneſia autem de mortuis dicuntur,*

cũtur,& is dies,quo quis moritur:qui igitur Γενέσια viuis tribuit,impropriè loquitur. Suidas tamen pro ijsdem accipit,inquit enim, Γενέθλια ἡ δι' ἐνιαυτὸ ἐπιφοιτῶσα τῷ τεχθέντος ἑορτὴ: & Γενέσια, ἡ δι' ἐνιαυτὸ ἐπιφοιτῶσα τῷ τεχθέντος μνήμη Sunt igitur festiuitates, quæ quotannis eo die,quo quis natus est celebrantur. Omnium autem ferè gentium consuetudine tritum semper fuit,& adhuc hodie est, vt dies ille,quo principes viri,& magnæ præsertim authoritatis ac dignitatis homines primùm lætam hanc lucem aspexerunt, summa cum lætitia,pompa,nec non conuiuiali hilaritate,celebretur. Apud Ægyptios hunc morem fuisse Moses in sacra historia docet:nam Gens.40.cap. mentionem facit conuiuij, quod Pharao Ægyptiorũ rex in huiusmodi soleñitate & festiuitate seruis suis apparauit. Athenæus quoq; lib.4.ex Herodoti lib.1. testatur Persarum legibus sancitum fuisse, vt eum præcipuè diem præ reliquis omnibus venerarentur,in quo quis in hanc lucem editus esset, eumq; propterea pluribus conuiuijs celebrasse. Et diuites quidem in illo boues,asinos, equos, & camelos integros in fornacibus assatos apposuisse: Pauperes verò diem suum natalem minoribus pecoribus egisse,cibisq; vsos perpaucis,bellarijs multis quidem,sed non admodum bonis. Et ex lib. 9.eiusdem authoris indicat,regiam cænam quotannis Xerxem eo die quo natus esset,apposuisse,quæ Persarum lingua Τύκτα,Græcè autem τέλειον,dicta sit. Plato etiam Alcibiad. 1.refert,postquam regis Persarũ filius primogenitus,ad quẽ ius regni pertinebat,natus esset primùm quidem omnes Persico regno subiectos, festiuum illum diem celebrasse: deinde verò in reliquum tempus hac ipsa die,qua rex natus erat,vniuersam Asiam τὰ γενέθλια θύειν καὶ ἑορτάζειν,hoc est, Natalia solenni in hunc vsum festo instituto, solennibusq; sacrificijs celebrasse. Naucratitæ,Athenæo referente lib.4.ex Hermiæ lib.2.de Apolline Grynæo,in Genethlijs,id est, natalitijs festis Dionysij, & Vestæ conuiuia agitarunt in Prytaneo, albis induti vestibus,ac declinati in genua recubuerunt,Deos sibi conciliantes,donec sacer præco patrias preces peregisset. His absolutis omnes declinati duas cotylas vini singulatim ceperunt,præter sacerdotes Apollinis Pythij & Dionysij: hi enim vini, aliarumq; rerum duplices retulerunt portiones. Appositus singulis præterea fuit panis purus in latitudinem extensus,panis item clibanarius,caro suilla,lanx hordei,vel oleris,oua duo,casei frustum,caricæ,placentaq; & corona. Ritum hunc Ethnicum Herodes superstitionibus Ethnicis imbutus obseruasse quoq; legitur Matth.14.& Marci 6.cap.

Genethlia & Genesia quid, & eorum ritus

ΓΗΡΑΙΣΤΙΑ.

GEræstia Ludi & certamina fuerũt in Eubœa Neptuno à Geræsti Promontorij incolis propter tempestatem coortum instituta, Alexand. Sardo teste lib.3. de Moribus gentium.

Geræstia quid.

ΓΥΜΝΟΠΟΔΙΑ.

ΓΥμνοπόδια Latinè Nudipedalia,festum fuit Laconicum, in quo chori Spartanorum nudis pedibus cum tripudio laudes Deorum cantarunt,in honorem & laudem Spartanorum qui pro patria in Theræis ceciderant. Ex choris istis prior quidem fuit puerorum,alter verò optimorum integerrimorumq; virorum. Chororum istorum ductores ferebant coronas,quæ Thyreaticæ vocabantur apud Lacedæmonios,vt Athenæus refert ex Sosibij libro de Sacrificijs,quas nunc ait Psilinas nominari,ex palmaq; confici, in monumentum victoriæ in Theræa partæ. Pausanias in Loconicis Γυμνοπαιδίαν, à iuuenibus nudis appellat, & refert, Lacedæmonios hoc festum,si vllum aliud,summopere curare, in Apollinis honorem,& locum in quo celebretur Spartæ in foro Chorum inde nominare.

Gymnopodiorum ritus.

ΔΑΙΔΑΛΑ ΜΙΚΡΑ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΑ.

DÆdala esse festum Plataensibus,in Græcorum obseruatum thesauris est. Licet autem fabulosa eius sit origo,referemus eam tamen, quòd priscarum vanitas superstitionum,eam planè,vt veram,agnoscat. Ferunt enim Iunonem Ioui factam iratiorem,quòd illi

Dædalorum origo.

erat admodum familiare, in Eubœam secessisse. Ioui quum permolesta ea res esset, nec tamen vlla ratione, vt rediret, Iunoni persuadere posset, incertus animi tantus Deus ad Citharonem pergit, qui tum imperabat Plataensibus, potentia conspicuus, & nulli sapientia secundus. Is ergo inopem consilij Iouem hortatur, ex ligno statuam sibi curaret formari, quam in curru aptè constitutam vestibus etiam varijs congruisq; obuelatam duceret, passim in vulgus sparsis rumusculis, se Asopi filiam Plataeam vxorem duxisse. Paruit Citharoni Iupiter, tamq; lignea vxor nuptialibus compta vectabatur. Iuno fallaciam non animaduertens, aduolansq; protinus, & nouæ nuptæ indumenta sæuis concerpens, fraude agnita, & sponsali simulachro in risum soluta, Ioui placata & reconciliata est. Quo ex facto numinum obseruantissimi Plataenses festa dehinc instituere Dædala: quæ inde nominata, quoniam prisci Xoana, id est, statuas nuncupabant Dædala, etiam longè prius quàm Dædalus Palamaonis F. Athenis nasceretur, & huiuscemodi statuas faceret. Et huius quidē rei gratia in templo Iunonis percelebri apud Plataenses duæ imprimis Iunonis statuæ fuerunt: alterius quidem rectæ & stantis, τελείας ἥρας, id est, Iunonis adultæ, seu perfectæ: alterius verò sedentis, νυμφευομένης, id est, nubentis. Recitat hanc fabulā Pausanias in Boeoticis, & ex eo Eusebius de præparatione Euangelica lib. 3. Cælius lib. 15. cap. vltimo: & Gyraldus de Dijs Synt. 2.

Dædala minora, & eorum ritus.

Natalis Comes autem lib. 7. Mythol. cap. 16. ex Phylarchi lib. 19. historiarum & Pausanias citato loco indicāt, in rei huius gestæ memoriam, ligneam imaginem, quæ Dædala vocata fuerit, septimo quoq; anno plaustro impositam, & cum pompa ad delubrum Iunonis deuectam fuisse. Neq; tamen ex quibuslibet lignis illa imago efficiebatur, sed huiusmodi ritu eligebatur ad illam lignum. Lucus fuit quidam in Boeotia, Pausanias Quercetum vocat, non procul ab Alalcomenis omnium maximus, & peruetustæ ibi quercus. Ibant in eum lucum Plataenses, & elixarum carnium frusta exponebant, quibus præter cæteras aues maximè negotium fuit cum coruis, quos omni conatu arcere, & à carnibus depellere nitebantur. Ex alijs verò volucribus obseruabant, quæ carnem abripuisset, super qua arbore consedisset. Et cuicunq; ille qui carnes abripuit, arbori insedit, eam custodierunt, secuerunt item, & Dædala ex ea confecerunt. Neq; licebat ex alia materia Dædala cædere, nisi ex illa arbore quæ prima ita fuisset indicata. Et hæc quidem à Solis Plataensibus septimo quoq; anno agebantur, & μικρὰ δαίδαλα nuncupabantur.

Dædala maiora, & eorum ritus.

Fuerunt autē & μεγάλα Δαίδαλα, quæ vnà cum Plataensibus & cæteri Boeoti celebrarunt sexagesimo quoq; anno: Cælius lib. 15. cap. vltimo, habet annum vigesimum sextum. Tot enim annis intermissa celebritas fuit, fugatis Plataensibus. Pausanias in Boeoticis ritum Dædalorum magnorum ita describit. Habent, inquit, quatuor decim apta simulachra, singulis annis in paruis Dædalis comparata. Hæc sortitò sumunt Plataenses, Coronæi, Thespienses, Tanagræi, Charonenses, Orchomenij, Lebadenses, Thebani. Si quæ autē sunt ignobiliora oppidula, hanc functionem obeunt, vt simulachrum exornent iuxta Asopū. Mulierem item currui impositam, nuptiarum administratricem constituunt. Hi verò rursus sortem ducunt, quo nam ordine pompam celebrent. Inde currus à fluuio vsq; ad cacumen Citharonis impellunt Thebani. Instructa est autem eis in vertice montis ara, quæ hoc modo confici solet. Ligna quadrangula compacta inuicem coniungunt instar ædificij, quod ex lapidibus construitur, sublataq; in altum sarmenta important. Ciues itaq; & magistratus maturæ ætatis vaccam singuli vt immolarunt Iunoni, & Ioui taurum, hostias, vini & suffimenti plenas, simul & Dædala super aram collocant. Priuati autem homines tantum immolant, quantum opulenti. Sed qui simili potentia non sunt, ouium partes tenuiores sacrificare consueuerunt. Simul etiam immolant hostias vniuersas, & cum ipsis aram etiam correptam ignis consumit.

DAVLIDIS festum.

DAulidis festum erat apud Argos, in quo fuit imitatio pugnæ Præti in Acrisium, vt refert Cælius lib. 18. cap. 24.

ΔΗΛΙΑ.

THucydides lib.3.celebritatis Deliæ, & ludorum seu certaminum quorundam quæ in ea fiebant his verbis meminit: Fuerat inquit, prisca memoria ingens apud Delon celebritas Ionum & ex circumiectis insulis hominum, qui cum coniugibus ac liberis spectabant, vt nunc ad Ephesia festa Iones confluunt, fiebatq; certamen gymnicum, musicumq;, & ciuitates choros ducebant. Quæ ita fuisse declarat inprimis Homerus his versibus, qui habentur in proœmio Apollinis: Deliorũ ritus.

Ἀλλὰ σὺ δήλῳ φοῖβε μάλιστ' ὄπιπτέρπεαι ἦτορ
Εἰ θὰ τοι ἑλκεχίτωνες ἰάονες ἠγερέθονται,
Αὐτοῖς σὺν παίδεσι, καὶ αἰδοίης ἀλόχοισιν.
Οἵ ὄ σε πυγμαχίῃ τε, καὶ ὀρχηθμῷ, καὶ ἀοιδῇ
Μνησάμενοι, τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα.
Tunc tibi magnopere in Delo mens gestit Apollo,
Cum natis quoties cum coniugibusq; frequentes
Iones in fluxa celebrant tua compita veste.
Cestibus, & varijs certamina sacra choreis
Oblectant, referunq; tuas modulamine laudes.

Quòd autem & musici certamine proposito, illuc se certaturi contulerint, his versibus idem poeta indicat, qui sunt ex eodem proœmio. Siquidem Deliacum fœminarũ chorum laudans, ita versus laudationis eius finit, in quibus & suijpsius meminit:

Αλλ' ἄγε δὴ Λητῳ μὴ, Ἀπόλλων, Ἀρτέμιδι ξυὼ,
Χαίρετε δ' ὑμεῖς πᾶσαι. ἐμεῖο δ', καὶ μετόπισθε
Μνήσασθ', ὁππότε κέν τις ὀπιχθονίων ἀνθρώπων
Εἰνθάδ' ἀνείρηται ξεῖνος ταλαπείριος ἐλθών.
Ω κοῦραι, τὶς δ' ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστος ἀοιδῶν
Εἰνθάδε πωλεῖται, καὶ τέῳ τέρπεσθε μάλιστα.
Ὑμεῖς δ' ἓυ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθε ἀφ' ἡμείων.
Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δ' ἐν χίῳ ἐν παιπαλοέσσῃ.
Verùm age dum nobis assis cum Phœbe Diana,
Vos etiam cunctæ me discedente valete:
Et memores estote mei posthac, homo si quis
Venerit huc alius peregrè, dicatq; puellæ,
Quis vir in his versans vnquam lepidissimus oris
Pectora præcipuè demulsit vestra canendo,
Vos vno assensu sic respondete fauentes,
Vir qui luminibus captus Chion incolit altam.

Quibus vtique Homerus significauit iam olim apud Delum magnum conuentum ac festum consuesse celebrari.

Originẽ aũt solẽnitatis huius Plutarchus ad Theseũ refert. Sic enim in eius vita scribit: Ex Creta in Delum soluens Theseus, vna cum iuuenibus eum instituit chorum, quem adhuc Delios obseruare ferunt, circuitus atque exitus labyrinthi hac imitatione recensentes, quæ numeris quibusdam alternis orbibus orbes impediat. Id autem chori genus Γέρανον à Delijs nuncupatur, vt Dicæarchus scribit. Atque hunc chorum circa Ceratonem aram celebrauit, ex cornibus concinnis & inter se congruentibus sinistris omnibus structam. Ab eodem statutum in Delo certamen memorant, victoribusque tunc primum palmæ præmium esse propositum. Deliorũ origo.

Sed & hæc certamina & cætera pleraq; aduersis casibus, vt credibile est, exoleuerunt, Thucydide teste. Peloponnesiaci autem belli anno sexto Athenienses, lustrata penitùs & expiata Delo, quinquennalia festa Delia siue instaurarunt, siue de nouo instituerunt, Thu- Delia certamina exoleta, sed instaurata.

cydide teste, qui libro tertio sic scribit: Eadem hyeme Delum κάθηραν expiauere Athenienses ex oraculo quodam. Nam & Pisistratus tyrannus eam prius expiauerat, sed non omnem, verùm quatenus à templo prospectus patebat. Tunc autem omnis expiata est, idq; ad hunc modum. Quæcunq; in Delo defunctorum corporum monumenta extitere, omnia sustulerunt, & in posterum edixerunt ne quis in insula neq; moreretur, neq; nasceretur, sed moritu ri iam in Rheniam transportarentur insulam, ita parùm à Delo distantem, vt Polycrates Samiorum tyrannus, cùm aliquando & classe polleret, & alijs insulis imperitaret, captam Rheniam catena annecteret Delo, Delioq; Apollini consecraret. Τότε δὲ πρῶτον μετὰ τοῦτον τὸν καθαρσιν ἐποίησαν οἱ Ἀθηναῖοι τὰ Δήλια, id est, tunc primùm post lustrationem quinto quoq; anno celebrarunt Athenienses Delia. Primiq; Athenienses in ijs certamen instituerunt, & cursus equorum, quod ante non fuerat.

ΔΗΜΗΤΡΙΑ.

Festi huius ritus.

PEllena, Achaiæ ciuitate, distat stadijs circiter 60. Mysium, templum Cereris Mysiæ, & nemus omnis generis arboribus consitum. Ibi festum septem dierum Cereri celebrarunt, viri pariter & mulieres. Die autem festi tertio, è templo viri se subduxerunt, quin è canibus etiam mares inde expulsi sunt. Relictæ verò mulieres, ea noctu peregerunt, quæ ritus postulauit. Postero die reuersos in templum viros deriserunt, & dicterijs exagitarunt mulieres, & has vicissim viri. Pausanias in Achaicis.

Festum aliud Cereris.

Idem author in Messeniacis refert, in Ægila, ditionis Laconicæ vrbe, mulieres festum quotannis Cereri celebrasse: cumq; Messeniaco bello Aristomenes, Rex Messeniorum, impetum in eas, hoc festo die congregatas, fecisset, multos Messeniorum & gladijs ab eis fuisse vulneratos, quibus victimas secuerint, & verubus, quibus carnes, cum assarent, transfixerint. Meminit etiam in Arcadicis festi, quòd Mantinenses, & alterius quod Trisaules & Damithates in honorem eiusdem Deæ quotannis celebrarint. In Pyræa quoq; nemore agri Sicyonij sacellum fuit Cereris Προσταΐας, vbi viri per se festa celebrarunt, sicut νυμφαία mulieres modò frequentabant, vbi Bacchi, Cereris & Proserpinæ erant simulachra, Pausania authore: refert etiam Cælius L. A. lib. 28. cap. 7. & Gyraldus de Dijs Syntag. 14.

ΔΗΜΗΤΡΟΣ ΜΕΛΑΙΝΗΣ festum.

Ceres cur nigra dicta. Festi huius ritus.

CEres μέλαινα, id est nigra inde appellata est, quòd nigra veste fuerit induta, ob indignationem contra Iouem, de rapta Proserpina. Eam festo & sacrificio quotannis coluerunt Phigalenses, hoc ritu. Ad aram, ante antrum extructam, in quo Deæ simulachrum fuit, arborum hortensium fructus tum alios posuerunt, tum vuas & apum fauos, καὶ ἐρίων τε καὶ μὴ ἐς ἐργασίαν πω ἥκοντα, ἀλλὰ ἔτι ἀνάπλεα τῷ ὀισυπι, hoc est, lanas nondum subactas, sed sordibus adhuc plenas. Omnia hæc vbi apposuerunt, oleo perfundunt. Hæc tùm viri plebeij, tum qui publicis muneribus præsunt quotannis sacrificijs his adhibuerunt. Sacerdos autem rem sacram facit, & cum ea natu minimus ex ἱεροθύταις, quorum ex ciuibus numero tres fuerunt. Pausanias in Arcadicis.

ΔΙΑΜΑΣΤΙΓΩΣΙΣ.

Diamastigosis à Lacedæm. vsurpata.

DIamastigosin, Latinè Flagellationem, solennitatem fuisse maximam apud Lacedæmonios Tertullianus in Apologetico, & in libro ad Martyres his verbis testatur: Hodie apud Lacedæmonios solennitas maxima est Diamastigosis, id est, Flagellatio: in quo sacro ante aram Dianæ Orthiæ & Mercurij nobiles adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus & propinquis, & vti perseuerent adhortantibus. Sic etiam Plutarchus in Laconicis Apophtegm. Lacedæmone, inquit, pueri per integrum diem flagellis cæsi, sepenumerò ad mortem vsque apud Dianæ Orthiæ aram, læti alacresque tollerant, atq;

Diamastigosis ritus.

inter

inter se de victoria certarint, in eo posita, qui diutius magisq; perferat verbera: victoremq; summa consequitur gloria. Certamen id Flagellatio dicitur, & quotannis hebetur. Hæc ille. Hac de re plura vide apud Philochorum in vita Tyanei Apoll. & Gregor. Nazianz. & Lucianum in Anacharsi. Vnde autem nata sit hæc consuetudo apud Lacedæmonios, Plutarchus in vita Aristidis indicat: In prælio, inquit, contra Mardonium Persam, quum Pausanias paulisper extra militum stationes rem diuinam faceret, nonnulli repentè Lydi irrumpentes, sacrificiorum apparatum diripuerunt ac dissiecerunt, quos ipse & qui latus eius cingebant, quum inermes essent, virgis ac loris percusserunt. Ideoq; nunc in eius excursionis memoriam, in ephœbos plagis circa aram sæuiunt, & inde Lydorum celebritatem seruant. Alij tamen à Lycurgo institutam volunt, ne humana victima, vt fiebat, Dea placanda esset, ob cædem hominum ad eius aram factam, cùm inter se pugnassent Limnates, Cynosurenses, Mesoani & Pitanenses, vt refert Alex. Sardus lib. 3. de Moribus gentium. Ægyptij quoque dæmoni maximo vaccam multis ceremonijs, teste Herodoto, immolare solebat, quod sacrificium dum ardebat omnes verberabantur. Et in Arcadia Dionysij templum fuit, in quo puellæ difflagellabantur vsque ad necem, vt refert Alexand. ab Alexand. lib. 6. cap. vltimo. In Peloponneso etiam ephœbi ad monumenta Pelopis prope Alphæum flagris decertarunt, ad effusionem vsque sanguinis, & αἱμαχθείας à Pindaro dicuntur, quasi animæ mortuorum hoc sanguine saturentur. Hinc ad Christianos quoque stultitia hæc propagata est. Nam circa annos 1260. religiosi quidam Flagellantes exorti sunt, qui vestibus se exuentes supernè vmbelico tenus nudi, cætera linteo talari tecti, capiteque, ne agnoscerentur, operto, scutica nodosa intra & extra templa humeros & pectus lacerarunt, crudeliterq; se verberarunt. Etsi verò Clemens 5. Pontifex Rom. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, his & omnibus Christianis prohibuerit, ne de cætero publicis flagellationibus vterentur, sed pœnitens clam, si vellet, se flagellaret: nihilominus tamen per Italiam, Hispaniamque imprimis eiusmodi flagellationes retentæ sunt: qua de re cap. 30. lib. 6. de Origine & Progressu Monachatus plura diximus.

Ritus huius origo.

Flagellatio etiam alijs populis vsitata.

Flagellationes Christianorũ.

ΔΟΡΠΙΑ.

MEminit Herodotus in Euterpe cuiusdam solennitatis, quæ Dorpia dicebatur, in qua Ægyptij singuli ante ianuas priuatarum ædium sues in honorem Bacchi iugulare consueuerint. Verba eius hæc sunt Τῷ δὲ Διονύσῳ τῆς ἑορτῆς τῇ Δορπίῃ, χοῖρον πρὸ τῶν θυρέων σφάξας ἕκαστος, δίδοῖ ἀποφέρεσθαι τὸν χοῖρον αὐτῷ τῷ ἀποδομδύοντι τῶν συβωτέων. Dionysio die solennitatis Dorpiæ suem ante fores singuli iugulantes reddunt subulco illi, qui attulerat suem. Alia igitur est ab ea solennitate de qua in Apaturijs scripsimus.

Dorpiorum ritus.

ΕΙΛΕΙΘΥΙΑ.

MAxima religione Eleenses εἰλειθύας, hoc est, Lucinæ sacrum & festum celebrarunt, quòd eius ope victoriam ex Arcadibus reportassent. Nam quum Arcades Eleorum agrum hostiliter inuasissent, omniaq; incursionibus popularentur, in aciem aduersus illos prodierunt Elei. Tum ferunt mulierem, quæ puero mammã præberet, ad Eleorum duces accessisse, quæ se puerum illum peperisse diceret, hortataq; est, vt eum eius belli socium sibi asciscerent, quòd ipsa ita esset per somnum admonita. Tunc qui summæ rei præerant inter Eleos fidem mulieri præstantes, puerum nudum ante signa locandum curarunt: deinde quum facerent impressionem in hostes, puer is in serpentem vertitur in conspectu omnium. Eo prodigio territi Arcades in fugam vertuntur, atque Elei quo in loco sub terram ingressus est serpens, vbique victoriam sunt adepti templum illi puero erexerunt, quem σωσίπολιν vrbis seruatorem appellarunt: ibidemque sunt Lucinæ solennia festa & honores decreti, quòd eam puerum illum peperisse & attulisse interpretati sunt. Annua sacerdos ibi eligi solita

Elithyiarum origo.

Festi huius ritus.

fuit, quæ Lucinæ sacrificaret, ad quam omnibus erat aditus. Ad Sosipolim verò nemini accedere licebat, nisi vetulæ sacerdoti, quam etiam certo ritu ornatam esse oportebat: nam & facie & capite velata candido textili ad illius simulachrum accedebat. In templo Lucinæ tum virgines tum etiam nuptæ remanentes hymnum in Sosipolim decantabant, & quoduis odorum genus adolebant, quum vinum ex illis sacrificijs omnino exularet.

Lucinæ aliud festum.

Culta est etiam apud Hermionenses festo & præcipuo quodam honore Lucina, quam summa religione & hostijs, & odoribus, & donis quàm plurimis decorabant: neque illius signum cuipiam, nisi illis mulierculis, quæ rem sacram facerent, conspicere fas erat, vt ait Pausanias in Corinthiacis, atq; etiam refert Natalis Comes lib. 4. Mytholog. cap. 1

ΕΛΕΝΙΑ.

Ελένια, teste Hesychio, dicebatur ἑορτή τις ἀγομένη ὑπὸ Λακώνων, in honorem Helenæ. Eandem & ἑλενηφορίαν dictam fuisse arbitror, à Cistis, quæ ansas salignas habentes, vimine contextæ erant, & in ijs circumferebantur, arcana quædam, vt Pollux in vltimo docet: verba enim eius hæc sunt, ἑλένη πλεκτὸν ἀγγεῖον σπαρτινον, τὰ χείλη ὀισύϊνον, ἐν ᾧ φέρουσιν ἱερὰ ἄῤῥητα τῆς ἑλενηφορίοις.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ Platæensium.

Solennitatis huius origo, & ritus.

Strabo lib. 9. scribit, apud Plateas eò loci, quo Græci Mardonium cum trecentis Persarum millibus occidione deleuerunt, Eleutherio Ioui templum constructum fuisse, & certamen gymnicum cum coronis institutum: ludos q; ipsos Eleutheria, id est, liberatoria appellata. Pausanias quoq; in Boeoticis, Eleutherij Iouis aram non longè à communi Græcorum sepulchro describit, quod ad Plateæ ingressum fuit, quo loco quinto quoque anno certamen celebrabatur, & maxima præmia cursus sunt proposita. Cucurrerunt autem armati ante aram. Eadem Plutarchus in Aristide, & Pindari Scholiastes in 3. Olymp. hymno referunt.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ Samiorum.

Eleutheriorũ origo.

Ελευθέρια Libertatis festum interpretantur, quod Samij instituerunt & celebrarunt. De eo nanq; sic Athenæus lib. 13. ex Erxia in rebus Colophonijs, scribit: Σάμιοι γυμνάσιον ἀναθέντες τῷ ἔρωτι τῷ διὰ τούτων ἀγομένῳ ἑορτῷ ἐλευθέρια προσηγόρευσαν: δι' ὃν θεὸν Ἀθηναῖοι ἐλευθερίας ἔτυχον: καὶ οἱ Πεισιστρατίδαι ἐκπεσόντες ἐπεχείρησαν διαβάλλειν πρῶτον τὰς περὶ τὸν θεὸν τελουμένας πράξεις. Hoc est: Samij, cùm Amori gymnasium dicassent, festum, quod propterea celebrarunt, Liberalia appellarunt: ob quem Deum Athenienses libertatem sunt consecuti. At cùm eiecti essent Pisistratidæ, conati sunt calumnijs impetere ea quæ in huius Dei honorem fiebant: Meminit etiam festi huius Plautus ex Persa, inquiens: Basilicè agito Eleutheria.

ΕΛΛΟΤΙΑ.

Hellotiorum origo.

Ελλοτία Corinthiorum fuit festum, in Mineruæ honorem institutum hac occasione. Cùm Dorienses Corinthum vrbem cepissent, arderentq; duæ sorores Eurytion & Hellotis, in Palladis templum confugierunt, ibiq; interierunt. Mox autem subsequuta peste oraculum redditum est, expiandos sororum harum manes. Cessante igitur pestilentia, templum Mineruæ Hellotidi construxerunt, & Hellotiam celebritatem instituerunt: vt refert Gyraldus Syntagm. 11. Cælius Rhodig. lib. 11. cap. 27. addit, celebratum in hoc festo agonem Lampadodronicum, in quo cucurrerint iuuenes ardentibus facibus. Athenæus lib. 15. cap. 8. ex Seleuco in Linguis scribit, coronam ex myrto compositam, quæ viginti vlnarum habeat circumferentiam, Hellotidem vocari, atque in Hellotum festo in pompa præferri.

Hellotiorum ritus.

ΕΜΠΛΟΚΙΑ.

ΕΜπλοκία celebritas fuit apud Athenienses, in qua mulieres plexis capillis procedere solebant, Hesychio teste. Mentionem etiam eius facit Gyraldus de Diis Syntag. 17.

ΕΠΑΓΟΜΕΝΑΙ ΗΜΕΡΑΙ.

Festi huius origo.

AEgyptij dies quinq; in anno, vt natales deorum, festas egerunt, & ἐπαγομένας vocarunt: de quibus Plutarchus in libello de Iside & Osiride sic scribit. Rea aiunt occultè cum Saturno congressæ, Solem, qui id flagitium deprehendisset, imprecatum fuisse, vt neq; in mense, neq; in anno pareret. Sed Mercurium deæ amore captum, cum ea coijsse, ac deinde in ludo cum luna victorem, septuagesimam partem cuiusuis diei abstulisse, atq; ex his omnibus dies quinq; confeciisse, ac 360. anni diebus adieciisse: quæ quinq; dies nunc ab Ægyptijs Epagomenæ, id est, adiectitiæ vocantur, & vt Natales deorum festè aguntur. Prima autem earum die Osirim natum dicunt. Secunda Aruerin, quem alij Apollinem, nonnulli Orum seniorem appellant. Tertia Typhonem, non suo tempore & loco, sed latere ictu perrupto exsiluisse. Quarta Isidem in Panygris. Quinta Nophthyn, quam & Finem, & Venerem, & Victoriam nominant. Patrem autem Osiridis & Arueris fuisse Solem: Isidis Mercurium: Typhonis & Nephthys Saturnum. Itaq; etiam tertium epactarum diem reges pro nefasto habentes, non dabant responsa, neq; ante noctem corpora curabant.

ΕΠΙΔΑΥΡΙΑ.

EPidauria diem festum Athenienses celebrarunt, quo Æsculapium, in Epidauriorum agro natum, initiarunt, Pausania teste in Chorinthiacis.

ΕΡΜΑΙΑ.

Hermæorum ritus.

HErmæa Cretensium fuere festa, in honorem Mercurij celebrata: in quibus seruis discumbentibus subseruiebant domini, perinde vt in Saturnalibus apud Romanos: vt refert Athenæus lib. 14. cap. 16. ex Historicis Commentarijs Carystij, & Cælius lib. 13. cap. 23. Lect. Antiq.

Pheneatæ quoq; Mercurium maximè coluerunt; & certamen celebrarunt in eius honorem ἑρμαῖα, id est, Mercurialia, Pausania authore in Arcadicis.

ΕΡΩΤΙΔΙΑ.

EPωτίδια festum fuit, quod à Thespiensibus celebrabatur in honorem Musæ Eratus, seu Amoris, vt Athenæus lib. 13. indicat. Plutarchus vocat ἐρωτικά.

ΕΤΑΙΡΙΔΕΙΑ.

Hetæridiorum origo.

ETαιρίδεια Hetæridia festum in honorem Ioui Sodalitij, Magnesiæ celebrari solitũ, ab Iasone institutum fuit, quum Argonautæ in vnum conuenissent. Vnde Athenæus nõ ab ἑταίρας, hoc est, meretricibus dictum scribens, sic inquit lib. 13. ex Hegesandri Commentarijs: ἱστοροῦσι δ' πρῶτον Ἰάσονα τὸν Αἴσονος σωσαμένον τοὺς Ἀργοναύτας, ἑταιρείῳ Διὶ θῦσαι, καὶ τῷ ἑορτῷ ἑταιρίδεια προσαγορεῦσαι. Macedonum reges diu hoc festum conseruarunt. Meminit eius & Cælius lib. 14. cap. 4.

ΕΦΕΣΤΡΙΑ.

Ephestria in honorem Tiresiæ instituta, & quare.

EPhestria Thebis festa fuerunt, ob Tiresiam instituta. Fuit autem Tiresias Thebanus vates, Euero patre genitus, qui quum aliquando in Citherone vidisset duos dracones coeuntes, obseruata fœmina occidit illam: quo facto in fœminam & ipse mutatus est. Deinde quũ rursus post septẽ annos eodem pacto & marẽ draconem interfecisset, in pristinã formã redijt. Accidit igitur aliquando, certantibus inter se Ioue & Iunone, virine an fœminæ

maiorem ex venere voluptatem caperent, vt ille iudex sit adhibitus, vt qui vtranq; voluptatem expertus fuisset. Tiresias autem pro Ioue sententiam tulit, asserens multò plus ex coitu voluptatis percipere fœminas. Ob quod à Iunone excæcatus est. Iupiter autem in solatium visus amissi diuinationis donum illi dedit. Tandem verò ei mortuo, & sub Thilphosso monte Boeotiæ, iuxta fontem Thilphossam sepulto, Thebani diuinos honores tribuerunt, & festium instituerunt. In eo Tiresiæ simulachrum virilibus vestimentis exuebatur, & muliebribus induebatur: moxq; illis ademptis, iterum virilibus induebatur, alludentes ad hanc Tiresiæ fabulam. Dicta verò sunt Ἐφέστρια, ἀπὸ τῆς ἐφεστρίδος: quod Sagum Alciatus interpretatur: Budæus verò Chlamydem, annotans ex Plutarcho thoraci superindui: Suidas autem Cilicium. Sed & generatim pro quouis vestimento ponitur. Vnde Herodianus li. 4. senatoribus etiam tribuit.

Ephæstrioriũ ritus.

Ephæstria vnde dicta.

HPAIA seu TONAIA.

Hera quæ Dea

HEræa dicebantur Iunonis festa & sacra ab ipsa Dea, quam Plato in Cratylo ἥραν nominatam existimat ὡς ἐρατὴν τινα: alij putãt quòd ἠρα quasi ἀὴρ per Metathesin dicta fuerit, ab aëre nimirum. Fuerunt aũt celeberrimum apud Samios festũ: de cuius origine Athenæus lib. 15. cap. 3. ex Menodoti Samij Commentarijs, quæ inscribuntur, Τὰ κατὰ τὴν Σάμον ἐπιδόξων ἀναγραφὴ, ita scribit. Admete, inquit, Eurysthei filia in Samum ex Argo profugit: quæ quum Iunonem sibi apparentem vidisset, gratiamq; referre ex aliqua parte vellet, quia eam incolumem domo profectam seruasset, curauit id sacellum diligenter, quòd à Lelegibus ac Nymphis antea Deæ institutum fuit, quodq; his etiam temporibus existit. Hoc quum audissent Argiui, grauiterq; tulissent, persuadere Tyrrhenis, multa promissa pecunia, conati sunt, qui Lepricis legibus viuerent, vt idolum raperent: Sperabant enim Argiui, si id effectum esset, fore vt Admete aliquod malum omninò Samum habitantibus persuaderet. Cùm Tyrrheni peruenissent εἰς τὸν ἡραῖον ὅρμον, ad Iunonium portum, exeuntesq; statim rem adorirentur, idolum facilè ceperunt, quum præsertim templum eo tempore esset sine foribus, tum ad mare portantes in nauim continuò detulerunt. Cùm rudentes soluissent, cæpissentq; anchoras, omniq; remigum industria vterentur, discedere non potuerunt. Eam verò rem admirati, atque diuinitùs accidisse existimantes, rursus idolum ex naui exportarunt, ac in littore deposuerunt: tum illi liba offerentes discesserunt valdè timidi. Quum significasset manè Admete, quòd idolum euanuisset, sum maq; diligentia quæreretur, in littore id inuenerunt. Atque suspicati sunt sponte sua ad barbaros Cares auffugiens conuertisse, pectusq; ad viticem firmasse, longioresq; ramos vtrinq; se contraxisse, atque omni ex parte id complexos fuisse. Quum Admete id soluisset, & expiasset, super base constituit, atque velut antea, collocauit. Hinc factum est vt quotannis idolum in littus afferatur, atque non appareat: cui liba offerunt, & festum TONAEA vocatur, quoniam confestim ac raptim, & cum vi quadam idolum constat corripuisse eos, qui prius ipsum perquirebant. Vbi notandum obiter, pro eo quòd Natalis de Comitibus interpres Athenæi hoc loco Τοναῖαν ἑορτὴν legit, in Græco Aldi exemplari haberi τὸ νεατὴν ἑορτήν.

Heræorum origo.

Heræorum ritus.

Narrat idem author lib. 12. cap. 9. ex Duride, & veteri poeta Asio, Samios, quum hoc festum celebrarent, circa brachia χλιδῶνας, hoc est, armillas, aliaq; eius generis ornamenta muliebria gestare consueuisse, & comas pexas habentes, atq; in tergum reiectas, incessisse. Cui rei etiam fidem facit vetus prouerbium, Ἐπαΐζειν ἡραῖον ἐμπεπλεγμένον, Ad Iunonium festum accedere implicatum. Sunt autem hi versus poetæ Asij:

Οἱ δ' ἄυτως ποίτισκον ὅπως πλοκάμους κλενίσαιντο
Εἰς ἥρας τέμενος πεπυκασμένοι εἰμασι καλοῖς,
Χιονέοισι χιτῶσι πέδον χθονὸς εὐρέος ἔιχον·
Χρυσειαι δ' κόρυμβαι ἐπ' ἀυτῶν τέττιγες ὥς
Χαῖται δ' ὠρευτανέμῳ χρυσέοις ἐνὶ δεσμοῖς

Δαιδαλέοι ᾗ χλιδῶνες ἀρ' ἀμφιβεβήκοσι
Νήσαντες ὑπαπτίδιον πλεμιζῶ.

Hoc est, vt Natalis de Comitibus reddidit:

Sic illi pexi Iunonis templa petebant
In lucum, ornati perpulchris vestibus: atq;
Tellurem niueis texerunt vestibus omnes.
Aurea cæsariem contortam vincula nectunt.
Ornatus muliebris adest his brachia circum,
Circumdans scutum bellicosum.

Hinc fortasse Lactantius scripsit, Iunoni anniuersaria festa ac sacra in Samo fieri solita in nubentis Deæ morem.

Coi etiam festum & sacrificium celebrarunt Iunoni, in quo non licuit seruis ad conuiuia dominorum ingredi, vt Athenæus indicat lib. 14. cap. 17. Quamobrem Philarchus scripsit eodem authore, Iunonis festum aliud.

Σύριοι ὅι μὲν οἱ μὴ ἐλεύθεροι εἰσ' ἱερουργοί,
Ἀνθρώποις πρὸς κείνοισιν ἐλεύθερον ἆμαρ ἔχοντες.
Δούλων δ' ἔτις πάμπαν εἰσέρχεται ἢδ' ἠβαιόν.

Hoc est:

Surij soli quidem liberi sacrificant,
Homines apud illos liberum diem habentes
Seruorum nullus prorsus ingreditur vel paulùm.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ.

THebis Herculi faciebant ἡράκλεια *Heraclea, eiusq; liberis ex Megera, quos ipse furens interfecerat: fuereq; Polydorus, Anicetus, Mecistophonus, Patrocles, Toxoclitus, Menebrontes & Chersibius: alij verò Therimacum vocatos dicunt, Creontiadem, Aristodemum, Decoontem, Deionem, Antimachum, Clymenum, & Glenum, quos Lysimachus non ab Hercule, sed ab hostibus tradidit dolo interemptos. Certaminis precium erat myrtea corona, vt argenteæ phialæ Heracleorum, quæ agebantur in Attica ad Marathona, ob taurum à Theseo peremptũ, quæ & Marathonia vocabantur: Sardus li. 3. de Moribus gentiũ.* Heracleorum origo. Præmium.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ alia.

PAusanias in Boeoticis testatur, Thisbæ & Thiphæ, oppidis Boeotiæ, templa esse Herculis, ibiq; festa quotannis in eius Dei honorem celebrari.

ΗΡΩΙΣ.

HΡωὶς nomen est festi, quod nono quoq; anno Delphis celebrabatur, Plutarcho authore, qui in Quæst. Græcis, quæst. 12. Τρεῖς (inquit) ἄγουσι Δελφοὶ ἐννατηρίδας κατὰ τὸ ἐξῆς, ὧν τὴν μὲν Σεπτήριον καλοῦσι, τὴν δ' ἠρωΐδα, τὴν δὲ Χάριλαν. *Hoc est, Tres agũt Delphi nono quoq; anno solennitates: quarum vnam* Septerium, *alteram* Heroidam, *tertiam* Charilam *nominant. Et paulò pòst:* Τῆς δ' ἠρωΐδος τὰ πλεῖστα μυθικὸν ἔχει λόγον, ὃν ὄισασιν αἱ θυιάδες. ἐκ τῶν δρωμένων φανερὰς Σεμέλης αὖ τις ἀναγωγὴν εἰκάσειεν. *Id est, Heroidis pleraq; fabulosam habent narrationem, Thyadibus notam. Ex ijs quæ aguntur, liquidò quis Semeles exercitationem seu reductionem coniiciat repræsentari.* Herois nono quoque anno celebrata.

ΗΦΑΙΣΤΕΙΑ.

CErtamina currentium quæ ἡφαίστεια *vocantur cum accensis facibus in honorem Vulcani celebrabantur Athenis, qui sic dictus fuit à Græcis, quasi* φάος ἵστωρ, *hoc est, luminis præses, addita litera n. vt Socrates apud Platonem docet: vel, vt Phurnutus habet,* ἀπὸ τῆς ἅφθαι, *ab incendendo. Dicebantur & Lampadophoria, de quibus ita mentionem* Hephæstiorum ritus. Lampadophoria.

fecit Herodotus in Vrania: Κατάπερ ἕλληνοι ἡ Λομπαδοφορίη τῷ ἡφαίστῳ ὀπιτελέουσι. *Vt apud Græcos Lampadophoria in honorem Vulcani peragunt, in quibus per vices ferunt cursores faces. Erat horum certaminum consuetudo, vt currentes summo studio conarentur accensas faces ad metam vsq; deferre: at cui fax erat extincta, ille cum infamia cessabat à cursu. Si quis cum accensa face fuisset à sequente superatus currendo, lege certaminum cogebatur sequenti accensam lampadem tradere: quam rem indicauit Lucretius lib. 2. ita canens:*

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Nam si quis rectè consideret, huic certamini simillima vniuersa vita mortalium videbitur. Fuit autem ea de causa certamen Vulcano cum igne institutum, vt Cœlius lib. 11. cap. 27. ex Istro indicat, quòd is ignem inuenisse à nonnullis creditur: quod tamen non est sine controuersia, quum ignis inuentionem nonnulli Promethæo ascribant: Ac Lucretius multò his probabiliorem inuenti ignis rationem attulit lib. 5.

Illud in his rebus tacitus ne fortè requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus: inde omnis flammarum deditur ardor.

Illud igitur fortasse contigit, quòd igne inuento primus Vulcanus eas artes, quæ fiunt per ignem, inuenerit.

ΘΑΛΥΣΙΑ.

Thalysia quæ.

Θαλύσια *Theocriti Scholiastes dicit esse festum, quod post fruges comportatas in honorem Cereris agitaretur: vnde & Cerealia quidam interpretantur. Idyll. ζ.* Ἰᾷ Διῶι γὰ ἔτευχε θαλύσια. *Alijs* Θαλύσια *sunt festiuitates, quæ cum* θαλλοῖς, *id est, ramis virentibus, fiunt: & generaliter omnia festa: vel potius αἱ ὑπὲρ εὐθαλίας καὶ εὐφορίας τῶν καρπῶν διδόμεναι θυσίαι, καὶ ἀπερθίνια, καὶ καρπῶν ἀπαρχαί. Eustathius quum dixisset* θαλύσια *esse τὰς μετὰ συλλογὴν τῶν καρπῶν διδομένας θεῷ ὑπὲρ τοῦ καὶ εἰσέπειτα θάλλειν τὰς ἀρούρας, ἀπαρχὰς, subiungit quosdam rhetorum* Συγκομιστήρια *hæc appellasse, Festa scilicet quibus in frugum comportatione sacra fiebant,* θυσία ὅτι συγκομιδῆ καρπῶν. *Ibidem dicit ὅτι συγκομιδῇ τῶν καρπῶν* θαλύσια *solita fuisse θύεσθαι. Fortasse eadem fuerunt cum* Ἀλῶοις *& ὡραίοις. Stephanus in suo Thesauro.*

ΘΕΟΓΑΜΙΑ.

Theogamia vnde dicta.

Theogamia festum fuit Proserpinæ, inde dictum, quòd Pluto raptam Proserpinam sibi connubio iunxisset. Cœlius lib. 26. cap. 20. L. A.

ΘΕΟΞΕΝΙΑ.

Theoxenia quæ.

Θεοξένια Theoxenia *festum fuit solenne in omnium communiter Deorum honorem institutum, Polluce & Hesychio auctoribus. Deo eo sic Plutarchus in libello De sera numinis vindicta.* Ἀναμνήσθητι ὃ καὶ τῶν ἐναγχος τῶν θεοξενίων, καὶ τῆς καλῆς ἐκείνης μερίδος, ἣν ἀφαιρεῦντες, τὸν Πίνδαρον κηρύττουσι λαμβάνειν ἀπογόνους, *hoc est, In mentem reuoca nuper celebrata Theoxenia, & præclaram illam portionem, quam eximiam præco edicit Pindari posteros accipere debere. Polemon apud Athenæum li. 9. Sancitum, inquit, apud Delphos est, qui in sacrificio Theoxeniorũ Latonæ gethyllida maximam intulisset de mensa partem caperet. Latini cõmunicarium appellant diẽ, & pandicularem, in quo Dijs omnibus pariter diuina res fiat. Stephanus in Thesauro & Cœlius lib. 12. ca. 1. A. L. In eius locum successit postea apud Christianos Omnium Sanctorum festiuitas.*

Theoxenia certamen Pellenensium.

Θεοξενεια *verò apud Pellenem agon fuit Apollinis honori, quem Theoxenion nuncuparunt. Certabant in eo viri indigenæ, argenti positis præmijs. Pausanias in Achaicis: Cœlius lib. 18. cap. 5. Gyraldus de Dijs Syntag. 17. Præmium victorum fuisse dicit Chlænam*

seu

seu Chlamydem. Plura de Theoxenijs leges in Commentarijs Pindaricis, qui ea instituta tradunt à Dioscuris, & à Deorum hospitalitate & commercio appellata.

ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ.

THeophania *celebritas fuit, quæ Delphis Apollini agebatur, cuius Herodotus lib. 1. meminit, de cratere argenteo scribens, qui amphoras sexaginta capiebat, & à Cræso Apollini Delphico dicatus erat: in eum, inquit, miscebatur vinum à Delphis Theophaniæ festo.*

ΘΥΙΑ.

THyia *apud Eleos festum Bacchi fuit, quod loco ab vrbe octo stadijs distante celebrarunt. In eo lebetes numero tres in ædificium vt pertulerunt sacerdotes, deposuerunt vacuos, in præsentia & ciuium, & hospitum, si qui fortè aduenissent. Signa item tum ipsi sacerdotes, tum alijs quibuscunque placuisset, foribus impresserunt. Postero die & signa agnouerunt, & ingressi ædificium vino repletos lebetes offenderunt. Hæc ita se habere, ex Eleis fide dignos viros, & cum his peregrinos dato iuramento asseuerasse, Pausanias in Eliacis indicat. Andrij quoque perhibuerunt, in Bacchi solennitate vinum apud eos alternis annis sponte ex templo effluxisse, eodem auctore: refert etiam Cælius A. L. libro 15. cap. 28. Sed rectè Pausanias, Credere, inquit, oportet hæc Græcis, & eadem ratione approbet quis ea, quæ Æthiopes supra Syenen de Solis mensa commemorant.*

Thyiorum ritus.

ΘΥΝΝΑΙΟΝ.

A. *Thenæus libro 7. cap. 17. ex Antigoni Carystij libro* περὶ λέξεως *refert, piscatores Neptuno festum ac sacrum persoluentes, quum prosperè captura cessisset, sub ipsum Thunnorum tempus, captum thunnum Deo mactasse, ac sacrificium huiusmodi* Θυννᾶιον *Thynnæum vocasse.*

Thynnæorum origo.

ΙΘΟΜΑΙΑ.

ΙΘωμαία Ithomæa *festa erant annua Messenæniorum, in honorem Iouis* Ἰθωμάτα, *qui à Messenijs colebatur, celebrata. Cognominatus autem sic fuit Iupiter ab Ithome nutrice sua, quæ etiam monti, in quo arx Messeniorum sita fuit, & vrbi quæ & Messenæ, nomen dedit. Referunt Pausanias in Messenacis, Cælius lib. 18. cap. 39. Gyraldus de Dijs Syntagmate 2. & Natalis Comes lib. 2. Mythol. cap. 1.*

ΙΛΙΕΙΑ.

ΙΛίειᾳ Iliea *fuerunt festum quoddam, ab ijs qui Ilium inhabitarunt celebratum. Meminit eius Cælius lib. 12. cap. 12.*

ΙΝΟΥΣ ΕΟΡΤΗ.

EPidaurij Inonis *festum celebrant, in quo in aquam cuiusdam paludis, quam Inonis aquam vocant, libamenta conijciunt ex farina subacta. Hæc si retineat aqua, prospera ei qui iniecit, portenduntur: sin regurgitat, inauspicatum iudicatur, Pausania in Laconicis authore. Idem Crateres in Ætna significarunt. Aurea enim in eos, & argentea, denique omnia quibus in sacris vtuntur instrumenta miserunt: quæ si retinuit ignis, lætati sunt tanquam aliquo bono oblato: sin verò retrusit, quæ fuerunt iniecta, exitium huic viro impendere arbitrati sunt.*

Festi huius ritus.

ΙΟΛΑΙΑ.

THebis Iolaia *celebrarunt ludos seu certamina, ibi enim fuerat sepultus Iolaus, & victori donabant tripodas æneos, quos Græci dabant forti viro: Sardus lib.3. de Moribus gentium.*

ΙΣΙΔΟΣ ΠΑΝΗΓΥΡΙΣ.

Festi huius ritus.

IN Tithorensi agro sacrum adytum Isidis, omnium quotquot Græci huic deæ Ægyptiæ condiderunt, sanctißimum fuit. In id nullis alijs ingressus patuit, nisi quos Isis ipsa venerata est, & per somnia ad se vocauit. Huic Deæ singulis annis bis πανηγυριν, hoc est, festum & celebrem conuentum Tithoreæ egerunt: vnum in vere, alterum in autumno. Tertio autem quoque die ante Panegyrim, quibus ingredi fas fuit, adytum τέμενος τινὰ ἄπορρητον, id est, modo quodam arcano, seu relatu non digno expurgarunt. De victimis item superiori festo & conuentu immolatis, quascunq; inuenerint reliquias, in eundem locum extulerunt, ibiq; defoderunt. Duobus stadijs ab adyto locus hic fuit situs. Hoc ergo die huiusmodi quædam in templo fecerunt. Postridiè σκηνὰς, hoc est, scenas seu pergulas erexerunt caupones ex arundinibus, & alia materia, quæ sua sponte nascitur, constructas. Postremo die mercatum instituerunt, & tum mancipia, tum omnis generis iumenta vendiderunt: vestes insuper, argentum & aurum: circa meridiem ad sacrificia reuersi sunt. Locupletiores ibi & boues immolarunt, & ceruos: pauperiores autem, anseres & aues Meleagridas. Sues sacrificijs inferre non decuit, nec vesci suilla licuit, aut caprina carne. Qui immolarunt victimas extructa pyra in adytum transmiserunt. Victimas autem stringere (καθελίξαι) oportuit loro lineo, aut byssino. Apparatus hic fuit Ægyptius. Cum pompa denique sacerdos quæcunque immolarunt, omnia abduxit. Et quidam victimas in adytum miserunt: quidam ante adytum pergulas incenderunt, ipsiq; celeriter discesserunt. Aiunt præterea, hominem non ex eorum numero, qui in adytum descenderunt, sed prophanum pyra iam ardente, ex rerum alienarum quodam studio, & audacia in adytum quondam descendisse. Omnia autem ei apparuisse simulachris referta. Reuersum deinde Tithoream, quum quæ viderat, narrare instituisset, expirasse, vt Pausanias refert in Phocicis.

Isidis aliud festum.

Solenne quoque Ægyptij celebrarunt Isidi, cùm Osiridem lugere ipsam dixerunt, quo tempore apud eos crescere Nilus incœpit. Et ab incolis dictum fuit, ab Isidis lachrymis augescere Nilum, & agros irrigare. In hoc festo simile quid accidit aliquando quod in superiori. Romanorum enim præfectus Ægypti, hominem pecunia persuasum in Isidis adytum demisit, quod in Copto extat. Is qui demissus erat, rediit quidem ex adyto: sed cùm, quæ viderat, recitare conaretur, subitò est mortuus, Pausania eodem libro authore.

ΚΑΒΕΙΡΩΝ ΟΡΓΙΑ.

Cabiri qui.

SOlennitas quædam fuit apud Thebanos, quam Cabirorum *vocat Pausanias in Messeniacis, & Lycum Pandionis filium eis tradidisse refert. Fuerunt autem Cabiri dij habiti, vel ministri potius deorum: alij dæmonas existimarunt, quorum frequenter fit mentio apud Orpheum, Apollonium, Strabonem & cæteros. Fuere qui Cabiros Corybantes dixerunt, vt lib.10. docet Strabo. Stesimbrotus Thasius hos in Samothrace sacra fecisse ait, & dictos à Cabiro Berecynthiæ monte. Pherecydes scripsit, ex Cabyra Protheï filia, & Vulcano tres Caberos, & tres Caberydas nymphas procreatas, & vtrisq; fuisse templa dicata: in Lemno verò & Imbro summo honore habitos. Alij Caberos nominatos putant à Cabiris Phrygiæ montibus, atque inde traductos. Quidam duos Cabiros tantummodò putauere, Iouem & Dionysium. Alij filios Electræ & Iouis, Dardanum & Iasiona. Quidam Iouis & Alliopes, vt Strabo.*

Sacrorum

Sacrorum autem horum originem Pausanias in Bœoticis ad Cererem refert: ritum autem illorum ne proderet, religione se prohibitum scribit. Tantum dicit, ad Prometheum, et Etnæum eius filium, Cabirorum gentis, Cererem quondam accedentem, & familiaritatem cum eis contrahentem, quædam illis tradidisse, et apud illos deposuisse, quæ tamen nesciantur, nec fas sit ea eloqui. Cabirorum origiorum origo.

Contra Cabiros & hæc eorum sacra, si quid vnquam fuit commissum ira id inexorabili semper esse vindicatum Pausanias in Bœoticis indicat. Quibus, inquit, ritibus sacra Thebis peragebantur, ea Naupacti plebei homines ausi fuerant imitari: sed non ita multò post pœnam dederunt. Deinde qui cum Mardonio è Xerxis exercitu circa Bœotiam relinquebantur, & spe fortasis ducti magnarum opum, aut impulsi diuinarum rerum contemptu, ædem Cabirorum erant ingressi, delirare continuò cœperunt, & aut in mare se, aut de rupibus præcipites dederunt. Cùm etiam victor Alexander, & Thebas ipsas, & Thebanum agrum vniuersum igne depopularetur, Macedones, qui Cabirorum templum subierant, tanquam in terra hostili, fulmine sunt & fulguribus interfecti. Cabiri & eorũ sacra religiosa.

Mirandum deniq; illud de Cabiris traditur, si credere fas est, quòd qui eorum sacris initiati essent, omnem maris tempestatem euadere crederentur.

ΚΙΣΣΟΤΟΜΟΣ.

PHliasij annuum festum celebrarunt, quod à secanda hedera Cissotomos *appellatum fuit, Pausania teste in Corinthiacis.*

ΚΟΡΩΝΗΣ FESTVM.

APud Rhodios festum siue ludicrum solitum fuit celebrari, in quo Κορώνη, *seu Cornici congregatio facta hordei, & id genus rerum aliarum: vnde id* καὶ τῇ κορώνῃ παρθέν᾽ ὁ σύκα: *id est, Cornici virgo fert ficos. Qui verò eiusmodi præessent curæ, dici* Coronistas *inuenio, sicuti Athenæus ex libris De nominibus Alexandrinis indicat Pamphili, & Cœlius lib. 17. cap. 11. Quæ verò ab eisdem in hac contributione festi huius præcinerentur, id est,* τὰ ἀδόμφια, *vel (vt in alijs reperio)* τὰ διδόμφια *quæ dabantur,* Coronismata *vocabant, vt idem author ex Coronistis Ænoclis Rhodij refert. Dicebant autem in collectione ista, vt Athenæus lib. 8. cap. 10. ex Phœnice Colophonio Iamborum scriptore refert:* Festi huius ritus.

Εὐδοὶ κορώνῃ χεῖρα φερόσδοτε κριθῶν
Τῇ παιδὶ τῇ Ἀπόλλωνος, ἣ λέχος πυρῶν,
Ἢ ἄρτον, ἢ ἤμαδον, ἢ ὅτι τις χρήζει,
Δότ᾽ ὦ γαθοὶ τῇδ᾽ ἑκάστῳ τίς αν χερσὶν ἔχει
Κορώνη καὶ ἄλφα λήψεται χόνδρου
Φιλεῖ γὰρ αὐτὴ πύγχυ ταῦτα διαίνυσθαι.
Ὀ νεῦ ἄλφας δίς, αὖθι κριθίον δώσει.
Ὦ παῖ θώρηναν κλεινὲ πλῆτος ἤκουσε,
Καὶ τῇ κορώνῃ παρθένῳ φέρει σύκα.
Θεοὶ γένοιτο μετάπεμπτος ἡ κόρη
Καφνειὸν ἄνδρα κώνομαστὸν ἐξελθεῖν.
Καὶ ταῦ γέροντι παῖζι κέρνον εἰς χεῖρας,
Καὶ μηζὶ κάρλῳ εἰς τὰ γένια καλθεῖν
Θαλὸς. Τρέφειν γυναῖκα τοῖς κασιγνήτοις.
Ἐγὼ δ᾽ ὄκυ πόδες φέρουσι ὀφθαλμὸς
Ἀμείβομαι μύσασι θρὸς θύρας ἄδων
Καὶ δόντι καὶ μὴ δόντι πλείονα τῦδ᾽ γε.

Καὶ ὅτι τέλει ὁ τῶ Ἰάμβου φησὶν:

Αλλ᾽ ὦ γαθοὶ ἐπορέξαθ᾽ ὧν μυχὸς πλήθει

Δὸς ὦναξ καὶ σὺ πολλά μοι νύμφη,
Νόμῳ Κορώνη. χεῖρα δ' ἓν ἐπαγτέσθη
Τοιαῦτ' εἰδὼς δός τι καὶ καταχέσῃ.

Hoc est, Natale de comitibus interprete:

Boni Coronæ tradite hordei manum,
Vel tritici puellæ Apollinis sacri,
Panemúe, seu merum, quod aut cuiuis libet.
Date ô boni quod quilibet manu tenet
Vestrum Coronæ, nam salem & chondrum capit.
Libenter illa prorsus hisce vescitur.
Ceras dabit rursus salem qui nunc dedit.
Puer thorenam inclyte Plutus audijt.
Ficus Coronæ virgo multas attulit.
Dei sit illa mox petenda ab omnibus.
Et splendidum inueniat virum, atq; diuitem.
Mox filium patri seni det in manus,
Matris puella laudat inter & genua
Germen, mulierem fratribus nutrire dehinc.
Ego pedes quò contulere lumina
Rependo musis ad foros cantans statim,
Non dantibus vel plura dantibus simul.

Et in fine Iamborum inquit:

Sed ô boni date intima, est dies quibus
Domus, dato rex, tuq; Nympha multa da,
Mos est Coronæ: quæritanti ergo manum
Cùm noueris da quidpiam, responsa mox dabit.

KOTYTTIA.

Cotytia Corinthiorum.

Κοτύττα seu Κοτυτλὶς, vtrunq; enim inuenitur, festum fuit in honorem Κοτυτοῦς turpitudinis deæ à Corinthijs præcipuè celebratum. Vnde & Eupolis ob odium in Corinthios dæmonis huius sacra mirè exagitat in fabula illa quæ inscribitur Βάπται. Meminit Hesychius & Suidas, nec non Iuuenalis Satyra 2. de sacris Bonæ deæ,

Exagitata procul non intrat fœmina limen:
Solis ara deæ maribus patet: ite profanæ,
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia secreta coluerunt Orgia tæda.
Cecropiam soliti baptæ lassare Cotytto.

Hinc & in poëmatis Vergilianis illud:

Non me vocabis pulchra, at Cotyttia,
Ad feriatos fascinos, &c.

Cotytia vnde dicta.

Et Horatius in Canidiam: Inultus vt tu riseris Cotyttia: quo loco Porphyrion ait, *sacra esse inferorum. Sed ridiculè ait, forsan deduci à Cocyto fluuio inferorum. Quin & Merula Cocyton in Iuuenale Proserpinam interpretatus est, illud perperam citans, Raptam Cocytos ostreosa diuam: quare etiam Domitium meritò & illum ridet Politianus, qui Baptas ait, sacerdotes eius deæ nuncupatos, vnde nomen fabulæ factum: & cætera quæ cap. 10. Miscellaneorum habet.*

Cotytia in Sicilia.

Κοτύτια etiam celebrata in Sicilia ex Plutarchi libro Prouerbiorum, si modò eius est, intelligitur. Nam in Prouerbio ἁρπαγὰ κοτυτλιοις *Rapta Cotyttijs*, κοτυτλὶς, inquit, ἑορτή τις ὄξι σικελικὴ, ἐν ᾗ ὠδὲ τινας πλάθλας ἐξάπτοντες, πόπαια καὶ ἀκρόδρυα ἐπέζεπον ἁρπάζειν, id est, *Cotyttis festum est quoddam apud Siculos, in quo placentæ & arborum fœtus*

fœtus ramis alligabantur, eaque diripienda proponebantur. Putarim ergo nihil aliud esse quàm Mysteria parua Cereris, ob Proserpinæ raptum in Sicilia instituta.

ΚΥΒΕΡΝΗΣΙΑ.

Κυβερνήσια *sunt dies festi, à Theseo, ex Creta redeunte, instituti, & celebrati Athenis in honorem Nausithoi & Phæacis: quorum illo gubernatore, hoc verò Prora rectore vsus est. Plutarchus in Theseo de his ambobus loquens, inquit:* καὶ τὴν ἑορτὴν τὰ κυβερνήσια φησὶν ἐκείνοις τελεῖσθαι. *Meminit etiam Cœlius L. A. lib. 18. cap. 17.*

ΛΑΓΗΝΟΦΟΡΙΑ.

Athenæus initio libri 7. Eratosthenis testimonio comprobat, Alexandriæ Λαγηνοφόρια *fuisse festum quoddam à Ptolemæo institutum, multarum aliarum quoque ceremoniarum ad Bacchi cultum pertinentium inuentore, in quo oliuæ ramos gestarint,* καὶ ἑλικτὰ πυκνὰ καταλιθέντες ὅπη σιβάδων, καὶ ἐξ ἰσλίας ἕκαστος λαγηνίδα παρ' αὐτῶν φέροντες ἔπινον, *ac cœnarint in lectulis accumbentes, & ex sua quisq; lagena biberit, quam secum domo detulisset: quod etiam in festo* χόων *solitum fuit fieri: & inde festum nomen suum sortitum est.* Lagenophorum origo & ritus.

His vt nomine, ita reipsa quoque respondent Christianorum quorundam Othmaria (quæ etiam S. Othmari lagena vocantur) potationibus peruigilibus celebrari solita: de quibus suo loco plura. Othmaria Christianorum.

ΛΑΦΡΙΑ.

Λαφρία *festum fuit Patrensium & Calidoniorum, in honorem Dianæ celebratum, quæ colebatur in arce Patrensium, & de Phocensis Laphrij nomine, eius statuæ authoris,* Laphriæ *adepta cognomentum est apud Calidonios, quod & apud Patrenses obtinuit, illuc translato simulachro. Sunt tamen qui Deam ita malint dictam, quòd eius ὀργὴ εἰς Οἰνέα, tandem Calidonijs factum foret* ἱλαφρότερον: *id est, quòd ira eius aduersus Oeneum singulis annis mitigaretur: Pausanias in Achaicis: vbi porrò indicat, in hoc annuo festo ritum patrium sacrificandi talem fuisse. Ligna circa aram vndique apposuerunt viridia, quorum singula fuerunt decem & sex cubitorum longa. In interiori aræ parte ligna fuerunt aridissima. Sub festi tempus ascensum struxerunt ad aram, ingesta ad aræ gradus terra molliori. Ac primùm quidem pompam Dianæ magnificentissimam celebrarunt, & virgo sacerdos vltima inuecta est post pompam, ceruis currui subiunctis. Postero autem die sacrificia persoluerunt. Publicè item ciuitas non minus, quàm priuati homines, quadam cum æmulatione festum hoc celebrarunt. Volucres enim viuas aræ iniecerunt, & omnis simul generis victimas. Apros deinde, ceruos & capreas. Nonnulli etiam luporum & vrsorum catulos. Nonnulli feras grandiores. Apposuerunt aræ & hortensium arborum fructus. Post hæc ligna incenderunt. Testatur Pausanias, se vrsum vidisse & alia animalia, ad primum statim ignis impetum exilire, quædam verò robustiora effugere, sed eos qui antè iniecissent, ad pyram reducere: vulneratum autem à feris neminem. Meminit etiam Cœlius L. A. lib. 13. cap. 34. & Gyraldus de Dijs Syntag. 12.* Laphriorum ritus. Laphria Dianæ celebrata, & vnde dicta.

ΛΑΜΠΤΗΡΙΑ.

Apud Pallenenses templũ fuit, in quo festum agebatur Bacchò λαμπήρῳ, *quod* λαμπηδίαν *vocabant, à facibus et splendore. Noctu enim ea solennitas celebrabatur, facesq; ad templum ferebant, atq; ita benè poti, crateres per totam vrbem statuebant, quo melius quisq; Deum coleret, vt Pausanias indicat in Achaicis: refert etiam Cœlius lib. 15. cap. 15. & Gyraldus de Dijs Syntag. 8.* Lamptèria vnde dicta & eorum ritus.

ΛΙΘΟΒΟΛΙΑ.

Lithoboliorũ origo.

Λιθοβολία festum fuit, quod ab Epidaurijs in Damiæ & Auxesiæ honorem celebrabatur, Pausania teste in Corinthiacis. Cum enim Epidaurus infructuosa esset, Epidaurij de hac calamitate Delphicum consuluere oraculum. Quibus Pythia respondit, vt Damiæ & Auxesiæ quæ in Trœzeniorum seditione lapidatæ fuerant, simulachra erigerent, & si erexissent tum demum eis benè futurum. Scisciantibus autem Epidaurijs, vtrum ex ære facerent illa, an ex lapide, responsum fuit, se è neutro velle, sed ex ligno oleagino, oleæ tamen, non oleastri. Quum autem nusquam gentium illa tempestate oleæ inuenirentur nisi Athenis, rogabant Athenienses vt sibi permitterent oleas ex suo agro incidere. Id se permissuros Athenienses dixere, si quotannis illi sacra Mineruæ Poliadi & Erechtheo afferrent. Accepta conditione Epidaurij quæ rogabant impetrauerunt, & simulachra ex his oleis fabricata statuerunt: terraq; sua fructum eis ferente, quod conuenerat, Athenienſibus persoluebant, festumq; ab incisione illa lignorum Λιθοβολιων appellarunt, vt Herodotus in Terpsichore indicat.

ΛΟΧΕΙΑ ΙΣΙΔΟΣ.

PLutarchus in Osiride testatur, Ægyptios dies Puerperij Isidis post æquinoctium vernum solennes agere. Verba eius sunt: τὰς ὃ λοχείους ἡμέρας (Ισιδος) ἑορτάζουσι μετὰ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν.

ΛΥΚΑΙΑ.

ΛΥκαια Latinè Lupercalia, fuere festi dies ac ludi Arcadum, à Lycaone rege in honorem Iouis Lycæi instituti, ac postea ab Euandro in Italiam translati. Natalis Comes lib. 9. Mythol. cap. 9. Pausanias ab initio Arcadicorum testatur, hoc festum & certamen Αθλώαια appellatum fuisse, & postea Theseum Παναθλωαίων nomen ei dedisse.

ΜΑΓΟΦΟΝΙΑ.

Magophoniorum origo.

ΜΑγοφονία, Latinè Magorum occisio vel cædes videlicet Smerdis et fratris Patizithis, aliorumq; qui regnum Persidis inuaserant, celebre apud Persas festum fuit, quotannis religiosissimè celebrari solitum, in memoriam eius diei, quo septem Principes Achæmenides Magos oppressérant, qui malis artibus regnum ad se traduxerant Cambyse mortuo, vt author est Herodotus in Thalia. Vbi etiam addit, Magos hoc festo die domi se continere, nec foras prodire, magni illius diei metu, quo omnes fuissent interfecti nisi nox superuenisset. Sic in Epit. Ctesiæ legitur, ἄγεται παῖς Πέρσαις ἑορτὴ τῆς μαγοφονίας, καθ' ἣν Σφενδαδάτης ὁ μάγος ἀνῄρηται, agitur apud Persas festum Magophoniæ, in quo Sphendadates Magus occisus est.

ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΑ.

Marcellcorum origo.

SYracusanos in honorem Marcelli Romanorũ imperatoris diem festum instituisse, quem Marcellea nominarunt, Cicero testatur Oratione 7. in Verrem his verbis: Quem illi (Syracusani) diem (Marcellea) festum cùm recentibus beneficijs M. Marcelli debitum reddebant, tùm generi, nomini, familiæ Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Pro eo autem Verrea reposita à Verre, idem author eodem loco his verbis grauissimè obijcit Verri: Tu Syracusanos vnum diem festum Marcellis impertiri vetuisti, per quos illi adepti sunt, vt cæteros dies festos agere possent. At verò præclarum diem reposuisti, Verrea vt agerent, & vt ad eum diem, quæ sacris epulisque opus essent, in complures annos locarentur.

MOYTIA

MOVTIA.

Mutiorum origo.

COelius lib.18.cap.12.ex Pediani ambustis thesauris refert, Q. Mutium Asiam singulari prudentia rexisse, adeò vt dies festus à Græcis honori eius institueretur, quem Mutia vocarint. Meminit eius & Cicero Orat.7.in Verrem, his verbis: Mithridates in Asia, quum eam prouinciam totam occupasset, Mutia non sustulit: Hostis, & hostis in cæteris rebus nimis ferus, & immanis; tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit.

ΜΕΓΑΛΑΡΤΙΑ.

ΜΕγαλάρτια, vt nomen ipsum indicat, magnorum panum festum fuit. Scribit enim Athenæus lib.3.ex lib.8. Ηλιάδη & Semi, τὰς ἀχαΐνας εἶσε ἄρτας μεγάλας, Thesmophorijs fieri solitos: ac festum quo offerantur appellari μεγαλάρτια: eos autem qui offerant, canere se offerre Ἀχαΐνλω ϛίατ& ἴμπλεον ϛάγον κειβανίτλω, Achæinam adipe plenum hircum clibanariam.

ΜΟΥΝΥΧΙΑ.

ΜΟυνύχια sacra & festa fuerunt, in honorem Dianæ celebrata, quæ dicta fuit Μυνύχια à portu eiusdem nominis Athenienſium munitißimo, in quo templum habuit. Et quia Μυνυχιῶνι mense celebrata sunt, nomen quoque inde accepit.

ΜΟΥΣΩΝ ΚΑΙ ΔΙΟΣ ΠΑΝΗΓΥΡΙΣ.

Festum hoc à quo & cur institutum.

ARchelaus rex Ioui & Musis scenica certamina instituit, in diem nonum producta; quòd Musarum singulis suus foret destinatus dies: ea celebrauit Alexander Macedo in Persas bellum moturus. Cælius lib.20.cap.10.

Fuisse etiam apud Thespienses Musarum ludos, qui μυσεῖα dicti fuerunt, Pausanias in Bæot. & Natalis Comes lib.7. Mytholog.cap.15. indicant: in ijs proponebantur cantilenarum & harmoniæ præmia victoribus.

ΜΟΝΟΦΑΓΙΑ.

Monophagiorum origo & ritus.

MOnophagia apud Æginenses celebritas fuit, quam Plutarchus in Quæstion. Græcis quæst.44. ferè his verbis describit: Cùm in bellũ Troianum profecti essent multi Æginetæ, ac pauci inde diuersis de causis redijssent, clàm quisq; suos domi comiter excipiens, ipsimet in conuiuijs ministrabant, nec alienum quenquam admittebant. Hoc igitur imitantes Neptuno rem diuinam facere solebant, thyasos exercebant, & sexdecim dierum spatio silentio inter se conuiuia celebrantes, ac Veneri deinde operantes, tandem solenne festum soluebant, inde μονόφαγοι, id est, solitariè vescentes appellati. Illorum sacrorum, epularumq; præses θυσιάρχης, et locus in quo conuiuia exercebantur, θιασῶν fuit dictus, Hesychio teste. Vide etiam Erasmum in Prouerbio, μονόφαγοι.

ΜΥΤΡΩΑ SEV MATRIS MAGNAE vel Deûm orgia & festa.

MAgnæ matris Orgia seu festa à Græcis vocata fuisse Μητρῶα, quasi tu dicas Matralia, ex Plutarchi aliquot locis intelligitur. Nam in libello de Orac. Pyth. ita scribit: Τὸ ἀγυρτικὸν, καὶ ἀγοραῖον, καὶ ὥϛε τὰ μητρῶα καὶ Ξιράπεια βωμολοχεῖν καὶ πλανώμενον γένϑ, vbi de μηταγύρταις loquitur. Et in lib. de Amoribus, τὰ γὸ μητρῶα, inquit, καὶ πανικὰ καὶ κοινωνεῖ τοῖς βακχικοῖς ὀργιασμοῖς. Et paulò pòϛ, ὅϖ ἐνθαζομένων τύτων ὁ αὐλὸς καὶ τὰ μητρῶα, καὶ τὸ τύμπανον ἐξίϛησιν ἡμῖν τὸ αὐτὸ σῶμα. Idem ad Colot. ὑϑλὲ μάϛιγος

ΛΙΘΟΒΟΛΙΑ.

Lithoboliorũ origo.

Λιθοβολία festum fuit, quod ab Epidaurijs in Damiæ & Auxesiæ honorem celebrabatur, Pausania teste in Corinthiacis. Cum enim Epidaurus infructuosa esset, Epidaurij de hac calamitate Delphicum consuluere oraculum. Quibus Pythia respondit, vt Damiæ & Auxesiæ quæ in Træzeniorum seditione lapidatæ fuerant, simulachra erigerent, & si erexissent tum demum eis benè futurum. Sciscitantibus autem Epidaurijs, vtrum ex ære facerent illa, an ex lapide, responsum fuit, se è neutro velle, sed ex ligno oleagino, oleæ tamen, non oleastri. Quum autem nusquam gentium illa tempestate oleæ inuenirentur nisi Athenis, rogabant Athenienses vt sibi permitterent oleas ex suo agro incidere. Id se permissuros Athenienses dixere, si quotannis illi sacra Mineruæ Poliadi & Erechtheo afferrent. Accepta conditione Epidaurij quæ rogabant impetrauerunt, & simulachra ex his oleis fabricata statuerunt: terraq; sua fructum eis ferente, quod conuenerat, Athenienſibus persoluebant, festumq; ab incisione illa lignorum Λιθοβολιαν appellarunt, vt Herodotus in Terpsichore indicat.

ΛΟΧΕΙΑ ΙΣΙΔΟΣ.

PLutarchus in Osiride testatur, Ægyptios dies Puerperij Isidis post æquinoctium vernum solennes agere. Verba eius sunt: τὰς ὑ λοχείους ἡμέρας (Ισιδ. Θ) ἑορτάζουσι μετὰ τλῶ ἐαρινλῶ ἰσημερίαν.

ΛΥΚΑΙΑ.

ΛΥκαια Latinè Lupercalia, fuere festi dies ac ludi Arcadum, à Lycaone rege in honorem Iouis Lycæi instituti, ac postea ab Euandro in Italiam translati. Natalis Comes lib. 9. Mythol. cap. 9. Pausanias ab initio Arcadicorum testatur, hoc festum & certamen Αθλώαια appellatum fuisse, & postea Theseum Παναθλωαίων nomen ei dedisse.

ΜΑΓΟΦΟΝΙΑ.

Magophoniorum origo.

ΜΑγοφονία, Latinè Magorum occisio vel cædes videlicet Smerdis et fratris Patizithis, aliorumq; qui regnum Persidis inuaserant, celebre apud Persas festum fuit, quotannis religiosissimè celebrari solitum, in memoriam eius diei, quo septem Principes Achæmenides Magos oppressérant, qui malis artibus regnum ad se traduxerant Cambyse mortuo, vt author est Herodotus in Thalia. Vbi etiam addit, Magos hoc festo die domi se continere, nec foras prodire, magni illius diei metu, quo omnes fuissent interfecti nisi nox superuenisset. Sic in Epit. Ctesiæ legitur, ἄγεται παῖς Πέρσαις ἑορτὴ τῆς μαγοφονίας, καθ' ἣν Σφενδαδάτης ὁ μάγος ἀνῄρηται, agitur apud Persas festum Magophoniæ, in quo Sphendadates Magus occisus est.

ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΑ.

Marcellearum origo.

SYracusanos in honorem Marcelli Romanorũ imperatoris diem festum instituisse, quem Marcellea nominarunt, Cicero testatur Oratione 7. in Verrem his verbis: Quem illi (Syracusani) diem (Marcellea) festum cùm recentibus beneficijs M. Marcelli debitum reddebant, tùm generi, nomini, familiæ Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Pro eo autem Verrea reposita à Verre, idem author eodem loco his verbis grauissimè obijcit Verri: Tu Syracusanos vnum diem festum Marcellis impertiri vetuisti, per quos illi adepti sunt, vt cæteros dies festos agere possent. At verò præclarum diem reposuisti, Verrea vt agerent, & vt ad eum diem, quæ sacris epulisque opus essent, in complures annos locarentur.

MOYTIA

MOΥΤΙΑ.

Mutiorum origo.

COelius lib.18.cap.12.ex Pediani ambustis thesauris refert, Q. Mutium Asiam singulari prudentia rexisse, adeò vt dies festus à Græcis honori eius institueretur, quem Mutia vocarint. Meminit eius & Cicero Orat.7.in Verrem, his verbis: Mithridates in Asia, quum eam prouinciam totam occupasset, Mutia non sustulit: Hostis, & hostis in cæteris rebus nimis ferus, & immanis; tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit.

ΜΕΓΑΛΑΡΤΙΑ.

MΕγαλάρτια, vt nomen ipsum indicat, magnorum panum festum fuit. Scribit enim Athenæus lib.3.ex lib.8. Ηλιάδ & Semi, τὰς ἀχαϊνὰς εἶναι ἄρτους μεγάλους, Thesmophorijs fieri solitos: ac festum quo offerantur appellari μεγαλάρτια: eos autem qui offerant, canere se offerre Ἀχαϊνὰν τὴν τοῦ ἔμπλεον ἄγγος κριβανίτου, Achæinam adipe plenum hircum clibanariam.

ΜΟΥΝΥΧΙΑ.

MΟυνύχια sacra & festa fuerunt, in honorem Dianæ celebrata, quæ dicta fuit Μουνύχια à portu eiusdem nominis Athenienſium munitiſsimo, in quo templum habuit. Et quia Μουνυχιῶνι mense celebrata sunt, nomen quoque inde accepit.

ΜΟΥΣΩΝ ΚΑΙ ΔΙΟΣ ΠΑΝΗΓΥΡΙΣ.

Festum hoc à quo & cur institutum.

ARchelaus rex Ioui & Musis scenica certamina instituit, in diem nonum producta, quòd Musarum singulis suus foret destinatus dies: ea celebrauit Alexander Macedo in Persas bellum moturus. Cælius lib.20.cap.10.

Fuisse etiam apud Thespienses Musarum ludos, qui μουσεῖα dicti fuerunt, Pausanias in Bæot. & Natalis Comes lib.7. Mythолog.cap.15. indicant: in ijs proponebantur cantilenarum & harmoniæ præmia victoribus.

ΜΟΝΟΦΑΓΙΑ.

Monophagiorum origo & ritus.

MOnophagia apud Æginenses celebritas fuit, quam Plutarchus in Quæstion. Græcis quæst.44. ferè his verbis describit: Cùm in bellũ Troianum profecti essent multi Æginetæ, ac pauci inde diuersis de causis redijssent, clàm quisq; suos domi comiter excipiens, ipsimet in conuiuijs ministrabant, nec alienum quenquam admittebant. Hoc igitur imitantes Neptuno rem diuinam facere solebant, thyasos exercebant, & sexdecim dierum spatio silentio inter se conuiuia celebrantes, ac Veneri deinde operantes, tandem solenne festum soluebant, inde μονόφαγοι, id est, solitariè vescentes appellati. Illorum sacrorum, epularumq; præses θυσιάρχης, et locus in quo conuiuia exercebantur, θιασῶν fuit dictus, Hesychio teste. Vide etiam Erasmum in Prouerbio, μονόφαγοι.

ΜΥΤΡΩΑ SEV MATRIS MAGNAE vel Deûm orgia & festa.

MAgnæ matris Orgia seu festa à Græcis vocata fuisse Μητρῶα, quasi tu dicas Matralia, ex Plutarchi aliquot locis intelligitur. Nam in libello de Orac. Pyth. ita scribit: Τὸ ἀγυρτικὸν, καὶ ἀγοραῖον, καὶ φεὶ τὰ μητρῶα καὶ Ξεράπεια βωμολοχεῖν καὶ πλανώμενον γένος, vbi de μητραγύρταις loquitur. Et in lib. de Amoribus, τὰ γὰρ μητρῶα, inquit, καὶ πανικὰ κοινωνεῖ τοῖς βακχικοῖς ὀργιασμοῖς. Et paulò pòst, τῷ ἐνθαζομένων τούτων ὁ αὐλὸς καὶ τὰ μητρῶα, καὶ τὸ τύμπανον ἐξίστησιν ἡμῖν τὸ αὐτὸ σῶμα. Idem ad Colot. ἐοικὲ μάστιγος

ἐλεύθερας δὲ μόνους ἀλλὰ τῆς ἀσταγαλωτῆς ἐκείνης ἢ τὰς γάλλας πλημμελοῦντας ἐν τοῖς νηφώοις κολάζεσθαι. Et νηφῶον Athenis τὸ τῆς φρυγίας θεᾶς ἱερὸν, hoc est, Phrygiæ deæ templum dicebatur, vt ait Pollux.

A quo & vbi Matralia instituta, eorumq; ritus.

A quo autem, & vbi hæc festa primò instituta fuerint Diodorus Siculus lib. 4. suæ bibliothecæ non vno modo commemorat. Primùm enim scribit, Cælum ex Titæa coniuge liberos suscepisse quinque & quadraginta, muliebris sexus duos, Reginam & Opem: quarum Reginam ætate & prudentia præstantiorem, in gratiam matris fratres omnes educasse, ideoque matrem Deûm dictam, nupsisseq; Hyperioni fratri, ex quo Solem & Lunam genuerit: qui quum scelere auunculorum interijssent, ipsam in furorem versam, cum tympanis, cymbalisq; terram suæ ditionis peragrasse, moremq; eiusmodi mansisse post eius mortem. Addit Diodorus aliam fabulam: Menoem vetustissimum Phrygiæ regem, ex vxore Dindymene filiam procreasse, quam exponi iusserit in monte Cybelio: infantem à feris enutritam euasisse in admirabilem pulchritudinem, inuentamq; à muliere pastoria educatam pro sua, dictamq; à monte in quo esset exposita Cybelem, multas artes ingenij acumine & inuenisse & edocuisse mortales: veluti cantum tibiæ, lusus, choreas, cymbalorum tympanorumq; sonitus, artem præterea veterinariam: & infantum morbis lenimenta: quibus quòd multi curarentur pueri, idcirco eam Matrem magnam nominatam esse: quæ quum adolevisset iuuenem amarit terræ illius, nomine Atym, ex eoq; grauidam esse à Menoe patre, qui fama de virtute factisq; eius acceperat, reuocatam pro virgine: cuius flagitio cognito Atym & nutrices iussu regis affectos esse supplicio: Cybelem amore incensam ex desiderio Atys insaniisse, domoq; paterna egressam solam cum fistula & tympano, passis crinibus totam regionem peragrasse, venisseq; in Nysam ad Dionysium. Aliquot verò annis post eam iam mortuam, quum & difficultate annonæ, & morbo in Phrygia laboraretur, oraculo iussi sunt Phryges Atyos corpus sepelire, & Cybelem venerari vt Deam. Consumptum autem Atyos corpus quum non inuenirent, imaginem eius fecere, circa quam planctu & lamentis sacra inibant. Cybelis verò ara erecta ei sacrificarunt. Hinc sacra ceremoniæq; Magnæ matris Deûm ortæ. Postmodum enim Pessinunte oppido Phrygiæ sumptuosè constructo templo, honores illi sacraq; solennia constituere, Mida rege ad ea plurima conferente.

Rursus tamen idem author lib. 6. cap. 11. de ijsdem orgijs sic refert: Iasus sumpta vxore Cybele genuit Corybantum: verùm ad Deos translato Iaso, Dardanus eius frater ex Ioue & Electra, Cybele ac Corybantus sacra Deorum matris in Phrygiam detulerunt, Corybantus eos qui matris sacrificijs præerant, appellauit ab se Corybantas. Dionysius verò Halicarnass. hoc ipsum libro primo paulò aliter commemorat: Idæus, inquit, Dardani filius cum parte exercitus montes incoluit, qui nunc Idæi ab illo vocantur: vbi condito matri Deûm templo mysteria & sacra instituit, quæ ad hæc vsque tempora durant per totam Phrygiam.

Herodianus libro primo, originem huius festi aliter refert, sic enim scribit: Ipsum simulachrum cælitus, vt aiunt, demissum, neque qua sit materia, nec à quo fabricatum artifice satis constat, neque planè hominum manibus creditur factum. Hoc igitur decidisse cælitus ferunt in quendam Phrygiæ agrum, cui nomen Pessinunti (Πεσσινῦς). Τὸν δὲ θεσσηγορέα λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ οὐρανοῦ.

Matralia quo die celebrata.

Facta autem hæc sacra die nono lunæ Nicander innuit in Alexipharm.

Ἡ ἄ ποτ' ἀρχιερῆος ἐυστέφανος βωμίστρια ῥείης
Εἰνάδι λειοφόρῳσιν ἐνιχρίμπτουσα κελεύθοις,
Μακρὸν ἐπιβρομέουσα γλώσσῃ θέσφατον, οἷσιν ἔεσσιν.
Ἰλαίης ῥιγηλὸν ὅ τ' εἰσαΐωσιν ὑλαγμόν.
Vt q; Rheæ matris olim diuina sacerdos
Ipsa vijs lunæ iam nona luce propinquat,
Clamoremq; altum tollit: &c.

ΜΙΘΡΙΑΚΑ.

Μίθρα: & Μίθρης apud Persas dicebatur Sol, ὁ ἥλιος. Ei, tanquam summo Deo festa & sacra celebrabant, quæ μιθριακὰ vocabant, quibus non nisi per gradus quosdam pœnarum initiatos ferunt, vt ostenderent sese veluti ἀπαθεῖς & indolentes. Hoc die festo soli Persarum regi ebrium licebat fieri. Sic enim Athenæus lib. 10. cap. 11. ex Duridis historiarum lib. 7. scribit: ἐν μόνῃ τῇ ἑορτῶν τῇ ἀγομένῃ ὑπὸ Περσῶν τῷ μίθρῃ, βασιλεὺς μεθύσκεται, καὶ τὸ Περσικὸν ὀρχεῖται: τῇ δ' ἄλλοις ἐν οὐδεμιᾷ κατὰ τὴν Ασίαν, ἀλλὰ πάντες ἀπέχονται κατὰ τὴν ἡμέραν ταύτην τῆς ὀρχήσεως. Hoc est: In solo festo, quod agunt Persæ in honorem Solis, Rex fit ebrius, Persicoq; more tripudiat. Ex alijs verò nullus est in Asia qui tripudiet hoc die, sed omnes solent abstinere.

Mithriaca quasi festum.

ΝΗΣΤΕΙΑ ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ.

Aelianus lib. 5. variæ historiæ cap. 20. refert, cùm Tarentini Magnæ Græciæ populi Tarento obsiderentur à Romanis, periculumq; esset, ne fame ad deditionem compellerentur, Rheginos decimo quoque die decernentes ieiunium, victum concessisse Tarentinis: proinde quum decedentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentinos festum constituisse, quod Νησείαν ieiunium appellarint.

Soliti etiam sunt ijdem Tarentini singulis ferè mensibus boues sacrificare, conuiuiaq; publica facere, ita vt priuatorum multitudo semper ferè inter pocula congressusq; versata sit. Eius rei huiusmodi rationem reddiderunt: reliquos homines dum laborant, & sunt in operis, victum sibi comparare consuesse: se verò per conuentus & voluptates frequentes de victu non esse solicitos, sed iam viuere, vt Athenæus refert ex libro 52. Theopompi Philippicarum historiarum lib. 4. Dipnosophistarum.

Festi huius origo.

ΟΙΝΙΣΤΗΡΙΑ.

Οἰνιστήρια, vt habet Stephanus in Thesauro linguæ Græcæ, festum & sacrificium fuit, quo ephebi comam posituri libabant Herculi. Sic enim Eustathius, Οἰνιστήρια (pro quo tamen in omnibus exemplaribus legitur Οἰνιαστήρια) ἀπονομὴ τελουμένη τῷ Ἡρακλεῖ ὑπὸ τῶν ἐφήβων πρὶν ἀποκείρασθαι. Et Hesychius, Ἀθλώησιν οἱ μέλλοντες ἐφηβεύειν, πρὶν ἀποκείρασθαι τὸν μαλλὸν, εἰσφέροντες Ἡρακλεῖ μέθυον οἶνον: ἢ ἀποκείραντες, τοῖς συνελθοῦσιν ἐπιδιδόασι πίνειν: ἢ ἀπονομὴ καλεῖται Οἰνιστήρια. Pollux verò paulò aliter libro 3. de Οἰνιστηρίοις his verbis scribit: ἢ ὑπὲρ τῶν εἰς τὰς φράτορας εἰσαγομένων παιδίων οἴνου δόσις, Οἰνιστήρια καλεῖται. Pamphilus autem apud Athenæum lib. 11. Οἰνιστηρίαν ponit pro capaci poculo, vino repleto, quo Herculi libarint, qui ex ephebis excedentes ponebant pendulas comas. Verba enim eius hæc sunt: οἱ μέλλοντες ἀποκείρειν τὸν σκόλλιν εἰσφέρουσι τῷ Ἡρακλεῖ μέγα ποτήριον, πληρώσαντες οἴνου, ὃ καλοῦσιν Οἰνιστηρίαν, καὶ ἀποκείραντες τοῖς συνελθοῦσι δίδοασι πιεῖν.

Oeniſteriorũ ritus.

OLERIA.

Oleria festa in honorem Mineruæ sunt celebrata, in Olero vrbe Cretæ, vt Stephanus meminit, & Cœlius lib. 18. cap. 26. Gyraldus etiam Syntag. 11.

ΟΝΟΜΑΣΤΗΡΙΑ.

Ὀνομαστήρια festum quoddam fuit apud Græcos, quod celebrabatur ob impositionem nominis, vt γενέθλια ob natiuitatem: apud Greg. Nazianzenum.

ONOMATH ET HPAKLEIA.

EX solennitatibus, quas Sicyonij Herculi egerunt, priorem ονομάτιων Onomatam, id est, Nominatam appellarunt: Ηράκλεια Herculanam posteriorem: Pausanias in Corinthiacis.

ΠΑΜΥΛΙΑ.

Pamylia vnde dicta & eorum origo.

PAmyliorum celebritas Ægyptiaca à Pamyle Osiridis nutrice nomen habet. Hæc enim Thebis è Iouis templo aquatum egressa, audisse dicitur vocem iubentem, vt proclamaret, magnum regem & benefactorem Osirim natum esse: qua spe illa acta Osirim educauit: & in eius rei memoriam festum hoc institutum fuit, Phallophorijs valdè simile, vt Plutarchus in vita Osiridis testatur, vbi inter alia hæc verba leguntur: Παμύλιον λέγουσι θρέψαι τὸν Οσιριν, ἐγχειρήσαντα δ' αὐτῇ τὸ Κρόνῳ, καὶ τὴν Παμυλίων ἑορτὴν αὐτῇ (legendum fortasse αὐτῇ) τελεῖσθαι, φαλλοφορίοις ἐοικυῖαν. Nam in eo simulachrum proponebatur & circumferebatur, cui tres testiculi inerant, vnde & Priapo Deus similis, Pammeles, teste Hesychio, dicebatur. Sic enim Plutarchus loco citato ait, Pamylia festum agentes, quæ Phallo, id est virilis membri simulachro adhibito fiunt, imaginem proponunt atque circumferunt, cuius triplus est penis. Rationem deinde consuetudinis huius enarrans, addit: Nam Deus est principium, omne autem principium vi genitali multiplicat id quod ab eo producitur: multiplex autem solemus ternario notare, vt quum dicimus, O ter felices. Nisi potius ita sentiendum est, triplum à veteribus fuisse vsurpatum propriè. Humida enim natura quum ab initio principium & ortus omnium esset rerum, tria prima effecit corpora, terram, aërem, ignem. Quæ enim fabulæ rei additur, membrum virile Osiridis in flumen fuisse abiectum à Typhone, & Isidem quum id non inuenisset, simulachrum eius adornasse, idque vt honoraretur & Phallus gestaretur instituisse: ea huc facit, docetq; genitalem vim & semen Dei pro materia prima habuisse humorem, & humoris interuentu coaluisse cum his quæ nascendi facultate erant prædita. Hæc omnia Plutarchus.

Pamyliorum ritus.

ΠΑΝΙΩΝΙΑ.

PAnionia festum & sacrum fuit, quod communiter ab vniuersis Ionibus in agro Ephesio Neptuno Heliconio ad Mycalem montem ac promontorium fuit celebratum, Herodoto lib. 1. teste.

ΠΑΝΝΥΧΙΣ.

Festum hoc quale.

ΠΑννυχὶς fuit festum quoddam Dianæ pernox, seu quod per totam noctem celebrabatur: ἑορτὴ νυκτερινὴ σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ, vt Hesychius exponit. Latini peruigilium appellant: Liuius, Tacitus, Suetonius, Gellius. Plato Polit. lib. 1. Παννυχίδα ποιήσασιν, ἣν ἄξιον θεάσασθαι. Plutarchus, συνουσίας μετ' ἀλλήλων ἔχοντες ἐχεῖνος, κώμοις καὶ παννυχίσιν. Idem de Curiositate, βακχεῖα καὶ χορεύσεις καὶ παννυχίδας ἐξετάζων καὶ συνοφαντῶν. Athenæus lib. 5. ἐγένετο δ' καὶ πομπάτιά τινα ἐν ταῖς παννυχίσιν, ἐν αἷς πλεῖστον ὅσον χρόνον διηγρύπνουν χορεύοντες. Idem lib. 13. ex Critia, παννυχίδας θ' ἱερὰς θήλειας χορεῖ ἀμφιέπωσιν. Rursum Plutarchus in Symposio septem sapientum, τὴν τελευταίαν παννυχίδα ἔσης καὶ χορείας τινὸς καὶ παιδιᾶς πρὸς τὸν ἀγγελὸν. Herodianus lib. 3. παννυχίδας ὀπτελειθείσας εἰς μυστηρίων ζῆλον, peruigilia ad formam Cereris mysteriorum. Athenæus lib. 14. cap. 19. scribit, χοιρίνας, quod placentæ genus est, fuisse proposita præmia ταῖς παννυχίσι τῷ διαγρυπνήσαντι.

ΠΑΝΟΣ FESTVM.

AVthor est historia sexta Herodotus, ab Athenienſibus coli Pana festo & sacris annuis, cum lampade. Refert etiam Cælius Rhodig. lib. 11. cap. 27.

In Arcadia

In Arcadia quoq;, vbi Pan præcipuè cultus fuit, festũ in eius honorem celebrabatur, ἐν ᾧ οἱ παῖδες τὸν πᾶνα σκίλλαις ἔτυπτον, ὅτε οἱ χωρηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον ἔθυον, καὶ μὴ ἱκανὸν τοῖς ἐθέλουσιν. Vel aliter. οἱ Ἀρκάδες ὅτι θέρμην ἐξιόντες, εἰ μὲν εὐτυχίας ἔτυχον, ἐπίων τὸν πᾶνα: Εἰ δὲ τἀναντίον, σκίλλαις εἰς αὐτὸν παροίνουν, παρόσον ὠφέλουν τῆς θήρας ὀπιζανεῖ. Μάνατος δέ φησιν ἑορτὴν Ἀρκαδικὴν εἶναι, ἐν ᾗ οἱ παίονες τὸν πᾶνα σκίλλαις βάλλεσι. Χίοι δὲ ὅταν οἱ χωρηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον θύσωσι, καὶ μὴ ἱκανὸν ᾖ τοῖς ἐθέλουσι, vt *Calliergus Theocriti Scholiastes indicat. Huc alludit Theocritus εἰδυλ. ζ. his versibus:*

Rítus huius festi.

κἢν μὲν ταῦθ' ἕρδοις ὦ πὰν φίλε, μὴ τύ π παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευρὰς τε καὶ ὦμους
Τανίκα μαστίσδοιεν, ὅτε κρέα τυτθὰ παρείη.

ΠΕΛΩΡΙΑ.

PEloria *certa fuit Thessalorũ festiuitas, in honorẽ Διὸς πέλωρ & Iouis Peloris instituta & celebrata, propterea quòd per Pelorũ quendã Pelasgo nuntiasset, montes & Thessalica tempe terræmotu fissa esse, & è stagnantibus aquis, spatiosissimos pulcherrimosq; campos apparuisse. Occupata igitur illa regione festum in eius honorem celebrarunt. Eius hæc fuit ratio: Ioui Pelorio sacrificantes, eidem mensas splendidè paratas apposuerunt. Sic enim Athenæus lib.14.cap.17. scribit, vbi fusius de hoc festo agit,* θύοντες Διὶ πέλωρι, τραπέζας τε λαμπρῶς κοσμοῦντας προσέθηκεν. *Ac omninò tanta cum humanitate, iucunditateq; festum illud celebrare sunt soliti, vt in illo peregrinos omnes conuiuio exceperint, vinctos soluerint, & serui vnà cum suis dominis summa cum licentia accubuerint epulatiq; sint, atq; adeò ipsis domini ministrarint. Saturnaliorum igitur festo apud Romanos hoc Thessalorum simillimum fuit, sicut etiam Macrobius lib.1. indicat, & Batti Synopensis testimonio confirmat. Meminit eius & Cælius lib.13.cap.23.*

Pelatiorum origo. Ritus.

Similiter in Cydonia seruis quædam festa statuta fuerunt, quibus liberi ciuitatem non ingrediebantur, sed serui rerum omnium erant domini, atq; liberos flagris cædere eis licebat, Athenæo auctore lib.6.cap.7.

ΠΥΡΣΟΝ.

TRadunt *festum quoddam anniuersarium ab Argiuis* Πυρσὸν *vocari: quoniam quum euasissent periculũ à Danao Lynceus & Hypermnestra, facibus partæ salutis è longinquis speculis signa prætulerunt. Solebant enim signa πυρσοῖς dari: vndè apud Pausaniam* πυρσὸν ἀνάψαι, & πυρσὸν ἀναχεῖν, *signum è specula dare igne accenso. Meminit huius festi Cælius lib.11.cap.16. Et Natalis Comes lib.9.cap.17. Mythologiæ his verbis: Cùm Hypermnestræ beneficio Lynceus vnus esset superstes è tot fratribus, periculum tantũ euadens Lyrceam confugit, quod oppidum fuit illis temporibus non procul ab Argis, vt scripsit in Corinthiacis Pausanias. Eo igitur in loco face sublata Lynceus signum dedit se euasisse omne periculum, quod ita conuenerat cum Hypermnestra, vt deuitatis Danai insidijs vbi in tutum se recepisset, ita facem sublatam ostentaret. Sic etiam paulò pòst Hypermnestra vicissim facem è Larissa sustulit, qua significabat se quoq; omne periculum euasisse. Quare mansit postea consuetudo vt Argiui ad eius rei memoriam festum diem & solennitatem quotannis celebrarent, quam* Πυρσὸν, *hoc est, Facem vocarunt.*

Festi huius origo.

ΠΡΟΜΗΘΕΙΑ.

LAmpadũ, *siue* facum certamina *fuisse Athenienſibus tria, tribus dicata festis, Aristophanis Scholiastes indicat his verbis:* Λαμπαδηδρομίαι γίνονται τρεῖς ἐν τῷ Κεραμεικῷ, Ἀθηνᾶς, Ἡφαίστου, Προμηθέως. *Idem in Ranis exponens hos versus poetæ,*

Λαμπάδα δ' ἔδεις οἵός τε φέρειν
Ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νεώ,

Lampadum 3. certamina Athenis.

Scribit Ioannes fuisse λαμπαδεχεῖν ἐν ἁπασι τοῖς καὶ πανηγυρικοῖς: Athenis autem fuisse gymnasium ἐν ᾧ ἐλαμπαδηφόρουν οἱ γυμνάζοντες: & τὸν τῆς λαμπάδος ἀγῶνα τελεῖσθαι Ἀθηναίοις ἀγαγέσθαι festo Promethei, Vulcani & Panathenæis. De Prometheo autem, & certamine in eius festo celebrato in Pausaniæ Atticis hæc extant verba: ἐν Ἀκαδημίᾳ ἔστι Προμηθέως βωμός, καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν ἔχοντες καιομένας λαμπάδας. Τὸ δὲ ἀγώνισμα, ὁμοῦ τῷ θεσμῷ φυλάξαι τὴν δᾷδα ἔτι καιομένην ὅστις ἐστίν. ἀποστραφεῖσης δὲ ἢ σβεσθείσης ἐπὶ τῆς νίκης τῷ πρώτῳ, δεύτερος ἦν ἀντ' αὐτοῦ μέτεισιν. εἰ δὲ καὶ τούτῳ καίοιτο, ὁ τρίτος ἐστὶν ὁ κρατῶν. Εἰ δὲ καὶ πᾶσιν ἀποσβεσθείη, δι' ἐλαττόνων ἐστὶν ὅτῳ καταλείπεται ἡ νίκη. Quibus vtique significat, esse in Academia dicatam Prometheo aram vnde lampada succensam gestantes currendi in vrbem initia auspicentur. Certaminis legem esse, toto cursu inextinctam seruasse facem: siquidem quum flamma perit primo, nulla victoriæ spes. Præstò autem secundus est, cui si itidem extinguatur, eo reiecto, subit tertius ac deinceps. Nemini prorsum victoria relicta, si omnibus lampadum interextincta flamma euanuerit.

Prometheorũ ritus.

Celebrabatur & Corinthi Agon Lampadromicus, de quo in Hellotia diximus. Scribit quoq; Siculus Timæus, Athenienſium nauarchum Diotimum appulsum Neapolim ex oraculo Parthenopæ rem diuinam obisse, & cursum peregisse lampadicum, quem mox quotannis celebrarint Neapolitæ: vt etiam refert Cælius lib. 11. cap. 27.

Certamen ipsum seu cursus, in quo faces accensæ manu gestabantur, certabaturq; quis primus ad scopum perueniret non extincta lampade, Λαμπαδηδρομία dicebatur: Λαμπαδηφόρος cursor qui facem manu gerebat: quamuis Hesychius velit Λαμπαδηφόρον dictũ τὸν νικήσαντα τῷ λαμπάδι. Λαμπαδαρχία verò munus publicum fuit, quo is fungebatur qui illi solenni certamini præfuit, cursoribus faces suppeditans & alios sumptus qui ad hos ludos requirebantur. Sic enim Aristoteles lib. 5. Politic. cap. 8. λειτουργεῖν τὰς δαπανηρὰς μὲν, μὴ χρησίμους δὲ λειτουργίας, οἷον χορηγίας καὶ λαμπαδαρχίας, καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται.

ΠΡΟΤΡΥΓΕΑ.

HEsychius refert, Dionysio & Neptuno festum quoddam celebratum, quod Græci Προτρυγέαν appellarint: Latinè Anteuindemia dici posset.

ΠΟΣΕΙΔΩΝΟΣ ΟΓΧΗΣΤΟΥ ἑορτή.

PAusanias in Boeoticis solennitatis cuiusdam meminit Neptuni Onchestij, in qua Thebani occiderint Clymenum, Presbonis F. Phryxi nepotem.

ΡΑΨΩΔΩΝ ἑορτή.

ATheneus ab initio libri 7. meminit Ραψῳδῶν seu Cantorum festi, quod abegatur tempore festi Dionysiaci: in quo singuli accedentes, veluti præmium, dijs cantilenas persoluebant: exoleuisse autem tandem refert.

ΣΑΡΟΝΙΑ.

TRoezenij Saronia festa, in honorem Dianæ Saroniæ quotannis celebrarunt. Dicta autem sic fuit Dea, quòd Saron Troezeniorum regulus Dianæ templum ad mare cæsum extruxisset. Pausanias in Corinthiacis.

ΣΕΜΝΩΝ ἑορτή.

Festi huius ritus.

PRopè Asopum, in iliceto dearum visebatur templum, quas σεμνὰς vocarunt Athenienses, Sicyonij Εὐμενίδας, quarum diem festum annis singulis egerunt die vna, oues immolabant

immolabant vtero gestantes, mulso libabãt, & floribus vtebantur pro coronis: authore Pausania in Corinthiacis: refert etiam Cœlius lib. 12. cap. 1.

ΣΚΙΕΡΕΙΑ.

Scieriorum ritus.

IN Arcadia festum celebrarunt, quod Σκιερείαν nuncuparunt, in honorem Dionysij, cuius non longè à Stymphalo templum fuit, in eo hoc festo ex Delphici Apollinis responso flagellabantur mulieres, quemadmodum & Spartanorum iuuenes ad aram Orthiæ: vt Pausanias in Arcadicis, & Cœlius Lect. Antiq. lib. 18. cap. 1. indicant.

ΣΕΠΤΗΡΙΟΝ.

Septerij origo.

Σεπτήριον, quasi tu dicas Veneratiuum, seu Adoratiuum, vna fuit trium ἐννατηρίδων, id est, nouennalium solennitatum, quæ Delphis celebrabantur in honorem pugnæ Apollinis aduersus Pythonem. Sic enim Plutarchus in Græcanicis Quæstionibus, quæst. 12. Σεπτήριον imitationem habet pugnæ Apollinis, cum Pythone, & à pugna fugæ Dei ad Tempe aut persecutionis. Alij enim fugisse eũ ferũt, quòd peracta cæde opus expiatione haberet: alij Pythonem saucium & fugientem via, quæ nunc Sacra dicitur, quum insequeretur, superuenisse ei recens è vulnere mortuo, & funerato à filio, cuius nomen Αἴξ, id est, capra, perhibent.

ΤΑΡΙΧΩΝ ἑορτή.

Tarichorum origo, & ritus.

PHaselitæ quoddam festum quotannis in honorem Cylabræ egerunt, in quo ταρίχους, hoc est, salsamenta ei sacrificarunt. De eo lib. 7. Athenæus cap. 17. sic scribit. Heropythus in montibus Colophoniorum, de Phaselidis ædificatione narrans, Lacium, inquit, qui Coloniam misit Cylabræ opilioni salsamenta pro loci precio dedisse, quæ ille petiuerat. Nam quum ei proposuisset Lacius vt pro loco aut farinas, aut salsamenta caperet, Cylabras salsamenta elegit, ac idcirco Phaselitæ nunc etiam Cylabræ salsamentum quotannis sacrificant. Philostephanus igitur sic etiam lib. 1. de Ciuitatibus scribit: Quæ sunt in Asia, Lacium ferunt Argiuum, vnum ex ijs qui cum Mopso profecti sunt, quem Lindium esse nonnulli voluerunt, Antiphemiq; eius fratrem qui Gelam condidit, in Phaselidem vnà cum viris à Mopso missum fuisse ex diuinatione quadam Mantus Mopsi matris, ac nauium propriarum proræ vbi coijssent, fractas esse circa insulas Chelidonias, infligentibus his, qui erant cũ Lacio, quia ad nectem vsq; prorogauerant. Fama est autem terram ibi eum emisse, vbi nunc est ciuitas, veluti prædixerat Manto, quum salsamentũ Cylabræ dedisset, hoc enim ille erat electurus. Inde traxerunt, vt Phaselitæ, Cylabram tanquam heroem honorantes, salsamentum sacrificent.

ΤΑΦΗ ΑΠΙΔΟΣ.

Festi huius ritus.

PLutarchus in libro de Osiride indicat, Ægyptios Ταφὰς Ἄπιδος sepulturam Apidis celebrantes festam, animalia quædam producere, quæ omnibus præsentibus vnà in sepulchrum conijciant: existimantes hoc pacto se Typhoni, necatori Osiridis, voluptatem inde percipienti, vicissim molestiam obijcere, lætitiamq; eius infringere. In alijs etiam festiuitatibus sacrificijs quibusdam Typhonis authoritatem deprimebant contumelijsq; afficiebant: ignominiosè in his tractabant rufos, asinumq; de præcipitio deijciebãt, quod Coptitæ facere solebãt, propterea quòd rufus & asinino colore fuisset Typhon. Et Busiritæ ac Lycopolitæ tubarum vsu omninò abstinebant, quòd harum sonus voci asininæ sit similis: planeq; animal illud non mundum, sed genijs peculiare putabãt, ob similitudinem qua ei cum Typhone conueniebat, vt Plutarchus eodem libro testatur.

ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΝ.

Festi huius origo.

TEssaracoston tempus dicitur dierum quadraginta. Seruatum autem à veteribus tradunt, vti gestantes vtero ante partum hoc dierum numero sacra ne adirent. Quin & à partu totidem, incommodis infestabantur plurimis, sicuti infantes quoq; per id ferme tempo-

ris morbidi sunt, vti Censorinus docuit, ac sine risu, nec citra periculum. Quibus mox transactis festũ agitabant Τεσσράκοσον similiter nuncupatũ: vt Cælius indicat. lib. 27. c. 21. L. A.

ΤΙΘΗΝΙΔΙΑ.

Tithenidiorũ ritus.

Τιθηνίδια Latinè Nutricalia festum fuit apud Lacedæmonios, de quo Athenæus lib. 4. sic scribit: Copidem parat ex Spartanis quicunq; voluerit alius: ἐν ᾗ τῇ πόλει κοπίδας ἄγουσι καὶ τοῖς τιθηνιδίοις καλουμένοις, ὑπὲρ τῶν παίδων, id est: & Copides in vrbe agunt etiam in festo quod Tithinidia vocant, puerorũ gratia. Quibus & hæc addit: Nutrices pueros mares in agros per id tempus exportant, & ad Dianam Corythalliam nominatã, cuius templum est apud Tiassum, in ijs locis qui sunt Cletæ propinqui, copidasq; faciunt: mactant lactentes etiam porcellos, panesq; furnaceos in conuiuio apponunt. Fuit aũt Κοπὶς genus quoddam peculiare conuiuij apud Laconas, de quo Athenæus eodem loco plura. Meminit huius festi Cælius quoq; L. A. lib. 27. cap. 25. his verbis: Fuêre apud Spartanos cœnæ quædam dictæ Copides, in quibus immolabatur capra, nec aliud præterea quidpiam: indeq; carnis distribuebantur portiones, & panes, qui vocabantur Physicilli: & alia sumptus non magni. Celebrabantur & hæc conuiuia in Tittenidijs, quando tittæ, id est, nutrices pueros deferrent mares in Dianæ templum, &c.

Κοπὶς quid.

ΤΛΗΠΟΛΕΜΙΑ.

RHodi Tlepolemia agebantur, à Tlepolemi vxore Philozoe instituta, quorũ erat præmium ex populo alba corona, vt Sardus indicat lib. 3. de Moribus gentium.

ΤΥΠΑΙ.

Typarum ritus.

Τύπαι Typæ festum quoddam fuit apud veteres, vt Hesychius testatur & Cælius li. 20. ca. 20. in fine, forsan quo ἐκτύπτειν, aut quo sese mutuo ἐτύπτον: Suidas enim τυπὰς exponit πληγὰς. Scribit nanq; Herodotus li. 2. Ægyptios quosdam πρωτεύσαντας θύειν, καιομένων δὲ τῶν ἱρῶν, τύπτεσθαι πάντας: ἐπεὰν δὲ δειπνήσωνται, δαῖτα προτίθεσθαι τὰ ἐλίποντο τῶν ἱρῶν, hoc est, ieiunare antequam sacrificent: ardente autem sacrificio omnes verberari: & postquam verberati fuerint dapes apponi ex sacrificij reliquijs. Quæ ijsdem propemodum mox verbis repetit, quum ait, in ea Ægypti vrbe quæ Busiris appellatur, quum Isidis festa celebrant, Τύπτεσθαι μετὰ τὴν θυσίην πάντας καὶ πάσας: μυριάδας καρτα πολλὰς ἀνθρώπων. Vbi etiam subiungit, ἔστι δὲ ὅσιον εἶναι λέγειν τοῦ τυπτομένου, fas sibi non esse dicere quo nam instrumento verberentur. Præterea Caras Ægyptum incolentes τὰ μέτωπα κόπτεσθαι μαχαίρῃσι.

ΤΥΡΒΗ.

PEloponnenses ad Erasini in monte ostia Baccho diem festum egerunt, quem Tyrben nominasse author est Pausanias in Corinthiacis.

ΤΑΚΙΝΘΙΑ.

Hyacinthiorũ origo & ritus.

YAκίνθια festum fuit, cùm apud alias gentes, tum præcipuè apud Lacedæmonios celebrari solitum: quod etiam Ταχινθόχωμον nominatum fuisse Hesychius innuere videtur. De eo sic scribit Athenæus l. 4. ex Didymo & Polycrate, τῶν δὲ Ὑακινθίων θυσίαν οἱ Λάκωνες ὅτι τρεῖς ἡμέρας σωτελοῦσι, καὶ διὰ τὸ πένθος τὸ γενόμενον περὶ τὸν Ὑάκινθον, ὅτε στεφανοῦται ὅτι τοῖς θεοῖς, ἅτε ἄρτον εἰσφέρουσιν, ἀλλὰ πέμματα καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα διδόασι, καὶ τὸν εἰς θεὸν παιᾶνα οὐκ ἄδουσιν, ἀλλὰ μετ' ἐυταξίας πολλῆς δειπνήσαντες ἀπέρχονται. Τῇ δὲ μέσῃ τῶν τριῶν ἡμερῶν γίνεται θέα ποικίλη, καὶ πανήγυρις ἀξιόλογος, καὶ μεγάλη. Παῖδές τε γὰρ κιθαρίζουσιν, ἐν χιτῶσιν ἀναζωσμένοι, καὶ πρὸς αὐλὸν ἄδοντες, πάσας ἅμα τῇ πλήκτρῳ τὰς χορδὰς ἐπιτρέχοντες, ἐν ῥυθμῷ μὲν ἀναπαίζῳ, μετ' ὀξέος δὲ τόνου τὸν θεὸν ἄδουσιν. ἄλλοι δ' ἐφ' ἵππων κεκοσμημένων, τὸ θέατρον,

τεον διεξέρχονται, χοροί τε νεανίσκων παμπληθεῖς εἰσέρχονται, καὶ τῶν ὀπιχωρίων τινα ποιημάτων ἄδουσιν. ὀρχησταί τε ἐν τούτοις ἀναμεμιγμένοι, τῷ κίνησιν ἀρχαικὴν ὑπὸ τὸν αὐλὸν, καὶ τῷ ᾠδῇ ποιοῦνται. Τῶν δὲ παρθένων αἱ μὲν ὅπλα κανάθρων καμάρων ξυλίνων ἁρμάτων φέρουσι, πολυτελῶς κατεσκευασμένων, αἱ δ' ἐφ' ἁμίλλαις ἁρμάτων ἐζευγμένων πομπεύουσιν. ἅπασα δ' ἐν κινήσει, καὶ χαρᾶτης θεορίας ἡ πόλις καθίστηκεν. ἱερεῖα τε παμπλήθη θύουσι τῷ ἡμέρᾳ ταύτῃ, καὶ δειπνίζουσιν οἱ πολῖται πάντας τοὺς γνωρίμους καὶ τοὺς δούλους τοὺς ἰδίους. οὐδεὶς δ' ἀπολείπει τῷ θυσίαν ἀλλὰ πανδαιμεὶ συμβαίνει τὴν πόλιν ὅλην τῷ θεᾷ. *Id est, Hyacinthiorum sacrum Lacedæmonij tribus diebus peragunt, & propter luctum ob Hyacinthum obortum neque coronantur in conuiuijs, neque panem inferunt, sed bellaria & his similia apponunt, neq; etiam pæana deo canunt, sed ritè peractis conuiuijs discedunt. Medio autem trium dierum die, varium spectaculum celebratur, conuentusq; fit egregius admodum & magnus. Pueri siquidem citharam in sagulis succincti pulsant, ad tibiamq; canentes, omnesq; chordas in rhythmo anapæsto plectro percurrentes, cum acueo tono Deum concinunt. Alij in equis ornatis theatrum percurrunt, multiq; adolescentũ chori, qui poema aliquod vernaculum canunt, ingrediuntur, inter quos saltatores immisti deliram motionem ad tibiam cantumq; effingunt. Ex virginibus istæ quidem in concauitate lignei currus viminei magnificè præparati vehuntur, illæ verò in certaminibus iunctorum curruum pompam ducunt, vniuersaque ciuitas in motu spectationisq; gaudio detinetur. Permulta fiunt hoc die sacrificia. Atque ciues omnibus quos norunt, suisque seruis conuiuium exhibent. Neq; quispiam est qui sacrificijs non intersit, ita vt tota ciuitas vacua maneat vniuersis ciuibus ad spectaculum proficiscentibus. Meminere huius festi etiam Xenophon Hellen. 4. Phauorinus, & Ouidius lib. 10. Metamorph. vbi sic canit:*

Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon: honorq;
Durat in hoc æui, celebrandaq; more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

Fiebat autem in Hyacinthi honorem, quem imprudens Apollo disci iactu interfecit. Sunt qui nocturna hæc sacra fuisse velint.

ΥΔΡΟΦΟΡΙΑ.

Ὑδροφορία Hydrophoria *festum fuit Athenis πένθιμον ὅτι τοῖς ἐν τῷ κατακλυσμῷ ἀπολωλόσι, id est, lugubre in memoriam eorum institutum qui diluuio perijssent, vt ex Apollonio Suidas refert: meminit & Hesychius, itemq; Cælius lib. 18. ca. 40. L. A. & Sardus lib. 3. de Moribus gentium.* Hydrophorierum origo.

Fuit & Hydrophoria ludi genus apud Græcos, vt refert Natalis Comes lib. 5. Myth. cap. 4.

ΥΣΤΗΡΙΑ.

Ὑστέρια *Argiuorum festum fuit, in quo sus immolabatur Veneri. Sic enim Athenæus lib. 3.* Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗς θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστέρια. *De eodem etiam Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12. sic scribit: Fertur in Thessalia Castnienſis Veneris fanum fuisse, & aliud in Sida Pamphiliæ, & in Aspendo, & Argis, in festo quod Hysteria dicitur: in quibus præter instituta, moresq; aliorum sues mactare licet, cùm in cæteris nullo modo fas sit. Vnde & nomen festi compositum videtur ex* ὗς θυτέα: *vide etiam Cælium L. A. lib. 25. cap. 26.*

ΦΑΓΗΣΙΑ & ΦΑΓΗΣΙΠΟΣΙΑ.

Φαγήσια καὶ φαγησιπόσια Phagesia & Phagesipolia *festa erant, in quibus cibo potuq; ad satietatem vsq; exhilarabantur: vt ex initio li. 7. Athenæi intelligitur, vbi sic ait:* ὅτι τελευτῶντες ἤδη τὸ δεῖπνου, τῶν φαγησίων ἑορτὴν σωτελεῖσθαι νομίσαντες οἱ κυνικοὶ, πάντων μᾶλλον ἠυφραίνοντο. *Citat ibidem Athenæus locum ex Clearcho, quo indicat, hoc festum exoleuisse. Sed non exoleuit, proh dolor, apud Christianos.* Festi huius ritus.

ΦΕΡΕΦΑΤΤΙΑ.

Pherephattiorum ritus.

PHerephattia *festum fuit Proserpinæ, in quo apud Cyzicenos bos nigra Deæ immolabatur. Sic enim Plutarchus scribit in vita Luculli:* Τὰς τῶν φερεφαττίων ἑορτὰς ἐνεστώσας, οἱ μὲν ἦσαν βοῦς μελαίνης θεοῖς τελεῖν θυσίαν, ἣν συνέβαινε τοῖς βαρβάροις παρέσεσθαι. ἡ δὲ ἱερεῖα καὶ τρεφομένη, τῇ θεῷ νομιζομένῃ ἔχειν ὥσπερ τἄλλα βοτὰ τῶν Κυζικηνῶν ἐν τῇ περαίᾳ. κατ' ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν ὑποζευχθεῖσα τῆς ἀγέλης, μόνη διεκρίθη πρὸς τὴν πόλιν, καὶ κατέσπευδε δηλονότι τὴν θυσίαν αὐτῇ. *Id est, Aderant Pherephattia festa, nec bouem nigram, qualis in his sacris mactari solebat, ob circumfusum hostem parare potuerant: pro boue igitur placentam altaribus offerendam conficiunt. Victima verò quæ ad hæc sacra quotannis educabatur, vnà cum reliquis ciuium armentis, in vlteriori ripa pascebatur. Ea verò, quo die festum agebatur, à cætero grege secreta sola tranauit ad vrbem, & sese sponte altari mactandum obtulit.*

ΧΑΡΙΛΑ.

Charilorum origo.

ΧΑρίλα, *Plutarcho authore in Hellenicis, quæst. 12. est festi nouennalis nomen, quod Delphis celebrabatur. Eius fabulosam originem Plutarchus eodem loco sic commemorat: Fame ob anni siccitatem vrgente Delphos, cum liberis & vxoribus ciues ad fores regis supplices venerunt. Is farina & leguminibus notiores sibi (non enim omnibus sufficiebat) impertijt. Puella autem paruula quum accederet orba parentibus, & instaret petendo, calceo malam eius percussit, calceumq; in faciem eius coniecit. Hæc, vt erat animo minimè abiecto, pauper alioquin & deserta, è medio se subduxit, cinguloq; soluto fauces illigans sese suspendit. Tum crescente penuria, & morbis accedentibus, Pythia regi respondit: placandos esse manes Charilæ virginis, quæ ipsa sibi mortem conscisset. Vix tandem inuestigato, id nomen puellæ, quæ alapam accepisset, fuisse. piaculare quoddam sacrificium peregerunt, quod etiámnum nono quouis anno fit. Præsidet Rex, & farinam leguminaq; impertit omnibus, & peregrinis & ciuibus. Infertur puerile simulachrum Charilæ: postquam omnibus datum fuit, rex id calceo ferit: quæ autem est Thyadum princeps simulachrum ad confragosum defert locum, ibiq; collum fune cingentes simulachri, id defodiunt, vbi olim Charila sepulta fuerat.*

ΧΑΡΙΤΩΝ τελετή.

PAusanias *in Boeoticis indicat, Athenis in vestibulo arcis tres Charites seu Gratias stare: ad has solenne celebrari, hominibus plebeis incognitum.*

ΧΑΡΜΟΣΥΝΑ.

ΧΑρμόσυνα, *Hesychio teste, festum quoddam fuit Athenis, quod Ægyptij Σαίρει appellarunt authore Plutarcho in Osiride, vbi etiam rationem affert, quare sic appellatum sit:* Ἐγὼ δ', *inquit,* εἰ μὲν Αἰγύπτιόν ἐστι Σάραπιδος, εὐφεσωνίων αὐτὸ δηλοῦν οἶομαι καὶ Χαρμοσυνίων, τεκμαιρόμενος ὅτι τῶν ἑορτῶν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα Σαίρει καλοῦσιν. *Ego autem, siquidem Ægyptia vox est Saraphis, gaudium ea & lætitiam significari censeo: hoc adductus argumento, quòd Charmosyna, id est, festum lætitiæ diem, Særei appellant Ægyptij.*

ΩΜΟΦΑΓΙΑ.

Festi huius ritus.

ΩΜοφαγίων *post Græcos etiam Arnobius lib. 5. aduersus Gentes meminit. Bacchanalia etiam, inquit, prætermittemus inania, quibus nomen Homophagijs Græcum est, in quibus furore mentito, & sequestrata pectoris sanitate circumplicatis vos anguibus, atq; vt vos plenos Dei numine ac maiestate doceatis, caprorum reclamantiũ viscera cruentatis oribus dissipatis. Hemophagia autem dicta quasi crudiuora.*

ΩΡΑΙΑ

ΩΡΑΙΑ.

Horæorum ritus.

HEsychius dicit ὡραῖα εἶναι τελετὴ τινα, ἐν ᾗ τῶν ὡραίων ἀπάντων ἐγίνοντο ἀπαρχαί, id est, Horæa esse festum quoddam, in quo frugum omnium oblatæ sint primitiæ. Meminit eius & Cælius lib. 13. cap. 16.

Athenæus li. 11. ca. 11. festi cuiusdam meminit quod in Gerytide celebrabatur, in quo inter alia περιέφερεν κύκλῳ λεπαστὴν πᾶς, ἐνέχει τε σφόδρα κυανοκευθῆ, id est, circumferebant in circulum lepastam, atq; in nigrum celantem effuderunt. Est autem λεπαστὴ, vt ibidē ex Aristophane, Apollodoro, Pherecrate, alijsq; authoribus annotatur, genus quoddam calicis seu poculi. Meminit idem author lib. 13. cap. 1. ex lib. 1. Prouerbiorum Clearchi Solensis, alterius festi, in quo mulieres, eos qui non haberent vxores in Lacedæmone, circa aram trahentes alapis cædebant, vt contumeliam huiusce rei fugientes, liberorum amore caperentur, atq; ætate apta vxores ducerent: Et lib. 14. ca. 13. ἐν τοῖς συμμίκτοις συμποτικοῖς Aristoxeni indicat, Posidoniatas, qui in sinu Thyrrheno habitant, festum quoddam Græcorum suis adhuc temporibus celebrasse, in quo in vnum conuenientes antiqua nomina & leges recensuerint, & conquerentes inter se, lachrymantesq; discesserint.

Persæ festum peregerunt, quod Vitiorum vocarunt interitum, in quo serpentium & animalium etiam ferorum vim magnam immolarunt, bono dæmoni hoc pacto gratificari studentes: malo aūt molestiæ plurimum inferre. Nam iuxta Manichæorum hæresin duo induxerunt principia: bonum quidem vnum, mali verò causam alterum: atq; illum Hormusdatin dixerunt, hunc Arimanin, qui sit pernitiosus infestusq; dæmon. Cælius lib. 18. cap. 18. Antiq. Lect.

Natalis Comes lib. 9. cap. 2. Mythol. meminit solennitatis cuiusdam apud Troezenios in honorem Orestis institutæ. Cùm enim Orestes in cella quadam antequā expiaretur consistere iuberetur, cum eo epulati fuerunt, qui lustrationi illi præfuerunt: ad eius rei sempiternam memoriam, illorum posteri statis diebus in eodem loco cænitarunt. Refert idem lib. 7. ca. 17. cùm Myrtilus, cuius astu Pelops Oenomaū vicerat, in mare præcipitatus, sed ab æstu eiectus ad Pheneatas applicuisset, ibiq; honorificè sepultus fuisset, annua ei sacrificia ac festa instituta esse. Et lib. 5. cap. 13. testatur ex Laconicis Pausaniæ, in monte supra Migonium, quem locum Laryssium vocarint, ineunte vere dies festos agitasse in honorem Bacchi, quòd ibi vua matura primò inuenta sit.

Megaris cùm sibijpsi manus intulisset, tumulum ei confestim excitarunt, & festum diem quotannis ei celebrarunt, Pausania authore in Atticis. In Ægisthenis fanum fuit Melampi, Amythaonis filij, ibi Melampo rem sacram fecerunt, & quotannis diem festum egerunt, Pausania in Atticis teste. Cum Mermerus & Pheres Medeæ filij, propter ea quæ Glaucæ obtulerant munera, à Corinthijs iniustè lapidibus obruti fuissent, infantuli Corinthiorum ab eis necabantur, donec annua ab eis festa & sacrificia ex oraculo sunt constituta, & Metus item adiunctus, exsculpta mulieris imagine formidabili. Corintho autem à Romanis excisa, & sublatis veteribus Corinthijs, non amplius ab his qui in coloniam venerunt, festa & sacrificia hæc sunt persoluta, neq; pueris in ipsorum honorem detondentur capilli, neq; atras vestes gerunt. Pausanias in Corinthiacis.

Sicyonij quædam simulachra in occulto habuerunt, sed ea quotannis nocte vna, quæ eis festa fuit, in Bacchi ædem è sacrario, quod ab ornatu κοσμητήριον nominarunt, deportarunt: idque fiebat facibus prælucentibus, & patrijs hymnis. In ordine primus fuit Bacchus, quem Androdamam Phliantis F. consecrasse ferunt. Sequutus est is qui Lysius dictus fuit, à Thebano Phanete oraculi Delphici monitu Thebis Sicyonem allatus: vt Pausanias indicat in Corinthiacis. Sicyone rectà Phliuntem proficiscentibus, & ad viæ sinistra decem stadia digressis nemus occurrit, quod Piræa vocarunt, & in eo sacellum Ce-

reris & Proserpinæ: ibiseorsim viri festum celebrarunt. At eum locum qui Nymphon (id est, nuptialis thalamus) appellatur, festiuitati mulierum reliquerunt. Pausanias in Corinthiacis. Hecaten ex Diis potissimùm Æginetæ coluerunt, & in honorem eius solenne etiam quotannis festum celebrarunt, quod Orpheum Thracem apud eos instituisse Pausanias in Corinthiacis testatur. Baccho Melanægidi Trœzenij Musicæ certamen quotannis instituerunt: natatoribus item, & nauigiorum cursu certantibus præmia proposuerunt. Pausanias in Corinthiacis. Lernæ, quæ mari fuit vrbs finitima, & Argiuorum ditionis, Lernæa, festa in honorem Cereris celebrata sunt, vt Pausanias indicat in Corinthiacis, vbi etiam refert, ea à Philamone fuisse instituta. Geronthris, quæ vrbs in Lacedæmoniorum regione, festum Marti quotannis celebrant, in quo mulieribus, ne lucum, qui circa Dei templum est, ingrediantur, est interdictum, Pausania teste in Laconicis. Meminit etiam circa finem huius libri festi cuiusdam annui, quod Asinæi in honorem Dryopis Apollinis filij, celebrarint. Meminit porrò in Eliacis festi cuiusdam Rheginorum, ad quod Messenij littoralis oræ incolæ cœtum puerorum numero 35. Rhegium miserint quotannis. Libro sexto indicat in Elide locum fuisse, quem Hippodamium nominarint, sepimento circundatum: eum mulieres semel quotannis ingressas, festum diem & rem sacram Hippodamiæ fecisse, aliaque in eius honorem peregisse. In Achaicis scribit, Tritiæ oppido Achæorum in mediterraneis sito, annuum solenne celebrari, in honorem magnorum Deorum, quorum simulachra ex argilla confecta fuerint: non tamen alio ritu eis, quàm Græci Baccho, sacrificare. In Arcadicis indicat, Cynæthaenses, hyemis tempore festum celebrare, in quo oleo inuncti viri taurum quemcunque Bacchi instinctu comprehendant, ex armento boum sublatum, & ad templum perducant, ibique sacrificent. Refert ibidem, Bathi, non procul Trapezunte, festum tertio quoque anno celebrari, magnis deabus, hoc est, Cereri & Proserpinæ, quemadmodum idem author eodem libro, & in Messeniorum historia testatur. Meminit etiam in Arcad. solennitatis ab Arcadibus in honorem Proserpinæ Δεσποίνης, id est, Dominæ celebratæ. In ea immolauit quisq; Deæ de rebus quas possedit. Victimarum autem guttura non incîderunt, vt in alijs sacrificijs moris fuit: sed in quodcunque victimæ membrum quisq; incidit, id abscidit.

Oilea fecerunt Locri Opuntij Aiaci Oileo: Megarenses Ioui Dioclea, vsque ad veris initium: in Orchomene Minyia: & Protesilao Protesilia, vt etiam Philaca vrbe in Thessalia, quo loco ipse dicebatur regnasse. Sardus lib. 3. de Moribus gentium. Celebrarunt Lebadeæ Trophonia Apollinis, vel Ergini filio Trophonio: Amphiaræa Oropi Amphiaro: ibidem.

Ælianus in varia historia refert, Indos, si à rege abluantur capilli, festum eum diem agere.

In Eryce Siciliæ monte tempus quoddam obseruabatur, quod RECESSVS vocabant, quo Deam aiebant in Libiam transmigrare solitam, & columbas omnes eius loci non apparere, quasi cum Dea simul discesserint. Post nouem autem dies inuocatis redditibus, vna columba ex mari aduolante, ac in templum deæ accedente, reliquæ protinus adsunt. Tunc igitur quicunque ex accolis erant diuites conuiuia parabant, reliqui cum lætitia applaudebant. Totus locus butyrum oluit: qua coniectura vti solebant Deam redijsse. Athenæus lib. 9. cap. 17.

In insula Thule præcipua solennia sunt, quæ quotannis in honorem SOLIS celebrantur: quando speculatores ex altissimis montibus nunciant, Solem redire ad ipsorum Horizontem, quum antea verno tempore dies 40. integras noctes habuerunt, sicut in Autumno dies 40. continuam lucem. Procopius de Bello Gothorum lib. 2.

AEGYPTIORVM festa.

AEgyptij frequenter quotannis dies festos, in ijsq; conuentus solennes egerunt, sed præcipuè ac

cipuè ac studiosissimè in vrbe Bubasti, in honorem Dianæ: secundo loco in vrbe Busiri, in honorem Isidis (in qua vrbe maximum est templum Isidis, ipsa in medio Delta Ægypti sita:) tertiò, in vrbe Sai, in honorem Mineruæ: quartò Heliopoli, in honorem Solis: quintò, in vrbe Buto, in honorem Latonæ: sextò, in vrbe Papremi, in honorem Martis. Cùm autem se contulissent in vrbem Bubasti, hæc fecerunt. Nauigarunt viri pariter & mulieres, magna in singulis nauibus vtrorumque multitudine. Inter nauigandum assiduè mulieres aliquot crepitacula tenentes plauserunt, viri tibijs cantarunt: cæteri, cæteræque modulati sunt, manusque complosérunt. In nauigando, vt ad quamque vrbem peruenerunt, appulsa ad terram naui, mulierum quidem aliæ ea quæ dixi fecerunt, aliæ verò compellatis eius vrbis fœminis, probra ingesserunt: aliæ saltarunt: aliæ quum surrexissent retraxerunt illas. Talia ad singulas ciuitates ad flumen accolentes egerunt. Quum ad vrbem Bubastim peruentum esset, diem festum celebrarunt magnis oblatis hostijs. Quo in festo plus vini absumpserunt, quàm toto reliquo anni tempore. Commearunt illuc, vt indigenæ retulerunt, virorum ac mulierum, præter pueros, ad septingenta millia. At in vrbe Busiri, verberarunt sese post sacrificium cuncti, multa sanè hominum millia: quo autem se verberarint, non fas fuit dicere. Sed ex omnibus præcipuè hoc fecerunt Cares, qui Ægyptum incoluerunt: adeò quidem, vt gladijs frontes quoque conciderint: quo dabatur intelligi, eos hospites fuisse, non Ægyptios. Vt verò in Saim vrbem sacrificatum conuenerunt, noctu sub dio vniuersi circum mœnia frequentes lucernas accenderunt, imbutas sale & oleo plenas cum multo lychno, quod tota ardeat nocte. Quod festum Λυχνοκαΐαν appellarunt, hoc est, Lucernarum accensionem. Ad hunc conuentum quicunque Ægyptiorum non iuissent, obseruata sacrificij nocte, & ipsi lucernas accenderunt cuncti: neque id in Sai modò, sed etiam per vniuersam Ægyptum. Ad Heliopolim & Butum qui venerunt, tantùm sacrificasse contenti fuerunt. In Papremi verò & hostias & sacra operati sunt: sed quoad sol inclinatus esset, pauculi sacerdotes circa simulachrum exercebantur: plures autem eorum tenentes ligneas clauas, steterunt pro foribus templi, alij è regione plus mille virorum, qui vota exequuti sunt, cum singulis fustibus frequentes constiterunt: qui pridie simulachrum ex ligneo sacello deaurato in aliud sacrum domicilium deportarunt, paucis illis, qui ministerio simulachri delecti fuerant, trahentibus plaustrum quatuor rotarum, quo vectum fuit & sacellum, & quod intus erat simulachrum. Hos ingredi prohibuerunt ij qui in vestibulo steterunt: at hi qui vota exequuti sunt, opitulantes Deo, percusserunt eos atque repulerunt. Hic vehemens exorta est fustuaria pugna, mutuò capita ferientium: multique ex vulneribus perierunt, etsi Ægyptij quenquam mortuum negarint. Dixerunt autem indigenæ, festum & conuentum hunc ideò institutum, quòd id templum incoluerit mater Martis: ac ad eam Martem iam adultum ac virilis ætatis venisse, coeundi gratia cum matre: quem materni ministri, vt qui eum antea non cognouissent, ingredi ad matrem non permiserunt, sed repulerunt. Hunc autem ex alia ciuitate adductis hominibus, custodes malè multasse. Et ob hanc rem aiunt solennem esse Marti die illo festo hanc rixam: & institutum, ne in templo cum fœminis coiretur, néue à mulieribus nisi abluti templa adirent. Refert hæc omnia Herodotus libro secundo.

APPENDIX

AD LVDOS ROMANORVM.

Ludi ad festa etiam pertinēt.

LVDOS non incommodè Festis, de quibus hoc toto libro agimus, coniungi posse arbitror. Festis nanque in honorem Deorum sacrata erant, non tantùm religiosa otia, quo nomine ferias intelligimus, qualescunque fuerint, quibus opus nullum ex præconis edicto, facere licebat, sed etiam religiosa negotia, vt sunt Sacrificia, quæ Dijs offerebantur, & Ludi, qui in honorem Deorum agebantur, vt Valerius Maximus atteſtatur lib. 2. cap. 160. Expositis igitur suprà quoque inter festa Romanorum ludis,

de quibus sciri potest quo die, aut saltem quo mense celebrati sint, nunc etiam eos enumerabimus, de quibus vtrunq; horum ignoratur.

Vnde Ludi Romam translati.

Ex Græcia autem, & Troia ad Romanos Ludos translatos fuisse nemo dubitat, sed ij progressu temporis à Numa rege, aliisq; & numero & ceremonijs valdè sunt aucti: eosq; duo genera magistratuum, Ædiles Curules & Prætores plerunq; dederunt, ab initio quidem paruo, sed temporis progressu apparatu & sumptu profusissimo, idq; vel in templis, vel in theatro, vel Circo, vnde & Theatrales & Circenses nominati sunt.

LVDI TROIANI, siue TROIAE ludicrum

Troianorum ludorum antiquitas.

TRoiani Ludi, *quos & Troiæ ludicrum appellarunt, omnium in Romana Republica fuerunt antiquissimi, ab Ascanio Æneæ filio in Italiam translati, edebanturq; in Circo, vnde & Circenses dicti à Suetonio in Tiberio, à pueris maioribus & minoribus turmatim congredientibus. Qui præsidebat his, Princeps iuuentutis dicebantur, & ex Senatorum aut Imperatorum filijs creabatur: hinc Tacitus scribit, Tiberium Cæsarem viuente Augusto patre Principem iuuentutis fuisse.*

Originem autem & ceremonias horum Ludorum sic describit Vergilius lib. 5. Æneid.

At pater Æneas nondum certamine misso,
Custodem ad sese, comitemq; impubis Iuli
Epitiden vocat, & fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, & Ascanio si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusq; instruxit equorum,
Ducat auo turmas, & sese ostendat in armis.
Sic ait: ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, & campos iubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterq; ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Troiæq; iuuentus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona:
Cornea bina ferunt præfixo hastilia ferro:
Pars leues humero pharetras, & pectore summo
Flexilis obtorti per collum & circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, terniq; vagantur
Ductores: pueri bis seni quemq; secuti,
Agmine partito fulgent, paribusq; magistris.

Et mox: Postquam omnem læti consessum, oculosq; suorum
Lustrauere in equis: signum clamore paratis
Epitides longè dedit, insonuitq; flagello.
Olli discurrêre pares: atq; agmina terni
Diductis soluêre choris: rursusq; vocati,
Conuertêre vias, infestaq; tela tulêre.
Inde alios ineunt cursus, aliosq; recursus
Aduersis spacijs, alternosq; orbibus orbes
Impediunt, pugnæq; cient simulachra sub armis:
Et nunc terga fugæ nudant, nunc spicula vertunt.

Item: *Hunc morem, cursus, atq; hæc certamina primus*
Ascanius longam muris cùm cingeret Albam,
Retulit, & priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes,
Albani docuere suos. Hinc maxima porrò

Accepit

Accepit Roma, & patrium seruauit honorem,
Troiaq; nunc pueri, Troianum dicitur agmen.

Meminit horum ludorum Suetonius in Cæsare, Augusto, Tiberio & Claudio: Tacit. lib. 11.

Ab hoc genere Ludorum Torniamenta Germanorum, quasi dicas Troiamenta, Germanicè Turnier/ *originem sumpserunt, in quibus ad eundem modum hastis aliisq; armis certant, non tamen pueri solùm, sed viri quoq;, neq; aperto capite, coronatoq;, vt in Troiæ ludicro, sed casside tecto. Instituit autem hos ludos equestres in Germania Henricus I. Imp. vt ea ratione generosa iuuentus ad bella præpararetur: sicut in Saxoniæ legitur Chronico.* Torniamenta Germ. vnde.

LVDI QVINQVENNALES.

HAbuerunt Romani Quinquennale ludicrum, quod quinto quoque anno celebrabant. In eo tam versu, quàm prosa oratione, Græcè Latineq;, tum musica per citharœdos & citharistas, tum gymnicis ludis certabatur. L. Mummius primus a triumpho hoc spectaculi genus in Vrbe præstitit: idq; iam ducentis annis intermissum, Nero Cæsar primus ad morem Græci certaminis è Græcia Romam deduxisse, Iouiq; Capitolino dedicasse, atq; singulis quinquennijs magno certamine animorum celebrasse fertur. In his ludis quantum quisq; facundiæ experimento, aut candore ingenij eniteret, facilè apparebat. C. Caligula verò horum instar miscellos Lugduni fecit, Græcæ Latinæq; facundiæ experimento: in quo certamine lege sancitum erat, vt victi victoribus hoc præmij darent, vt ipsorum laudes tanquam obnoxij scriberent, & carmine celebrarent. Postea à Domitiano Imp. triplex ludicrum Quinquennale institutum ferunt Capitolino Ioui, Musicum, Equestre & Gymnicum, aliquanto plurium coronatorum. Alexan. ab Alex. lib. 6. cap. 19. vbi tamen Quinquennales ludos cum Quinquatrijs confundit. Quinquennales ludi vnde.

LVDI ACTIACI.

AD similitudinem horum Augustus Cæsar, victo ad Actium promontorium Antonio & Cleopatra, Actiacos ludos instituit, pluribusq; ceremonijs locupletauit. Refert hoc in Augusto Suetonius his verbis: Quoq; Actiacæ victoriæ memoria celebratior & in posterum esset, vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludosq; illic quinquennales constituit, & ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat vsus, exornatum naualibus spolijs, Neptuno ac Marti consecrauit. Vnde alio nomine hi ludi Agon Neapolitanus vocabatur, à noua vrbe Nicopoli, in qua primò sunt instituti. Idem author eodem loco, cap. de Honoribus testatur, Prouinciarum plærasq; ludos quoq; quinquennales in honorem Augusti penè oppidatim constituisse.

LVDI DECENNALES, VICENNALES & Tricennales.

DECENNALES ludi decimo quoque anno celebrabantur. Instituti sunt ab Augusto Cæsare, hac occasione: cogitauit plerunq; de reddenda Repub. Augustus, vt inuidiam Monarchiæ à se declinaret. Cumq; in Senatu sententiam suam exposuisset, rationarium Imperij tanquam illud restituturus Consulibus tradidit. Senatoribus autem siue per simulationem, siue metu, vel etiam ex composito reclamantibus, variasq; rationes afferentibus, cur Reipub. Monarchia præstaret, in principatu perseuerauit, deos hominesq; testatus intra decennium se omnem administrationem depositurum. Sed quum ea tempora elapsa essent, rursusque eiurare velle imperium simularet, Senatus alios decem annos, quibus in eodem magistratu esset, decreuit: atque iterum alios decem annos, quibus extinctus est, prorogauit. Solebat autem decimo quoque anno, instituto in hoc magnifico spectaculo, ludorumq; apparatu, resignare imperium. Inde obseruatum est, vt eius successores, quamuis perpetuam administrationem Imperij haberent, tamen singulis decem annis celeberrimos ludos face-

rent, tanquam principatum renouarent. Ea festa Decenalia, Vicenalia, Tricenaliaq; appellata sunt. Inde huiusmodi inscriptiones in antiquis numismatis plerunque cernuntur: VOT. X. VOT. XX. id est, votis Decenalibus, Vicenalibusq;. Hos ludos celebrauit quoq; Constantinus M. vt Eusebius in Ecclesiastica historia testatur. Celebrauit eos & Gallienus Imp. vt Trebellius Pollio indicat, qui etiam pompam et apparatum, eo in solenni adhibitum, his verbis recenset: Interfectis militibus apud Byzantium, Gallienus quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido conuolauit, conuocatisq; patribus, Decennia celebrauit nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Iam primum inter togatos patres, & equestrem ordinem, albatos milites, & omni populo praeeunte, seruis etiam propè omnium, & mulieribus cum cereis facibus & lampadibus praecedentibus, Capitolium petijt. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorsualibus sericis discoloribus praefulgentes. Agnae candentes ex vtraq; parte ducentae praecesserunt, & decem Elephanti, qui tunc erant Romae, mille ducenti gladiatores pompaliter ornati cum auratis vestibus matronarum: mansuetae ferae diuersi generis ducentae, ornatu quàm maximè adfectae. Carpenta cum mimis, & omni genere histrionum: pugiles sacculis, non veritate pugnantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarij, ita vt miranda quaedam, & stupenda monstraret. Omnes viae ludis, strepituq; & plausibus personabant. Ipse medius cum picta toga, et tunica palmata inter patres, omnibus sacerdotibus praetextatis, Capitolium petijt. Hastae auratae altrinsecus quingenae, vexilla centena: & praeter ea quae collegiorum erant, dracones, & signa templorum, omniumq; legionum. Ibant praeterea gentes simulatae, vt Gothi, Sarmatae, Franci, Persae: ita vt non minus quàm duceni singulis globis ducerentur. Haec omnia Pollio. Vicennales ludos breuiter, sed eleganter describit Eusebius lib. 3. de vita Constantini M. Hoc, inquit, temporis & populi frequentia & nundino celebre fuit. Tum se regni vicesimus ille annus absoluto cursu reuulerat ad idem caput.

LVDI SCENICI.

Scena quid, & Scenici ludi vnde dicti.

SCena à Graeco nomine σκηνὴ descendens, significat tabernaculum ex ramis & frondibus inumbrationis causa constructum, ἀπὸ τῆς σκιᾶς, hoc est, vmbra deducto nomine. Cumq; sub huiusmodi tabernaculis Attica iuuentus, quum adhuc vicatim ageret, carmina quaedam incondita decantaret, fabulasq; ageret, factum est vt in vrbem collectis Athenienſibus, nomen hoc retinuerit contabulatio illa, quae inter vtrumq; theatri cornu erat protensa, in qua à mimis fabulae edebantur. Hoc nomen Romani quoque theatro suo, in quo fabulae agebantur, indiderunt, quòd etiam sic dispositum esset, vt à fronte inter duo cornua, Scena esset. Inde Fabulae & Ludi qui in hoc agebantur loco SCENICI dicti sunt.

Scenicorum ludorum origo.

Eorum originem Liuius ab initio libri 7. ab vrbe condita, & Valer. Maximus libro 2. De Institutis antiquis eodem modo referunt. Anno vrbis conditae 391. C. Sulpitio Bætico (vel, iuxta Liuium, Potito) & C. Licinio Stolone Coss. intoleranda vis pestilentiae ortae vrbem Romam à bellicosis operibus reuocatam domestici atque intestini mali cura afflixerat. Cùm verò vis morbi nec humanis consilijs, nec ope diuina leuaretur, placandi caelestis numinis gratia eiusmodi ludos inducere placuit Senatui, ad id tempus Circenſi spectaculo contento, insanis certè mentibus, quòd putaret Deum lasciuis saltationibus placari posse. Itaque ex Hetruria Ludiones acciti, qui sine carmine vllo, sine imitandorum carminum actu, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus dabant. Res noua & insolita sic bellicosum populum delectauit, vt iuuentus inde, iocularia simul inter se versibus inconditis fundens, eos imitari caperit. Haec ridicula carmina sine cantu iactitata, Graecè Exodia appellabantur, sicut Epodia quae cantabantur. Et quia Hister seu Histrio Ludius apud Hetruscos appellabatur, ideò Scenico seu Ludioni Histrionis nomen inditum fuit. Post annos deinde 122. qui fuit annus Vrbis 513. Liuius Andronicus poëta fabulam versibus intexam primus recitandum dedit. Ac ita ludus paulatim in artem versus est, quum in scena comici

comici tragicique, & cæteri poëtæ suarecitarent poëmata:in ea etiam erant precones, tibicines,citharœdi & similes, qui vel in fine cuiusq; actus canerent.

FVNEBRES ET GLADIATORII LVDI.

FVnebrium Ludorum origo longè vetustissima est: Achilles enim ad Patrocli & Æneas ad Pallantis rogum mactat inferias cum ludis. Vnde etiam gladiatorum morem ortum iudicamus. Nam quum primùm captos ex hostibus iugularent, vitantes fœdi spectaculi crudelitatem, captiuos inter se commiserunt, vt penes eosdem esset & facinus & supplicium. Quibusq; sors virtusq; dedisset, superessent: alij placarent manes puris manibus parentantium. Scaliger. Pyrrhus super bustum Achillis,inspectante Græcorum exercitu ei parentans Polyxenam iugulauit. Zezes in Lycophronem. Q. Calaber lib.14. Id morientem Achillem iussisse narrat Seruius,hoc alibi addens: Sanè mos erat in sepulchris virorum fortium captiuos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare. Primus Romanorum Iunius Brutus dicitur in defuncti patris honorem dedisse Romæ gladiatores. Alij Appium Claudium & M. Fuluium Coss. de quo tamen nihil certi pronunciare possum. Funebrium ludorum origo.

Dabantur autem hi ludi & à publicis magistratibus, & à priuatis personis, & cum certaminibus, & cum fabulis. In patrij funeris apparatu arenam insperssisse aiunt C. Cæsarem, quum ædilis esset: qui postea Dictator fuit. Claudius Imp. ex arbitrarijs statos fecit ludos funebres,quos ædiles ederent, ex pecunia publica de Quæstoribus, quos Gladiatorios appellauit. Verùm posteà illorum pertæsus immanitatem sustulit. Priuatis tamen mansit consuetudinis ius. Cæterùm quum ea profusione ad inopiam multi redacti essent,iam antea sub Tiberio Senatusconsultum factum fuerat, vt neminiid liceret, qui minus quadringentis millibus in censu haberet. Nam & emptis opus erat & educatis: producti quoq; in arenam alij cadebant,alij petente populo manumittebantur: gladiatorum quoq; magistri,non sine magno precio,qui docerent eos, conducebantur, quos Lanistas appellabant. Tandem à Theodorico Gothorum rege vniuersus vsus sublatus est.

Fuit præterea aliud etiam genus Ludorum Gladiatoriorum, quod ediderunt Consules & Imperatores ad bellum exituri,ad exercendas corporis vires, & vt tyronum oculi ad bellum vnà proficiscentium cruori & vulneribus sic assuescerent,vt Sabellicus indicat libro 6. Ennead.7.

TAVRILIA, SIVE TAVRII LVDI.

LVdorum Tauriliorum originem Festus his verbis indicat. Regnante Tarquinio Superbo, quum magna incidisset pestilentia in mulieres grauidas, quæ fuerat facta ex carne taurorum diu vendita populo,ludi ob hoc in honorem Deorum inferorum instituti & Taurij vocati sunt: quos & Boalia & Bupetios nominatos aliquando inuenio. Ab initio, sicut Varro tradit,in Circo Flaminio,demùm apud portam Tergeminam celebrati fuerunt. Tauriliorum origo.